



Expositio methodica et elementaris theologiae universae tum dogmaticae tum moralis ex probatis aucto

<https://hdl.handle.net/1874/316975>

75/112

Ein Wiener Großstadtselbstorger und feiner Kinderpsychologe hat hier die Geheimnisse des Glaubens in die Kindersprache übersetzt und lehrt die Kinder so Ehrfurcht vor dem Worte Gottes. Wirklich kindertümlich und leicht faßlich sind seine Predigten, belebt durch edte Beispiele aus dem Leben des Kindes. Der Verfasser erzählt fesselnd und anschaulich, er weiß die Kinder zu packen und sie für die Wahrheiten aufzuschließen.

Was das Werk aber vor allen anderen Arbeiten dieser Art auszeichnet, ist sein grundlegender Teil. Er enthält allgemeine Abhandlungen über die Kinderpredigt, ist also eine kurze Theorie der Kinderpredigt an sich, die auf den Forschungsergebnissen der Kinderpsychologie aufbaut und die Psychologie des Zuhörers überhaupt berücksichtigt.

(Diese Predigten wurden größtenteils bereits 1953 im „Ambrosius“ einer bedeutenden deutschen Predigerzeitschrift, veröffentlicht.)

Kinder- predigten

Seelsorger-Verlag · Herder Wien

HERDER

THEOLOGIÆ UNIVERSÆ

EXPOSITIO METHODICA ET ELEMENTARIS

PROPRIÉTÉ DE L'AUTEUR

Imprimi potest.
Brugis 15 Martii 1875.
† JOAN. JOS. Episc. Brugae.

— BRUGIS, TYPIS VANDENBERGHE DENAUX —

EXPOSITIO
METHODICA ET ELEMENTARIS
THEOLOGIÆ UNIVERSÆ

TUM DOGMATICÆ TUM MORALIS
EX PROBATIS AUCTORIBUS DEPROMPTA

DICATA

III^{mo} Domino J.-J. FAICT

EPISCOPO BRUGENSI

S. THEOLOGIÆ DOCTORI

PRÆLATO DOMESTICO, EPISCOPO ASSISTENTI THRONO PONTIFICALI

AUCTORE

HENRICO BLIECK

PASTORE IN COUCKELAERE

—
TOMUS III
—



BRUGIS

APUD BEYAERT-DEFOORT, BIBLIOPOLAM

Ratisbonæ

SEO-BORACI, ET CINCINNATH

PUSTET

Londini

R. WASHBOURN

BOOKSELLER

18^a PATERNOSTER ROW

Parisiis

VIA BONAPARTE, 60

V^a H. CASTERMAN

Buscoduci
VAN GULICK
1875

75
112

ERRATA

Pag.	lin.	loco:	lege:
13	19	Nº 50	Nº 99
17	18	persononale	personale
19	10	initi	inniti
57	5	Nº 19	Nº 16 et seqq.
44	18, 19	Atmen	Attamen
69	29	Nº 121	Nº 118
95	15	connexionum	connexionem
158	22	duplic	duplici
176	15	mutu iet	mutui et
226	7	quas	quos
244	15	nisi adsit consuetudo con- traria,	nisi adsit consuetudo contraria, qualis exi- stet v. g. in Belgio, a s. Sede approbata,
254	28	beneficica	beneficia
267	10	paupertalis	paupertatis
291	4	hanc	hunc
id.	26	proeorum	pro eorum
295	27	septem	sex.
id.	32	sextum	quintum.
528	2	Nº 56	Nº 55
348	6	<i>et Spiritus sancti, amen;</i>	<i>et Spiritus sancti;</i>
359	51	Quod	Quoad
389	2	censecentur	consecratur
420	14	Nº 58	Nº 55
455	8	ructus	fructus,
513	1	quia ait, De Brabandere,	quia, ait De Brabandere,
id.	25	accommodata	accommodata
555	24	Nº 45	Nº 58

TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

1. — q. *Quid est contractus?*

r. Est conventio per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

q. *Quænam tria in omni contractu distinguenda sunt?*

r. Distinguenda sunt contractus essentia, natura et accidentalia.

1º Ad *essentiam* pertinent ea sine quibus contractus existere nequit. Sic v. g. in venditione, tria dantur *essentialia*, scilicet res, pretium et consensus; uno deficiente, nullus est contractus: si loco pretii v. g. res alia detur, jam non erit contractus venditionis, sed commutationis.

2º Ad *naturam* spectant ea quæ, licet non expressa, ex lege aut consuetudine aut æquitate in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint. Talis est v. g. rei venditæ assecuratio, quæ a contrahentibus excludi posset quin invalida foret venditio; conventione autem expressa non interveniente, vendor rem venditam assecurare debet.

3º *Accidentalia* dicuntur ea quæ contractui, speciali conventione, adjungi possunt, quin lege aut natura rei adjecta censeantur; qualia sunt v. g. certa solutionis dilatatio, aut alia hujusmodi.

2. — Inter varias contractuum divisiones tradimus sequentes :

Q. *Quid est contractus unilateralis vel bilateralis?*

R. *Unilateralis* est contractus quo una pars se obligat erga aliam partem non obligatam; talis est contractus gratuitæ promissionis.

Bilateralis seu *synallagmaticus*, quo una pars se obligat erga aliam partem pariter obligatam; tales sunt variæ permutationes.

Hæc autem divisio plerumque confunditur cum divisione in contractum gratuitum vel onerosum: *gratuitum*, quo una pars alteri aliquid mere gratuitum tribuit; *onerosum*, quo utraque pars alteri aliquid præstat, v. g. in venditione.

Q. *Quomodo subdividitur contractus onerosus?*

R. In contractum commutativum et aleatorium: *commutativum*, quo utraque pars dat rem aliquam in specie; *aleatorium*, quo una pars dat rem in specie, et altera pars dat non rem sed spem aliquid obtinendi.

Q. *Quid est contractus solemnis vel simplex?*

R. Talis est, prout requirit speciales legis formalitates, v. g. in matrimonio, testamento; vel dispositionibus tantum communibus subjicitur.

Q. *Quid est contractus nudus vel vestitus?*

R. *Nudus*, cuius obligatio est tantum in foro conscientiæ, quia in foro externo probari nequit, v. g. conventiones quæ absque scripto aut sufficientibus testimoniosis fiunt, aut pactiones in ludis.

Vestitus, qui in foro civili probari potest, v. g. contractus formalitatibus a lege requisitis vestitus.

Q. *Quid est contractus nominatus vel innominatus?*

R. Talis est, prout nomen proprium habet, qualis est v. g. contractus qui vocatur *emptio* aut *venditio*; vel nomine proprio caret, qualis est v. g. contractus dictus *do ut des*; *facio ut facias*.

Q. Quid est, juxta theologos et juxta jurisperitos, contractus proprius dictus vel quasi-contractus?

R. 1º Juxta theologos: est *proprie dictus*, quando datur ex utraque parte consensus *expressus*. Est *quasi-contractus*, quando consensus in rem conventam existit quidem realiter, sed est tantum *implicitus* aut *tacitus*; v. g. inter medicum et ægrotum, cui ille promittere censetur se facturum esse omne id quod ejus professio requirit.

2º Juxta jurisperitos: est *proprie dictus*, simul ac adest utriusque partis consensus, sive sit expressus sive tacitus, ut supra. Est *quasi-contractus*, quando ex una parte adest tantum consensus fictus, quem tamen lex positiva ut verum admittit seu fingit.

Hisce præmissis, præsentis tractatus est duplex pars: 1^a agens de conditionibus ad contractum requisitis; 2^a de contractuum effectibus.

PARS PRIMA.

DE CONDITIONIBUS AD CONTRACTUM REQUISITIS.

Hæ conditiones sunt 1^o consensus legitimus, 2^o conformitas cum lege civili, 3^o subjectum capax, 4^o materia apta.

Quatuor itaque sint desuper capita; quibus addimus quintum, circa *tempus* quo pleræque conditiones concurrere debent.

CAPUT I.

DE CONSENSU LEGITIMO.

Duplici articulo agimus 1^o de ejus dotibus, 2^o de viis oppositis.

Articulus I.

DE DOTIBUS LEGITIMI CONSENSUS.

5. — q. *Qualis consensus requiritur?*

r. Requiritur consensus 1^o internus, 2^o externus, 3^o mutuus, 4^o saltem virtualis, 5^o liber et deliberatus.

4. — q. *Quid est quod consensus debeat esse internus?*

r. Quod contrahens debeat interne velle consentire seu contrahere; ita ut non sufficiat consensus tantum *fictus*.

q. *An et ad quid tenetur ille qui ficte consensit?*

r. In foro *externo*, regulariter contractu tenetur; talis enim contractus ordinarie reputatur validus, quia delictum non præsumitur. Attamen, si fictio probetur, contractus reputabitur quidem invalidus, sed fingens tenebitur ad reparanda damna decepto illata.

In foro *interno*, tenetur reparare damna; quæ si aliter reparari non possint quam formando contractum, tenetur consensum internum præbere et contractui stare. Si autem contractus ficte initus executioni mandatus fuerit, nullum dominium de facto translatum fuit; ita ut deceptor sub levius habendus sit ut possessor bonæ, et deceptor ut possessor malæ fidei. Pars autem decepta ordinarie non tenetur credere asserenti se ficte consensisse.

q. *An adest consensus internus sufficiens in illo qui, volens quidem contrahere, 1^o non vult se obligare, vel 2^o habet animum non adimplendi?*

r. In 1^o probabilius *Negative*, quia conditio apposita contraria est substantiae contractus, cum obligatio sit contractui essentialis; idem foret si vellet tantum se obligare sub levi in materia gravi.

In 2^o *Affirmative*, quia potest consistere voluntas non adimplendi cum voluntate se obligandi.

5. — q. *Quid est quod consensus debeat esse externus?*

r. *Quod debeat signis externis consensum significantibus manifestari.*

Id autem certo requiritur a parte *offerentis* contractum, cum compars acceptare non possit, nisi ei exterius proponatur. An vero id requiratur a parte *acceptantis*, disputatur: quidam dicunt non valere contractum antequam acceptatio offerenti innotuerit; alii dicunt innotescere debere in contractibus bilateralibus, non vero in unilateralibus; sed probabilius dicendum quod, seclusa lege aut expressa intentione contrahentium, offerenti innotescere non debeat, et quod consequenter contractus perficiatur statim ac intentio offerentis alteri fuerit intimata et ab isto acceptata, cum tunc adsit plurium in idem beneplacitum consensus.

Dixi 1º *seclusa lege*: sic v. g. donatio, ex art. 952, vim non habet erga donatorem, nisi quando ei innotuit acceptatio; 2º *vel expressa intentione contrahentium*: nam contrahentes consensum usque ad notificationem acceptationis suspendere possunt.

Nota. Quamdiu consensus, qui juxta dicta exterius manifestandus est, sic manifestatus non fuerit, solum adesse censemur merum propositum; quod proin absque injustitia revocari potest.

6. — q. *Quid est quod consensus debeat esse mutuus?*

r. Cum contractus sit plurium in idem beneplacitum consensus, et cum sic utriusque partis consensus velut in unum coalescere debeat, requiritur 1º *consensus* ex utraque parte: i. e. in contractibus onerosis, requiritur cessio et acceptatio ab utraque parte, et in gratuitis, requiritur cessio ab una parte et acceptatio ab altera; 2º *consensus* in *idem beneplacitum*: i. e. tum in *idem objectum*, quod non esset v. g. si unus vendere *domum* et alter emere *agrum* intendant, ubi nulla foret

venditio; tum in eumdem *contractum*, quod non esset v. g. si domum unus vendere et alter *locare* intendant, ubi nec foret venditio nec locatio.

7. — Q. *Quid est quod ille consensus esse debeat saltem virtualis?*

R. Ad hujusmodi consensum non requiritur contrahendi intentio *actualis*, cum illa non semper sit in hominis potestate; non sufficit intentio *habitualis* vel *interpretativa*; sufficit ergo *virtualis* i. e. quæ, olim habita nec retractata, adhuc moraliter perseverat: talis enim sufficit in sacramentis et in variis actibus humanis, ergo et sufficere debet in contractibus.

Q. *Quamdiu perdurat consensus semel legitime praestitus?*

R. Perdurat donec revocatus fuerit, etiamsi inter consensum unius et consensum alterius longum temporis spatium intercedat.

8. — Q. *Quandonam consensus est liber et deliberatus?*

R. Quum contrahens, non tantum est sui compos, sed etiam agit cum deliberatione tali qualis ad peccatum mortale requiritur. Secus enim, non esset voluntas perfecta, sed tantum imperfecta vel nulla, et proin non foret nisi ad summum actus imperfectus, qui perfectam obligacionem parere non potest; recta enim ratio improbat quod quis obligetur ut homo, per actum quem non posuit nisi ut semi homo vel ut non homo.

Articulus II.

DE VITIIS CONSENSUI OPPOSITIS.

9. — Q. *Quænam sunt illa vitia?*

R. Sunt illa omnia quæ impediunt ne consensus talis existat qualem hic supra requiri vidimus; scilicet 1º a parte intellectus, error, ad quem reduci possunt dolus et læsio; 2º a parte voluntatis, vis aut metus,

§ I.

De errore, dolo et lassione.

10. — q. *Quænam sunt illa circa quæ in contractibus error versari potest?*

r. Error, juxta Gury, versari potest circa quinque sequentia :

1º Circa rei *substantiam*, v. g. si emas cuprum pro auro; 2º circa *naturam* seu *speciem* contractus, v. g. si sumas locationem pro venditione; 3º circa *qualitates* seu *accidentia* rei, v. g. dum equus est tardus qui reputatur velox; 4º circa *personam*, v. g. si des Petro, volens dare Paulo; 5º circa *motivum*, v. g. si des Caio ob ejus paupertatem vel pietatem, dum tamen est dives vel impius.

q. *Qualis generatim distingui potest error?*

r. 1º Est *essentialis* vel *accidentalis*, prout contractus substantiam vel tantum accidentia afficit. 2º Error *accidentalis* est *incidentis*, i. e. sine quo contractus equidem initus fuisset; vel *dans causam contractui*, i. e. sine quo contractus initus non fuisset.

q. *Dic generatim an error irritet contractum?*

r. 1º Error *essentialis* seu *substantialis* contractum irritat, ut patet.

2º Error *accidentalis*, si sit tantum *incidentis*, contractum non irritat; si vero sit *dans causam contractui*, probabilius irritat contractus gratuitos, non vero onerosos, quos tamen reddit rescindibiles, ut statim dicetur.

Duplex hoc responsum jam applicamus quinque casibus modo datis, scilicet :

11. — q. *An contractum irritat error, si versetur circa rei substantiam vel circa contractus naturam?*

r. *Affirmative*, ut patet, quia nullus est consensus actualis in hoc duplice casu, cum rem omnino diversam respiciat.

Q. An, si versetur circa solam rei qualitatem?

R. 1º Si error sit *incidentis*, i. e. si, cognito errore, contractus equidem initus fuisset, *Negative*, cum tunc adsit consensus circa objectum principale conventionis.

2º Si error sit *dans causam*, i. e. si, cognito errore, contractus initus non fuisset, distinguendum est, juxta modo dicta, inter contractus gratuitos et onerosos. Probabilis irritat contractus *gratuitos*, cum hi omnimodam spontaneitatem requirant; vel saltem, juxta omnes, hi ad nutum errantis sunt rescindibiles. Probabilis vero non irritat *onerosos*, quia talis error non impedit cognitionem nec consensum relate ad rei substantiam; secus tamen si qualitas intendatur velut *conditio sine qua non*, cum tunc in rei substantiam transeat; v. g. si, te vestire intendens in nigris, a venditore petieris et emeris pannum nigrum, ille vero tibi postea transmittat pannum alterius coloris.

Q. An, si versetur circa personam?

R. *Affirmative* ordinarie contractus gratuitos, cum in his persona donatarii a donatore specialiter intendi soleat.

Negative contractus onerosos, quia in his error ille mere accidentalis est; excepto matrimonio, in quo persona est contractus objectum, et sic ad substantiam pertinet.

Q. An, si versetur circa motivum?

R. *Affirmative* si circa motivum determinans seu *finale*, v. g. si des eleemosynam Petro diviti quem pauperem putabas; *Negative* si circa motivum *impellens* tantum, v. g. si des eleemosynam Paulo pauperi minus probo quem vere probum putabas.

12. — Q. *Quid est dolus?*

R. Est machinatio adhibita ad fallendum alterum.

Nota. Dolus cum simplici *errore* connectitur in hoc, quod effectus doli sit error. Unde, ultra errorem, dolus includit injuriam, quae in omni casu, etiam ubi con-

tractus nec irritus nec rescindibilis foret, locum dat compensationi damnorum.

q. *Quid circa contractus efficit dolus?*

r. Videndum est qualem errorem dolus producat. Igitur, juxta dicta N° praecedenti, 1° si dolus producat errorem substantialem, irritat; 2° si producat errorem accidentalem qui sit *incidens*, nihil efficit, nisi obligationem compensandi damna ex dolo secula; 3° si vero producat accidentalem qui sit *dans causam*, probabilius irritat vel saltem rescindibiles reddit contractus gratuitos; onerosos vero, saltem ordinarie, non irritat.

13. — q. *Quid est læsio?*

r. Est damnum quod in contractibus onerosis patitur unus e contrahentibus, quia æqualitas non servatur, i. e. quia id quod ab uno acceptum est, maximum pretium rei superat, aut minimum non exæquat.

Læsio ad errorem reducitur, quia errorem supponit in eo qui læsus est.

q. *Ad quid lædens tenetur in foro interno?*

r. Etsi non invalidus sit contractus, quia non adest error substantialis, nihilominus tenetur lædens ad reparationem inæqualitatis; et si dolum adhibuerit, ad reparandum damnum inde secutum.

q. *In quibusnam casibus jus civile concedit contractus rescissionem ob læsionem?*

r. Non in omni casu læsionis, quia sic innumeris litiibus janua aperiretur; sed id concedit in sequentibus casibus, tum quoad maiores tum quoad minores:

Quoad *maiores*: 1° in variis partitionibus, si læsio superet quartam partem (*lésion de plus d'un quart*): v. g. de summa 24,000 fr. dividenda inter tres, si unus, loco 8,000, acciperet minus quam 6,000; hocque valet in materia hæreditatis, communitatis inter conjuges, et inter socios; 2° in venditione immobilium, si læsio superet

septem duodecimas (*les sept douzièmes*): si v. g. vendas domum, cuius pretium maximum in venditionis momento estimatur ad 12,000 francos, eamque vendas pretio plusquam 17,000 francorum, potest læsus qui emit, contractus rescissionem petere.

Quoad minores: minor non emancipatus potest obtinere rescissionem in omnibus conventionibus ob læsionem; si vero sit emancipatus, potest in conventionibus quæ ejus capacitatem excedunt. Vide infra, N° 25.

§ II.

De vi aut metu.

14. — In tractatu *De Actibus Humanis*, N^o 24 et seqq., dicitur quomodo metus dividatur et quid operetur relative ad voluntarium et moralitatem. Jam vero illa principia applicantes materiæ contractuum, inquirimus quidnam relative ad eos operetur metus sive gravis sive levis.

Q. *Quandonam contrahens cum metu gravi contrahit valide vel invalide?*

R. 1º Certo invalide contrahit iniens contractum ex metu qualicumque qui *usum rationis ita perturbat* ut in agente non linquat voluntarium tale quale ad peccatum mortale requiritur. Ita ex omni jure, quia deficit consensus, ut supra requisitus.

2º Valide contrahit, si gravis metus oriatur a causa *necessaria*, tum intrinseca v. g. ex morbo, tum extrinseca v. g. ex naufragio; vel si oriatur ex causa *libera sed justa*, v. g. si stuprator ex metu gravi ducat pueram quam seduxit: ratio est, quia nulla injuria ita contrahenti erogatur et ille sufficientem servat libertatem.

3º Si metus gravis oriatur a causa libera *injusta*, seu si injuste incutiatur in ordine ad extorquendum consensum seu contractum, est triplex sententia circa valorem contractus:

Prima dicit esse invalidum, quia secus, ex injustitia oriaretur justitia seu jus in incutiente metum.

Secunda invalidos dicit contractus gratuitos, cum ex omnimodo sponteitate fieri debeant; validos vero onerosos.

Tertia, probabilior et communissima, cum Lig. dicit tales contractus, sive gratuitos sive onerosos, esse quidem ob injuriam rescindibiles; sed esse de se validos, tum jure naturæ tum jure positivo: *jure naturæ*, quia, ut *De Actibus Humanis*, N° 25, dictum est, metus gravis non tollit simpliciter voluntarium; *jure positivo* seu *canonicō*, quod declarat tales contractus esse rescindendos, ergo eos ut validos habet. Dixi esse validos *de se*; nam per accidens excipiuntur sequentia, quæ a jure canonico declarantur invalida, scilicet 1º matrimonium, et probabilius sponsalia; 2º professio religiosa (et, juxta interpretationem communem theologorum, idem probabilius tenetur quoad omnia vota; vide *De 2º Decalogi Praecepto*, N° 50); 3º absolutio a censuris, et jurisdictione ecclesiastica; 4º traditio rerum ecclesiæ, et renuntiatio beneficij.

Nota. Idem ac supra resolvendum est, si metus gravis injuste incutiatur *a tertio* aliquo; sicque valet v. g. emptio gladii, facta a te ex metu hostis tui; item promissio pecuniae quam cuidam facis si ille te e manibus latronis liberet.

Q. *An contractus ex metu levi initus, rescindibilis est?*

R. Disputatur. Sed cum Lig. probabilius *Negative*, neque in foro externo neque interno. Ratio est, quia sic contrahens non censetur consensisse ex metu, qui facile contemni potuisset, bene vero sponte, sicque metus undique levis in jure pro nullo reputatur; deinde, secus, gravissima incommoda pro commercio humano sequentur, cum metus levus frequentissimus sit.

Attamen, juxta sententiam quam Lig. vocat communiorum et probabiliorem, sponsalia contracta ex metu levi

qui dederit causam contractui, etsi reputentur valida, sunt a parte metum passi rescindibilia per judicis sententiam, ex maxima libertate quam requirunt sponsalia. Vide *De Matrimonio*, N^o 2.

CAPUT II.

DE CONFORMITATE CONTRACTUS CUM LEGE CIVILI.

Juxta Carrière, tria sunt indaganda: 1^o quæstio juris, nempe de auctoritate legis civilis in contractus; 2^o quæstio facti, nempe de efficacia variarum legis civilis dispositionum; 5^o quoad contractus initos in fraudem legis. De his triplici dicimus paragrapho.

§ I.

De auctoritate legis civilis.

15. — q. *Quotuplex distingui potest lex civilis seu statutum circa contractus?*

r. Distinguitur triplex, scilicet statutum *personale*, vel *reale*, vel *attestatorium*, prout immediate respicit contrahentium personam, vel bona, vel formas contractus.

Statutum *personale* respicit *personam*, ei imprimendo aliquam qualitatem, v. g. eam quoad contractum habilem vel inhabilem faciendo; *reale* respicit *bona*, statuendo v. g. de eorum disponibilitate, transmissione, etc.; *attestatorium* respicit *formas* seu *solemnitates* in confectione actus adhibendas, ut de ejus validitate et legitimitate constet.

Sit exemplum sequens, quo intelligatur contractum quandoque regi posse legibus variarum regionum: si, v. g. gallus ineat contractum in Anglia, de bonis in Belgio sitis, et contractus habere debeat quosdam effectus in Germania.

Jam vero, inter varias variarum nationum leges, inquiritur *quibusnam legibus* regi debeat contractus.

16. — Imprimis, en desuper principium fundamentale: Quaelibet gens attingere potest tantum *proprium territorium*, i. e. omnes personas in ejus territorio degentes, omnia bona ibi sita, et omnes actus seu contractus ibi initos.

Hujus autem gentis leges extendi non possunt ad territorium aliarum nationum, nisi illæ nationes expresse consentiant vel tacite patientur has leges apud se vim habere. Unde practice, inter varias gentes a quibus contractus pendere possunt, sedulo investigandum est quid admissum fuerit vel non, aut quænam restrictiones fuerint appositæ.

Jam vero, ad hoc principium fundamentale explanandum et applicandum, idque juxta legislationem inter præcipuas gentes vigentem, tria poni possunt principia particularia, quoad statutum tum reale, tum persononale, tum attestatorium; ex quibus colligi potest *cujusnam loci* statutis seu legibus obtemperandum sit. Itaque,

1º Quoad statutum *reale*. Ubi cumque fiat contractus, standum est statuto reali illius loci *in quo sita sunt bona de quibus contrahitur*, saltem si de *immobilibus* agatur; nam hujus loci princeps dominium altum habet in illa bona immobilia. Quod autem spectat *mobilia*, non omnino constat. Vide *De Legibus*, N° 19.

2º Quoad statutum *personale*. Ubi cumque fiat contractus, standum est regulariter statuto personali illius loci *in quo contrahentes habent domicilium habitationis*; nam non desinunt subesse legibus personalibus seu subesse suo principi, etiam quum ab ejus territorio transitorie absunt; idque postulat bonum publicum. Dixi: *domicilium habitationis*; sed aliud est de contractu matrimoniali, qui subjecitur, non præcise domicilio habitationis, sed domicilio

matrimoniali, i. e. domicilio quod habebant vel elegent contrahentes tempore contractus.

5º Quoad statutum *attestatorium*. Ubi cumque fiat contractus, *regulariter standum est statutis attestatoriis*, seu sequenda est forma illius loci *in quo contractus celebratur*; saltem ita agere licet. Nam quum actus censeatur ibi nasci, æquum est ut ibi formam desumat, juxta axiomam: *Locus regit actum*; sed, cum non constet an hoc axioma habendum sit ut imperativum an tantum ut facultativum, ideo dictum est quod saltem sic agere liceat.

Dixi *regulariter*: nam duplex datur exceptio: 1º quoad matrimonium, si scilicet contrahatur coram proprio parrocho in loco ubi contrahentes non habent domicilium, non standum est legibus loci ubi celebratur; 2º quoad actus privatos (*sous seing privé*), non omnino constat; cum enim in his nulla forma determinata prescribatur, disputatur an iis applicandum sit axiomam: *locus regit actum*; id tamen Mourlon *Affirmat* probabilius et communius, ut *De Legibus*, № 49, dictum est.

17. — Q. *An lex civilis seu princeps irritare potest contractus in foro conscientiae, etiam ante sententiam judicis?*

R. Excepto matrimonio, quod de ejus foro non est, probabilius *Affirmative*, quia id exigit bonum commune, et quia, ex generalibus verbis s. Pauli *obediendum esse principibus*, leges irritantes, non secus ac aliæ leges, conscientiam attingere debent; et si, fatentibus adversariis, id potest judex auctoritate a principe accepta, vere id potest princeps ipse, ante sententiam judicis.

Q. *Quænam variae species nullatum civilem distinguunt?*

R. Est quadruplex divisio:

1º Nullitates *pœnales* vel *directive*, prout decernuntur in pœnam criminis, vel ob motivum boni publici.

2º Nullitates quæ attingunt ipsum *pactum*, vel illius

instrumentum seu formam: nam fieri potest ut valeat pactum, licet irritum sit instrumentum; et vice versa, ut valeat instrumentum, licet irritum sit pactum. Imo id sæpe evenit.

5º Nullitates *pleni juris*; nullitates *juris*; nullitates simpliciter dictæ (*action en nullité*); et nullitates *rescissionis*, (*action en rescission*).

Nullitates *pleni juris* sunt eæ quæ non requirunt sententiam judicis, et apponi possunt quolibet tempore et contra eos omnes qui vellent initi actui irrito; v. g. si desit quid essentialiter requisitum, puta consensus, objectum certum, causa licita, vel forma essentialis in testamentis, in pacto matrimoniali, in hypothecis; tunc non adest existentia legalis, et proin nullitas pronuntiari non debet.

Nullitates *juris* locum habent, quum lex ita violata fuit evidenter, ut judex nihil aliud facere debeat quam nude declarare seu ostendere legem tali facto fuisse violatam; quales sunt v. g. actus initi cum interdicto. Non sunt tamen nullitates *pleni juris*, cum actus convalescere possint, si nullitas non postuletur intra decennium.

Nullitates simpliciter dictæ locum habent, quando causæ nullitatis sunt dubiæ, ita ut de iis a judice sit pronuntiandum. Hi actus, ante judicis sententiam, non sunt irriti, sed potius præsumuntur validi; tales sunt v. g. actus qui præcesserunt judicium interdictionis, actus initi ex errore, dolo aut metu.

Rescissio est species nullitatis simplicis, a qua distinguitur in hoc quod proveniat a *læsione*; ac proinde locum habet in favorem illius qui probare potest actum sibi nocuisse.

Si *nullitas simplex* vel *rescissio* a judice declaretur adfuisse, hæc judicis sententia habet effectum retroactivum, i. e. effectum quo actus censentur ab initio irriti, adeo

ut partes in eodem statu reponantur ac si actus non extitissent.

4º Nullitates *absolutæ* vel *relativæ*, prout apponi possunt ab omnibus quorum interest, vel tantum a quibusdam personis a lege determinatis.

Generatim, censentur *absolutæ* si lex, sine distinctione personarum, pronuntiet nullitatem, vel si nullitas fundetur in motivo boni publici. Nullitas vero *relativa* spectat primario utilitatem privatorum, et tantum secundario utilitatem publicam.

Tractanda jam venit quæstio 2^a, nimirum quamnam hæ variæ nullitates vim habeant in conscientia.

§ II.

De efficacia legis civilis.

18. — Desuper statuuntur septem sequentia principia:

Q. 1º *Quamnam vim in conscientia habet nullitas, si fundetur in lege determinativa proprietatis?*

R. Vim habet talem ut actus sub hac nullitate sit irritus in foro conscientiæ, ante sententiam judicis; nam, cum ad legem civilem pertineat proprietates determinare, ille qui ponit talem actum, disponit de re non sua. Sic est v. g. de thesauris, de præscriptione, de uxore disponente quoad bona quorum proprietatem lex soli marito concedit, de donatione partis reservatae (*de la réserve*).

Q. 2º *Quid, si lex, pronuntians nullitatem, fundetur in præsumptione facti?*

R. Actus validus est in foro conscientiæ, si factum non existat; nam sententia nixa falso fundamento nulla est, et proin, secluso scandalo vel perturbatione ordinis publici, non obligat. Dictum est in *præsumptione facti*: nam validus est actus si lex vel sententia fundetur in *præsumptione periculi moralis*, licet in casu particulari non existat malum quod timetur.

Q. 3º *Quid, si lex irritet actum ut nocivum ordini publico, aut contrarium bonis moribus?*

R. Actus est irritus in conscientia, ante sententiam judicis. Ita est v. g. in contractu matrimoniali si stipuletur uxorem futuram esse familiae ducem; pariter in contractibus ob causam ex utraque parte illicitam, vel sub conditione turpi; etiam in actibus initis in fraudem legis.

Q. 4º *Quid, si lex, actum irritans simpliciter, fundetur immediate motivo boni publici?*

R. Actus est irritus in foro conscientiae, ante sententiam judicis.

Dico 1º *in foro conscientiae*: nam legislator, sic irritando, promovere vult bonum publicum; atqui, si actus ille valeret in foro conscientiae, improbi, cum obligationem conscientiae parvipendant, eam saepe violarent, idque cum laesione proborum, et sic lex aliquando nociva evaderet, praecipue probis.

Dico 2º *ante sententiam judicis*: si enim necessaria sit sententia, multiplicabuntur lites; imo probi et pacifici, qui lites timent, sententiam judicis provocare deterrebuntur, sive lex inutilis evadet, praecipue iis quibus potissimum favere deberet.

Q. 5º *Quid, si lex, irritans actum, fundetur immediate motivo boni privati?*

R. Contractus non est absolute invalidus; sed est resolubilis in foro conscientiae ante sententiam judicis, ad nutum illius in cuius utilitatem lex constituta est, per totum tempus a lege concessum.

Dico 1º *non est absolute invalidus*: nam illa nullitas non est nisi conditionata, ea scilicet conditione si invocetur, idque tempore competenti, ab iis quibus lex favere intendit.

Dico 2º *est resolubilis..... Ergo ille cuius interest, potest recusare executionem contractus, non petita judicialiter*

rescissione; qua recusatione non facta, potest altera pars in conscientia illo actu uti.

Q. 6º *Quid, si lex, pronuntians nullitatem, pro objecto habeat solum instrumentum seu actuum formas?*

R. Actus in se validus est in foro conscientiae. An tamen hoc applicandum sit variis solemnitatibus a lege sub poena nullitatis præscriptis, præcipue pro donationibus et testamentis, statim dicetur.

Q. 7º *Quid, si nullitas feratur tantum in poenam delicti?*

R. Ordinarie non producit effectum ante sententiam judicis, ut *De Legibus* dictum est. Secus tamen, si nullitas simul directe fundetur motivo boni publici, ut supra hocce N°, quæstione 4ª, dictum est; idque in quibusdam impedimentis matrimonii locum habet.

Tandem, per modum corrolarii ex his septem principiis deducimus sequentia:

Nullitates respicere possunt vel disponibilitatem bonorum, vel capacitatem seu habilitatem personarum, vel formas in actu exhibitas. Igitur:

1º Nullitates quæ respiciunt *disponibilitatem bonorum*, generatim vim habent in conscientia ante sententiam judicis, quia plerumque fundantur lege determinativa proprietatis vel motivo ordinis publici.

2º Nullitates quæ respiciunt *capacitatem personarum*, sunt duplicis classis: aliae primario insitutæ sunt in utilitatem quarundam personarum, v. g. minorum aut interdictorum, et contractum rescindibilem reddunt ad harum personarum nutum; aliae immediate fundantur motivo boni publici, et contractum prorsus irritant.

3º Quoad nullitates quæ respiciunt *formas actuum*, quoque distinguendum est inter conventionis instrumentum et inter formas solemnes. Itaque,

4º Quando nullitas non respicit nisi conventionis *instrumentum*, i. e. quando forma non præscribitur nisi

ut de conventione constet, v. g. in venditione et in contractibus non solemnibus, contractus valet in conscientia.

2º An vero in conscientia valeant donationes et testamenta, formis a lege civili sub poena nullitatis destituta, disputatur. 1ª Sententia *Affirmat*, quia lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget. 2ª Sententia *Negat*, quia illae leges irritantes fundantur in præsumptione doli et periculi communis, sicque tollere censetur obligationem naturalem contractuum in foro externo irriterum. 5ª Sententia, media, quæ juxta Lig. est practice tenenda, dicit hos contractus non esse omnino nulos, sed eos valere ad hoc, quod possessor potest rem retinere donec per judicis sententiam condemnetur, et quod eam restituere tenetur post judicis sententiam. Vide *De Contractibus in specie*, N° 20.

Cæterum, in hac quæstione agitur tantum de causis profanis; si enim agatur de causis piis, quæ proinde potestati ecclesiasticae non vero civili subsunt, certum est, ait Gury, idque ex variis sacræ Pœnitentiariæ responsis probatur, has dispositiones, etsi formis legis civilis destitutas, valere in conscientia. Idem dicendum est de dispositionibus compensatoriis vel remuneratoriis: nam priores sunt solutio debiti stricti; posteriores, solutio debiti, non quidem stricti, sed naturalis.

§ III.

De contractibus initis in fraudem legis.

49. — q. *Quis dicitur agere in fraudem legis?*

r. Ille qui facit aliquid quod cum observatione legis conciliari nequit, et menti legis contrarium est quamvis cum ejus verbis concordare videatur.

Ergo, ut adsit *fraudus*, requiritur ut vere id fiat quod lex impedire voluit. Hinc, non sufficit intentio se legi subtrahendi; et sic, qui facit quod necessarium est ut legi

non sit subjectus vel eam reapse non infringat, proprie fraudem non committit sed simpliciter utitur jure suo.

Q. *Quid judicandum de valore actus initi in fraudem legis irritantis?*

R. Actus ille est irritus in conscientia ante sententiam judicis. Est *irritus*, quia bonum publicum id postulat, et quia perinde est ac si lex ipsa violata fuisset; et quidem in conscientia ante..., quia secus, lex scopum suum non attingeret, cum hujusmodi fraudes saepe ita dissimularentur ut in foro externo vix detegi aut probari possent.

Q. *Quibus modis agi potest in fraudem legis irritantis?*

R. Tribus: 1º de re ad rem, 2º de persona ad personam, 3º de contractu ad contractum; quibus alii addunt, 4º de loco ad locum.

Jam, ad hos modos explicandos, sint tres numeri sequentes.

20. — Q. *Quandonam contingit fraus 1º de re ad rem?*

R. Quando, loco rei prohibitæ, datur alia res æquivalens. Sic v. g. in *cessione bonorum*, si debitor, intra 10 dies præcedentes cessionis declarationem, intra quos irrita est solutio summarum, tradat creditori merces, etc., loco pecuniae.

21. — Q. *Quandonam contingit fraus 2º de persona ad personam?*

R. Quando quis, favere volens personæ prohibitæ, dat alteri seu personæ *interpositæ*, sed ea conditione explicita vel implicita ut ille alter tradat priori: estque id quod a lege nuncupatur prohibita personæ *substitutio*. Res autem sic data pertinet, non ad personam prohibitam nec ad personam interpositam, sed ad donatorem vel ejus hæredes.

Q. *Quænam dantur species personarum interpositarum?*

R. Duplex, nempe interpositæ *legaliter*, et interpositæ *de facto*.

1º Interpositæ *legaliter* sunt illæ quæ articulo 911 ut interpositæ censentur: Seront réputées personnes inter-

posées les père et mère, les enfants et descendants, et l'époux de la personne incapable; item quædam aliæ juxta articulum 1100.

2º Interpositæ *de facto*, sunt omnes aliæ ac memoratæ, de quibus probandum est eas interpositas fuisse.

Certo autem adest interpositio, si inter donatorem et donatarium apparentem adfuerit pactum explicitum vel implicitum, i. e. si donatarius se obligaverit ad rem tradendam incapaci; vel, licet ille se non obligaverit, si donator manifestaverit se non donare nisi *cum onere et sub conditione* tradendi personæ incapaci.

Disputatur autem de duobus casibus sequentibus:

1º Si donator dederit simpliciter, voluntatem non manifestans, sed donatario moraliter certo constet donatoris intentionem fuisse ut res tradatur incapaci: probabilius, juxta Carrière, non potest donatarius rem accipere, si judicet donatorem absolute *voluisse* ut res tradatur incapaci. Dico *voluisse*, nam,

2º Si judicet donatorem tantum *desiderasse* ut incapaci tradatur, vel si donator dicat tantum se desiderare et sperare ut tradatur vel provideatur incapaci, hujusmodi casus, juxta Carrière, non videtur esse contra legem; idque per analogiam cum substitutionibus, de quibus infra, quæ constitui non videntur per meram donatoris postulationem vel desiderium.

22. — q. *Quandonam locum habet fraus 5º de contractu ad contractum?*

r. Quando contractus, quem vere intendunt contrahentes, occultatur sub specie apparenti alterius contractus; v. g. si donator rem quam simulat se *vendere*, revera *donet*, tum ad favendum personæ cui donare, non vero cui vendere, prohibitum est; tum ad excedendam partem disponibilem; tum ad illudenda tributa (*les droits d'enregistrement*), quæ majora sunt in donatione erga extra-

neos quam in venditione; tum ne concitetur invidia eorum quibus non fit similis donatio, etc.

Q. An talis fraus irritat contractum?

R. 1º Si inveniatur actum a partibus intentum, esse contra legem irritantem, quia v. g. lex actum cum tali persona vel de tali objecto prohibet, pronuntiabitur adesse nullitatem, quia vere violata est lex irritans, juxta articulum 911.

2º In casu autem quo lex actum, qui quidem non est contra legem irritantem, nihilominus irritet ut simulatum, *in pœnam simulationis et fraudis*, probabilius adest nullitas.

3º Disputatur de valore donationis occultatae sub specie venditionis, quamvis non fiat in gratiam incapaci nec ultra portionem disponibilem. Sed, juxta Carrière, probabilius valet; quia non est fraus contra legem quando fit simulate id quod fieri potuisset aperte; et articulus 951 præscribens formam donationis, non respicit nisi donationes expressas. In hoc casu adest, juxta varios, venditio rei cum donatione pretii; sed, juxta Carrière, dici potius debet vera rei donatio, que, licet destituta sit formis donationis, ut valida agnoscatur.

Q. Quandonam, saltem juxta varios, contingit fraus de loco ad locum?

R. Quando quis, ad se subtrahendum legis imperio, tendit in alium locum ubi talis lex non viget. Sed ejusmodi agens, ut supra dictum est, modo faciat omne id quod necessarium est ad se legis imperio subtrahendum, utitur jure suo; et sic, proprie fraudem non committit, actusque ejus validus est.

CAPUT III.

DE SUBJECTO CAPACI.

25. — q. *Quinam, jure naturali, contrahere possunt?*

r. Illi omnes et soli qui rationis usum liberum habent; quia isti soli dominium bonorum suorum transferre et obligationes suscipere possunt. Hinc contrahere non valent infantes usu rationis nondum fruentes, amentes et furiosi, aut perfecte ebrii.

q. *Quinam, jure civili, contrahere possunt?*

r. Illi omnes qui, praeter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, quae de jure naturali exiguntur, etiam liberam habent bonorum dispositionem seu a lege non declarantur contractus incapaces.

q. *Quinam generatim ad contractus incapaces declarantur?*

r. Declarantur incapaces contrahendi, saltem *in multis* aut *firmiter*, 1º minores, 2º interdicti aut concilio judicario subjecti, 5º uxores; de quibus jam triplici paragraphe agendum est.

§ I.

De minoribus.

24. — q. *Quinam vocantur minores?*

r. Ita vocantur filii et filiæfamilias qui *ætatem* lege præfixam non attigerunt, ut, seclusa patris aut tutoris aut curatoris auctoritate, *civiliter* agere valeant.

q. *Quenam, jure gallico, ætas exigitur?*

r. Ad majoritatem exigitur ætas 21 annorum completorum. Attamen, respectu matrimonii contrahendi, *masculi*, qui habent parentes aut ascendentēs, non reputantur majores nisi ad ætatem 25 annorum pervenerint.

Q. *Quomodo jure civili dividi possunt minores?*

R. Minores alii sunt emancipati, et alii non emancipati.

Non emancipatus est minor qui simpliciter subjicitur auctoritati patris vel tutoris, per quos in actibus civilibus repræsentatur.

Emancipatus est minor qui ab *auctoritate* patris vel tutoris, per beneficium emancipationis, liberatus est, ita ut civiliter agat nomine proprio; ea tamen restrictione quod, in variis actibus, indigeat assistentia curatoris, vel concilii familiæ, vel tribunalis; sicque medium locum tenet inter majorem et inter minorem sub tutela.

Q. *Quotupli modo fieri potest emancipatio?*

R. Modo dupli, videlicet tacite vel expresse. Fit *tacite*, ipso jure, per minoris matrimonium. Fit *expresse*, tum per ejus patrem vel, eo defuncto, per matrem, si minor habeat 15 annos completos; tum per concilium familiæ, approbante et assistente judice, si minor, utroque parente orbatus, habeat 18 annos completos.

Q. *Quomodo jure romano et canonico dividi possunt minores?*

R. Minores alii sunt puberes, et alii impuberes. *Impuberes* sunt pueri qui 14, et puellæ quæ 12 annos completos nondum attigerunt; vocanturque *pupilli* si, orbati patre, sub tute sint. *Puberes* dicuntur qui ad præfatam ætatem pervenerunt.

25. — Q. *An igitur, juxta legem civilem, contrahit licite minor, tum non emancipatus tum emancipatus, qui de bonis propriis nomine proprio contrahit?*

R. *Non emancipatus* contrahit generatim illicite, cum lex ei generatim prohibeat contrahere sine assistentia patris vel tutoris.

Emancipatus contrahit illicite in iis tantum a lege deter-

minatis casibus in quibus indiget assistentia curatoris, vel concilii familiæ, vel tribunalis.

Q. Quid civiliter judicandum est de validitate et firmitate talium actuum prohibitorum, a minoribus positorum?

R. Hi omnes actus, si excipias donationis acceptationem præscriptis solemnitatibus destitutam, reputantur per se validi; sed possunt quandoque esse rescindibiles a parte minoris, non vero a parte eorum qui cum eo contrarerunt, cum hi ejus incapacitatem invocare nequeant.

Q. In quibusnam casibus, juxta mentem legis, a parte minoris sunt rescindibiles, in quibusnam vero rescindibiles non sunt illi actus?

1° R. Sunt certo rescindibiles, saltem *regulariter*, in casu læsionis, juxta axioma: Minor restituitur, non ut minor, sed tamquam læsus; et juxta art. 1505: La simple læsion donne lieu à la restitution en faveur du mineur non émancipé, contre toutes sortes de conventions; et en faveur du mineur émancipé, contre toutes les conventions qui excèdent les bornes de sa capacité.

2° Probabilius *non sunt* rescindibiles extra casum læsionis; idque contra Carrière et varios, qui tenent quosdam insuper actus esse rescindibiles ad nutum minoris; sed hoc videtur, juxta mentem legis, probabilius *Negandum* (vide notulas, hujus auctoris *Compendio* adjectas); idque a fortiori negandum est, si contractus non tantum minorem non lædat, sed e contra illi prosit, cum lex minori favere semper intendat.

Dixi, in primo responsionis membro, hos actus minoris in casu læsionis esse rescindibiles *regulariter*. Sed, *per accidens*, non sunt rescindibiles, etiam supposita læsione, 1° si minor, commercium aut artem exercens, de rebus hue pertinentibus contrahat; 2° si læsio contingat ex eventu fortuito et improviso, v. g. si domus incendio pereat; 3° si obligatio proveniat ex minoris delicto aut quasi delicto, v. g. si dolo, puta falso actu nativitatis, alteri persuaserit

se esse majorem; secus tamen est de sola affirmatione se esse majorem, vel se commercium exercere; 4º neque actus in minoritate positi quos, major factus, ratos habuit.

Q. *Si minor, in casibus sibi generatim prohibitis, cum aliquo contraxerit, dic quid liceat vel non liceat in conscientia 1º isti contrahenti, 2º minori.*

R. 4º *Contrahens* potest contractui stare, donec nullitas a minore aut ab ejus patre aut tute invocetur; sed sufficit postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando læsio est omnino aperta, tuncque rescissionem differre non potest usque ad sententiam judicis.

2º *Minor* tuta conscientia potest uti beneficio legis seu rescissionem invocare, cum lex in ejus favorem lata sit. Sed id in conscientia non potest, etiamsi lex id ipsi permetteret, si sit in mala fide; sic v. g. rescissionem postulare non posset ut eximatur a restitutione pecuniae quam mutuo accepit et dilapidavit; tenetur enim adimplere obligationem quam certo novit dum pecuniam postularet et reciperet; et proinde nullatenus prætendere valet se læsum fuisse ex eo quod ex mutuata pecunia nullum emolumenntum percepit.

Nota. Quædam restrictiones necessario admittendæ sunt in iis quæ de inhabilitate minorum dicta sunt. Sic, contractus *firms* ineunt minores sequentes: 1º qui contrahunt de rebus quæ liberæ eorum voluntati relinquuntur, v. g. qui disponunt de pecunia ad emendos fructus vel alia id genus; 2º qui, studiorum causa, a domo paterna absunt et faciunt contractus necessarios ut suis necessitatibus provideant; item hi qui ad parentes vel tutorem recurrere non valent, urgente necessitate, v. g. in morbo in regione aliena: secus, lex quæ in eorum utilitatem sancita est, contra eos converteretur, et lex ipsa civilis plerumque admittit validitatem talium contractuum.

§ II.

De interdictis et de subjectis concilio judiciario.

26. — q. *Quandonam generatim adest locus interdictioni vel instituendo concilio judiciario?*

r. Quando major, ex infirmitate morali, incapax est ad bona sua administranda; tunc huic incommodo lex medetur per interdictionem vel per concilium judiciorum.

q. *Quinam interdictionem vel concilium judiciorum provocare possunt?*

r. Id potest conjux, vel quilibet consanguineus, vel procurator regius.

Causa defertur ad tribunal 1^o instantiae, quod vel pronuntiat *interdictionem*, si adsit habitualis status imbecillitatis, dementiae vel furoris; vel assignat *concilium judiciorum* in casu quo, licet causa non tam gravis videatur, attamen satis periclitatur recta bonorum administratio; item in casu *prodigalitatis*.

27. — q. *Quid lex civilis statuit de valore contractuum seu actuum initorum ab interdicto?*

r. Hi actus positi sunt, vel post vel ante judicium interdictionis.

Si *post*, sunt ipso jure irriti, seu adest *nullitas juris*, de qua supra, N^o 17, dictum est, idque independenter a læsione.

Si *ante*, tunc 1^o vel eorum nullitas postulatur adhuc *vivente interdicto*: et actus, etsi non sint ipso jure irriti, irritari possunt a judice, si causa interdictionis notoria esset tempore quo initus est contractus; 2^o vel postulatur jam *mortuo* illo qui interdici potuisset aut debuisse:

atque in hoc supposito contractus onerosi ab eo initi, ob dementiam impugnari possunt solum in duplice casu, juxta art. 504, nempe, si interdictio jam postulata fuerit ante ejus mortem, vel si ex ipsomet actu colligi possit dementia; contractus vero gratuiti seu donationes et testamenta, juxta sententiam communiorum, in omni casu dementiae, juxta art. 901, impugnari possunt.

q. *Quid lex civilis statuit de valore actuum initiorum a subjectis concilio judicario?*

r. Subjecti illi non possunt, absque assistentia concilii judicarii, ponere quosdam actus art. 499 et 515 contentos; cæteros vero actus ponere possunt, et sic differunt ab interdictis.

Jam vero, si ab eis initi fuerint ejusmodi actus prohibiti, pariter distinguendum est an id fuerint *post* an vero *ante* judicium interdictionis. Si *post*, sunt ipso jure irriti, ut de interdictis; si *ante*, impugnari non possunt 1º in casu prodigalitatis, neque probabilius 2º in casu dementiae quoad contractus onerosos, cum articulus 503 non loquatur de concilio judicario; attamen tunc recurrere licet ad art. 901, quoad donationes et testamenta, ut modo supra.

q. *An supradictæ nullitates civiles, in casu interdictionis vel concilii judicarii, admitti possunt in conscientia?*

r. *Affirmative*, juxta principium, N° 18, datum de lege irritante primario fundata motivo boni *privati*, cum hæ nullitates statutæ sint in gratiam interdictorum et concilio judicario subjectorum; unde, illi rescissionem petere possunt, sicuti id possunt minores, cum hac differentia quod priores id petere possint independenter a læsione.

§ III.

De uxoribus.

28. — Q. *Quodnam est principium generale codicis, circa capacitatem uxoris ad contrahendum?*

R. Est sequens: *uxor, ordinarie, non potest disponere inter vivos, sine consensu speciali mariti vel sine auctoritate judicis.* — Hoc principium generale jam per partes explanandum est. Itaque,

Dico 1º *ordinarie*: nam quatuor sequentes dantur species exceptionum, scilicet,

1º Ad determinandum quidnam possit vel non possit *uxor, inquirendum est qualem inierit contractum matrimoniale.* Igitur, quamvis *uxor, sub quocumque regimine, sine licentia viri vel judicis, non possit alienare immobilia, vel stare in judicio; et quamvis in regimine communitalis utriusque vel in regimine exclusivo communitalis vel in dotali* (vide tractatum *De Justitia*, N° 50), nomine proprio nec alienare, imo ne quidem administrare possit bona quae forte habet *propria*; attamen, in regimine *separationis bonorum*, potest bona propria administrare, et ex iis mobilia alienare.

2º Si vacet commercio publico et separato, contrahere potest pro rebus commercii (excepta alienatione immobilia), quia tunc vir consentire censetur; imo, si sit sub regimine communitalis, illud commercium obligat ipsum virum.

3º Si, in rebus in quibus hac indiget licentia, quemdam absque ea contractum ineat, obligari potest ratione delicti, quasi delicti, et eo sensu quod ei non liceat locupletari cum damno alterius.

4º In variis casibus in tractatu *De Justitia*, N° 51, datis, ubi vir vel lex uxori licentiam dare censetur, v. g. quando

uxor comparat ea quæ ad familiæ sustentationem necessaria sunt; etc.

Dico 2º *inter vivos*: nam disponere potest per *testamentum*, cum hoc tantum valeat post ejus mortem, i. e. eo tempore quo non amplius existet auctoritas maritalis.

Dico 5º sine licentia *speciali* mariti, qua licentia indiget uxor pro singulis actibus hic supra non exceptis; et quidem licentia scripto data; quapropter non sufficit consensus generalis, in contractu matrimonii datus: ultimus enim ille consensus, etsi sit sufficiens quoad administrationem bonorum, non tamen sufficit quoad alienationem immobilium.

Dico 4º vel *auctoritate judicis*, ad quem uxor recurrere potest, si vir consentire vel nolit, vel non possit, v. g. quia est absens, aut interdictus, aut minor.

29. — q. *Qualis est, coram lege, nullitas horum actuum prohibitorum seu sine dicta licentia positorum?*

r. Hi actus locum dant *nullitati*, atque rescindi debent si vir, vel ipsa uxor, vel eorum hæredes, non vero alii, nullitatem opponant; igitur declarantur irriti, independenter a qualibet læsione, eo ipso quod defuit auctoritas maritalis. Attamen, si actum ejusmodi irritum uxor cum mariti licentia *ratihabeat*, actus ille firmabitur, imo censebitur valuisse ab initio.

q. *Qualis est, in conscientia, nullitas horum actuum ab uxore positorum?*

r. Juxta principium, supra, N° 48, circa nullitates quæ pro objecto primario habent utilitatem *privatam*, hi actus sunt rescindibiles in conscientia, ante sententiam judicis, ad nutum eorum quibus facultas seu beneficium tribuitur nullitatem postulandi, i. e. ad nutum viri, vel uxor, vel eorum hæredum. Dico 1º *viri*, qui nullitatem invocare potest, licet læsus non fuerit; sed restituere debet

id in quo ditior factus fuerit. Dico 2º *uxoris*, quæ, nisi dolo alteram partem deceperit, quod saepe evenit, nullitatem quoque invocare potest: etenim, quamvis lex præcise ipsi favere non intendat, nihilominus non videtur motivum adesse sufficiens eam a beneficio legis excludendi; attamen *uxor* reddere tenetur id omne in quo ditior evaserit.

CAPUT IV.

DE MATERIA APTA SEU OBJECTO CONTRACTUS.

50. — q. *Quid est contractus* materia?

r. Sunt res et facta, seu ea omnia quæ sub hominis dominio cadere possunt, et de quibus contrahentes plenum dominium habent proprietatis et liberam administrationem.

q. *Quibus conditionibus gaudere debet hæc materia?*

r. Hæc materia, generatim loquendo, esse debet 1º possibilis, 2º existens et determinata, 3º in commercio, 4º contrahentis propria, 5º aliunde indebita; de quibus jam.

51. — 1º Materia *possibilis*.

q. *Quid est, quod esse debeat possibilis?*

r. *Possibilis* vel physice vel moraliter, quia ad impossibile nemo obligari potest, v. g. ad vitandos casus fortuitos; quos si quis in se suscipiat, se tantum obligat ad reparanda damna ex eis provenientia.

q. *Quid, si sit tantum ex parte possibilis?*

r. Valet contractus, si res sit divisibilis in se, et divisibiliter de ea contractum fuerit; sic v. g. si emam 100 modios tritici, quorum 40 ante traditionem pereunt, valet emptio pro 60. Secus, si sit indivisibilis, vel indivisibiliter de ea contractum fuerit, v. g. si promittam horologium, sciens me in illud habere tantum jus partiale.

An ad contractus valorem requiratur ut res de qua contrahitur, sit *honesta*; aliis verbis, an res in honesta seu turpis haberi possit ut res *moraliter impossibilis*, dicitur infra, N^{is} 58 et seqq., ubi de *conditione turpi*.

32. — 2^o Materia *existens et determinata*.

Q. *Quomodo esse debet existens?*

R. Existens vel in re, vel saltem in spe certa, i. e. probabiliter extitura; secus enim, non esset pretio aestimabilis, ut v. g. si contrahatur de domo quae tempore quo contrahitur jam erat combusta.

Aliquando tamen non valet contractus de re existente in spe, nimirum, si id prohibeat lex civilis; talis est v. g. venditio frumenti nondum collecti (*grains en vert et pendants par racine*), vel etiam stipulatio circa successionem personæ viventis, quamvis tamen, ex art. 1082, quædam stipulationes a nubentibus fieri possint in contractu dicto *institution contractuelle*.

Q. *Quomodo esse debet determinata?*

R. Sufficit ut sit determinata in specie; sic v. g. valet conventio de tradendo *equo* vel *bove*: ubi, nec optima nec pessima species tradenda est; non vero valet conventio de tradendo *animali* in genere.

33. — 3^o Materia *in commercio posita*.

Q. *Quid est, quod esse debeat in commercio?*

R. Id est quod debeat posse, per pacta, in alios transferri. Atqui sic transferri non potest, si id aliqua lege prohibetur.

Q. *Quænam extra commercium sunt, jure naturali?*

R. 1^o Res dominii incapaces seu usus inexhausti, v. g. aer, etc.; 2^o generatim loquendo, res seu facta turpia, de quibus infra, N^o 58 et seqq., ubi de contractibus *sub conditione turpi*; 3^o generatim loquendo, res spirituales seu sacræ, de quibus N^o sequenti.

Q. *Quænam extra commercium sunt, jure civili?*

R. 1º Res quæ pertinent ad rempublicam vel alias corporationes, ut *De Justitia*, N° 19, dictum est; 2º res quarum venditionem lex *irritat*, v. g. bona minorum, dos uxoris, successio personæ viventis, etc.; sed validus est, etsi illicitus, contractus, si lex venditionem tantum *prohibeat*, v. g. de venenis, armis, cibis falsificatis, malis libris, etc.

34. — Q. *Quænam res dicuntur spirituales vel temporales?*

R. Tales sunt, prout proxime ordinatæ sunt ad finem supernaturalem, i. e. gloriam Dei aut salutem animarum, vel ad finem temporalem.

Q. *Quotupliciter res temporalis esse potest annexa spirituali?*

R. Tripliciter: 1º *antecedenter*, i. e. si ante existat quam spirituali jungatur, v. g. calix vel ecclesia consecrata, seu res illæ materiales quibus dein accessit consecratio; 2º *concomitanter*, i. e. si sit intrinsece et necessario conjuncta spirituali, v. g. labor necessarius in administratione sacramentorum; 3º *consequenter*, i. e. si præsupponat spirituale vel non habeatur nisi propter ipsam, v. g. jus ad percipiendos fructus ex beneficio ecclesiastico.

Q. *An valet contractus cuius objectum est res mere spiritualis?*

R. Distinguendum est inter contractus gratuitos et onerosos.

1º In *gratuitis*, *Affirmative*, jure naturali et divino; v. g. si promittas orationes, missam, reliquias, etc., cum Deus præceperit quidem rerum spiritualium gratuitam communicationem.

2º In *onerosis*, *Affirmative* si res sit spiritualis ex utraque parte; quia nulla simonia adest in permutatione,

quidem nulla sit comparatio rei spiritualis cum temporali. *Negative* si sit spiritualis ex una parte et temporalis ex altera, cum tunc adsit simonia, i. e. comparatio rei spiritualis cum temporali.

Q. *Sed an, in contractibus onerosis, adest simonia si, pro re temporali, detur res temporalis spirituali annexa?*

R. 1º Si annexa *antecedenter*, *Negative*, seclusa Ecclesiæ prohibitione pro casibus particularibus; modo tamen pretium propter spirituale annexum non augeatur.

2º Si annexa *concomitanter*, *Affirmative*, ut patet; secus tamen, si tantum *extrinsece* sit annexa spirituali, v. g. labor extrinsecus horæ celebrationis vel itineris pro missa.

3º Si annexa *consequenter*, *Affirmative*, saltem ex jure canonico id prohibente. Sed hic agitur de *jure* ad fructus percipiendos, non vero de ipsis *fructibus*, qui sunt quid temporale de quo contrahere licet. Vide latius *De 1º Decalogi Praecepto*, Nº 63 et seqq., ubi de simonia.

55. — 4º Materia contrahentis propria.

Q. *Quare debet esse contrahentis propria?*

R. Quia nemo potest in alium transferre jus quod ipse non habet.

Sed hic tres distinguendi sunt casus: 1º si res sit *alteri* tantum *debita*, i. e. si alter tantum habeat jus ad rem; 2º si res sit *actu aliena*, i. e. si alter habeat jus in re; 3º si quis promittat *factum alterius*. Unde:

Q. *Quid, 1º de contractu de re alteri debita?*

R. Quamvis illicitus, est tamen generatim validus jure naturali et civili, quando executioni mandatus est. Est validus, quia contrahens disponit de re adhuc sua, cum in eam habeat dominium seu jus in re: sic est, v. g., de matrimonio inito cum impedimento orto ex sponsalibus.

Hinc colligi potest quid sentiendum sit de eo qui accepit rem alteri debitam: scilicet, distinguendum est an fraudis fuerit conscientius vel non: si *non conscientius*, generatim ad nihil tenetur; si *conscientius*, putat Carrière eum teneri, defectu alterius, resarcire damna quæ patitur primus creditor, sicque tenendum videtur ex art. 1141 qui rem tali adjudicat tantum si fuerit bonæ fidei.

Q. Quid, 2º de contractu de re actu aliena?

R. Generatim loquendo, non transfert dominium. Ita est de contractibus in genere, et speciatim de venditione rei alienæ quæ sit evictioni obnoxia, ut *De Justitia*, № 144, dictum est. Attamen ejusmodi contractus quosdam producit effectus, præsertim quod, a parte rem tradentis, locum dare possit compensationi damnorum erga acquirentem qui ignorat rem esse alienam.

Q. Quid, 3º de contractu quo promitis factum alterius?

R. Non obligatur alter; sed tu obligari potes, nempe ad omnem curam adhibendam ut factum præstetur, et quidem præstetur juxta intentionem contrahentium et dispositionem legum.

36. — 5º Materia aliunde indebita.

Q. An valet contractus de re ad quam jam teneris ex stricta justitia?

R. *Negative* si ad eam tenearis erga partem quam hic et nunc contrahis; sicque pretium jam tibi datum retinere non potes, nisi compars omnino liberaliter censeatur dare ad te alliciendum ut facias id ad quod teneris.

Affirmative si ad eam tenearis erga alium quam illum quocum jam contrahis; v. g. si Petrus te conduxit ut tendas Brugas pro re quadam, potes accipere pretium a Paulo ut eodem tendas pro alia re, modo posterius mandatum priori non noceat.

q. *An valet contractus de præstanta re quam debes, non quidem ex justitia, sed ex alia virtute, v. g. charitatis, religionis, et sic, an licet accipere pretium ad jejunandum in quadragesima?*

r. Cum Lig. et Gury, probabilius *Affirmative*, quia id censemur donum mere gratitum; modo tamen id quod præstas, sit pretio æstimabile, quale non est illud quod sine labore, sumptu aut periculo alicui præstas, v. g. pro via assignanda viatori; unde, si pro tali re pretium acceperis, probabilius restituere teneris.

CAPUT V.

QUO TEMPORE PLERÆQUE CONDITIONES CONCURRERE DEBEANT.

Stabiliendum est *quo tempore* adesse debeat 1º habilitas partium, materiæ capacitas, observatio formarum legalium, in actibus in genere; 2º habilitas partium et materiæ capacitas, in actibus conditionatis.

§ I.

Relative ad actus in genere.

37. — 1º Quoad *habilitatem partium*, agitur vel de actibus inter vivos, vel de testamentis, de quibus N° seq.

Quod spectat *actus inter vivos*, duplex occurrit casus, scilicet si ambæ partes consentiant vel *simul* vel *successive*. Unde:

q. *Quonam tempore partes esse debent habiles, 1º si ambæ consentiant simul?*

r. Necesse est, ad valorem actus, ut sint habiles eo tempore quo *consensum præstant*; nam *consensus datus*

ab inhabili, est inefficax et lege irritus; qui si non renovetur, contractum non efficit.

Inde quatuor sequentia fluunt consectaria:

1º Sponsalia inter ligatos impedimento dirimente matrimonii, sunt invalida.

2º Si utraque pars fuerit inhabilis, licet inhabilitas postea cesseret, *per se* invalidus est contractus, nisi renovetur consensus.

Dico *per se*: quia, si inhabilitas sit juris positivi, prout v. g. in matrimonio non raro accidit, concedi potest dispensatio *in radice*, i. e. que habet vim, non tantum in futurum, sed et in *præteritum*, nempe efficiens ut contractus, prius invalidus, jam validetur sine dato novo consensu.

3º Item renovandus est consensus ab inhabili, si ab una parte tantum sit inhabilitas; non vero renovandus est ab habili, ut in matrimonio evenire potest.

4º Quoad minores, uxores et concilio judiciario subjectos, qui non sunt simpliciter inhabiles, sed qui indigent concursu alterius, dicendum est sic: pro *minoribus*, requiritur concursus seu consensus istius alterius eo tempore quo ipsi dant consensum, quia ille concursus requiritur ad integrandam eorum personam, i. e. ad tollendam incapacitatem; nec sufficeret si postea accederet. Pro *uxoribus*, etc., sufficit si ille consensus postea praestetur, quia tantum requiritur ob reverentiam debitam marito, etc.

Q. *Quonam tempore partes esse debent habiles, 2º si ambo consentiant successive?*

R. Necesse est ut qui prior consentit, sit habilis eo tempore; et ut uterque sit habilis tempore acceptationis seu consensus ab altera parte, quia tunc concurrunt voluntates, sive perficitur contractus.

58. — q. *Quod spectat testamenta, quonam tempore habilis esse debet 1º testator?*

r. 1º Debet esse habilis eo tempore quo conficit testamentum; secus enim, consensus est inefficax, qua talis perseverat, et in morte vim habere non potest.

2º Debet, tempore *sue mortis*, servasse capacitatem *juris*, i. e. non amisisse proprietatem boni legati; non vero servasse capacitatem *facti*, qualem non amplius habet si post confectum testamentum fiat ob dementiam interdictus; hac autem interdictione non annulatur prius testamentum, sed ille solum fit incapax hic et nunc actum validum conficiendi.

q. *Quonam tempore habilis esse debet 2º legatarius?*

r. Requiritur et sufficit ut sit habilis tempore quo moritur testator, quia tunc proprie jus acquirit legatarius. Non vero requiritur, sicut in jure romano, ejus capacitas tempore quo testamentum conficitur.

39. — 2º Quoad *materię capacitatem*.

q. *Quo tempore materia debet esse capax?*

r. Id esse debet tempore quo, juxta dicta supra, consensus præstatur ab utroque contrahente, sive simul sive successive.

40. — 3º Quoad *observationem formarum legalium*.

q. *Quo tempore observanda sunt formae a lege sub pena nullitatis præscripta?*

r. 1º Eo tempore quo *actus conficitur*. Hinc, si actus fuerit defectu formae invalidus, non convalescit etsi postea lex desinat exigere illam formam; et viceversa, si actus fuerit validus, non corruet eo quod posterior lex novam præscriberet formam, cum haec lex habere non debeat effectum retroactivum.

2º Si actus, debitum formis initus, fuerit ob aliam causam invalidus, formae in revalidatione actus non sunt

iterandæ; modo invaliditas non fuerit publica aut talis naturæ ut publica fieri possit.

Dico: *non sunt iterandæ*, quia, per formas jam adhibitas, satis legi constat contractum rite initum fuisse; et sæpe, v. g. in matrimonio, renovari non possunt sine diffamazione contrahentium. Dico: *modo non fuerit publica*....., quia tunc legi constare non censemur de inito contractu, sieque omnia renovanda sunt.

§ II.

Relative ad actus conditionatos.

41. — Supponi potest 1º personas quæ sunt inhabiles tum quoad se tum quoad materiæ capacitatem, contrahere sub conditione tollendæ inhabilitatis, aut referendo contractum ad tempus quo habiles erunt; vel 2º eas, nunc habiles, contrahere, sed pro tempore quo inhabiles futuræ sunt. Itaque:

Q. 1º *An valet consensus datus ab inhabilibus, sed pro tempore quo erunt habiles?*

R. 1º *Negative* si inhabilitas sit juris *naturalis*. Sic v. g., vir inire non potest matrimonium cum secunda uxore, sub conditione quod prior moriatur; ideoque in his non datur locus dispensationi in radice.

2º *Negative* si inhabilitas, orta quidem ex jure *humano*, fundetur in præsumptione generali alicujus defectus *naturalis*. Irritus itaque est contractus a minore initus, relatus ad tempus quo erit major. Idem dicendum est de sponsalibus vel de matrimonio, initis sub conditione obtinendæ dispensationis, quæ conditio ut turpis habenda est.

3º *Affirmative* extra hos casus, quia, abstrahendo ab inhabilitate juris tantum *humani*, nihil fit contra legis mentem.

q. 2º *An valet consensus datus ab habilibus, sed pro tempore quo erunt inhabiles?*

r. *Negative*, nam contractus censendus est perfici eo tempore ad quod refertur contrahentium consensus; unde, si tunc sint inhabiles, eorum consensus vim habere non potest.

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTUS EFFECTIBUS SEU OBLIGATIONE.

42. — q. *Quis est generatim effectus contractuum?*

r. Est, ex una parte, *jus seu translatio juris*; et ex altera parte, *obligatio*, i. e. vinculum quo, vi contractus, adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

Si autem huic priori parti competat facultas jus suum prosequendi in judicio, hæc vocatur *actio*, de qua juris peritis, non vero nobis, agendum est.

Ex variis contractibus variæ exurgunt *obligationes*, de quibus sermo est in tractatu *De Contractibus in specie*. Atmen, sunt quædam omnibus contractibus communia, de quibus hic agendum; et desuper triplex erit caput: 1º de obligatione contractuum generatim spectata; 2º de variis obligationum speciebus seu modificationibus; 3º de præcipuis modis quibus extinguntur obligationes.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS, GENERATIM SPECTATA.

Duplex distingui potest obligatio generalis: 1º *directa*, i. e. quæ adstringit ad id faciendum vel omittendum de quo conventum est; 2º *indirecta*, i. e. quæ adstringit ad compensanda damna per inexecutionem contractus illata. De his dupli dicimus articulo.

Articulus I.

DE OBLIGATIONE DIRECTA.

Tria sunt tractanda: 1^o principia quædam generalia, 2^o obligatio aliquid dandi, 3^o obligatio aliquid faciendi vel non faciendi; de quibus in triplici N° sequenti.

45. — 1^o Quoad *principia quædam generalia*.

1^m *Principium.* Contractus, legaliter initi, *instar legis* *habentur relative ad contrahentes.*

Hinc 1^o, producunt obligationem civilem; exceptis casibus ubi actio civilis denegatur, v. g. ex art. 1963, pour dette d'un jeu ou d'un pari, excepté les courses à pied ou à cheval et autres jeux qui tiennent à l'adresse et à l'exercice du corps. Siquidem detur actio, ergo exigere potest creditor executionem obligationis, tum absque judice, tum via actionis in casibus ubi judex intervenire debet.

Hinc 2^o, revocari nequeunt contractus, nisi vel ex causis a lege admissis, vel ex mutuo consensu, imo et ex consensu unius partis in casu societatis, mandati, etc.

2^m *Principium.* Contractus *bona fide implendi sunt*, i. e. obligant non tantum ad ea quæ in iis exprimuntur, sed ad omnia eorum consectaria, quæ exiguntur sive ab æquitate, sive ab usu, sive a lege.

Quapropter, ait Gury, studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu loco-

rum, tum ex indole personarum. Tandem si, omnibus perpensis, dubium tolli nequeat, amicabilis transactio consulenda est.

5^m Principium. Contractus vim non habent nisi *inter partes contrahentes*, vel *eos qui ipsorum locum tenent seu cum eis causam habent*, ut sunt hæredes, mandantes, etc., nisi in casu particulari lex positiva aliud statuerit. Ratio est, quia nulla persona privata alteri invito onus imponere vel beneficium concedere potest. Contractus itaque vim præcipue habent a privata contrahentium voluntate.

44. — 2^o Quoad *obligationem dandi*.

Quando adest obligatio aliquid dandi, inquire possunt duo sequentia:

Q. *Ad quid obligatur debitor?*

R. 1^o Obligatur ad rem tradendam, idque juxta modum determinatum in tractatu *De Contractibus in specie*, ubi de venditione; 2^o ante traditionem obligatur ad rem interea servandam ut bonus paterfamilias.

Q. *Quale jus habet creditor?*

R. *Lege romana*, tantum habebat jus ad rem, usque ad rei traditionem, quæ conferebat jus in re.

Sed lege *gallica*, acquirit jus in re seu dominium, vi solius contractus, antequam traditio facta sit; ita generatim art. 1158, et specialim de donatione, art. 958, et de venditione, art. 1583.

Excipitur, ex art. 2102, casus venditionis rei *mobilia*, absque fixatione termini solutionis; ubi venditor intra octiduum post rei traditionem, rem vindicare potest si emptor non solvat. Insuper, quum ex simplici *promissione* promissarius non acquirat jus in re, sed tantum jus ad rem, sequitur eum ante rei traditionem non habere rei *promissæ dominium*.

En ex hoc juris gallici principio duo consectaria:

1º Qui de una eademque re cum duobus successive contraxit, tenetur generatim erga priorem. Dico *generatim*, nam, ex art. 1141, quoad *mobilia*, anteponendus est posterior, si sit bonæ fidei, et si res ipsi tradita fuerit; nam pro *mobilibus*, possessio æquivalet titulo.

2º Si res in manibus debitoris interea perierit, quum rei dominium etiam ante ejus traditionem ad creditorem fuerit translatum, idcirco res quæ ante traditionem perit, perit domino, i. e. creditori, juxta art. 1158 et 1502; nisi tamen interierit debitoris culpa vel mora culpabili, in quo casu debitor culpam præstare tenetur. Vide infra, № 78.

45. — 5º Quoad obligationem faciendi vel non faciendi.

Q. Ad quid obligatur ille qui non facit id quod, vi contractus, facere tenetur?

R. Obligatur ad compensationem damnorum, modo casu fortuito non impediatur opus debitum præstare.

Q. Quenam sunt jura creditoris erga eum qui non facit id quod facere tenetur?

R. Creditor debitorem ad opus præstandum non potest quidem cogere *stricte*, per occupationem bonorum vel poenas corporales, juxta axioma: Nemo ad factum præcise cogi potest; attamen, ex art. 1143, 1144 et 1145, potest eum cogere aliquo sensu: sic 1º si opus ab altero quam a debitore præstari possit, creditor obtinere potest ut præstetur, idque impensis debitoris; sic 2º si sit obligatio de non faciendo, creditor postulare potest ut opus, quod equidem factum est, destruatur, idque impensis debitoris, et insuper salva compeusatione damnorum quæ ex opere facto forte passus est creditor.

Articulus II.

DE OBLIGATIONE INDIRECTA.

Est triplex quæstio: 1º utrum et qualis culpa requiratur ut debeatur damnorum compensatio; 2º a quonam tempore debeatur, seu utrum et quomodo debitor constituendus sit in mora; 3º in quo consistere debeat hæc compensatio.

46. — 1º *Qualis culpa* requiratur.

Damnum inferri potest triplici modo: 1º ex culpa theologica, 2º ex culpa mere juridica, 3º ex casu fortuito; vide *De Justitia*, N° 150.

Porro, certum est compensanda esse damna illata, ob contractum non impletum ex culpa *theologica* saltem gravi, vide *De Justitia*, N° 152. Unde hic tantum agendum est 1º de *casu fortuito*, 2º de *culpa mere juridica*.

q. *An compensanda sunt damna, ob contractum non impletum ex casu fortuito?*

r. *Negative regulariter:*

Dico *regulariter*, nam, per accidens, *Affirmative*, 1º si debitor casus fortuitos in se suscepit, tum explicite, tum implicite, v. g. si in commodato res fuerit aestimata; 2º quando præcessit aliqua culpa sine qua locum non habuisset casus fortuitus; 3º quando debitor erat in mora, excepto casu quo res eodem modo peritura fuisset apud dominum.

47. — q. *An compensanda sunt damna, ob contractum non impletum ex culpa mere juridica?*

r. Lex civilis, in contractibus servandis, a contrahentibus exigit quamdam diligentiam. Non autem in omnibus contractibus eamdem, sed pro variis contractibus variam, requirit diligentiam, quæ distingui po-

test in triplicem, nempe in *summam*, in *ordinariam* et in *levem*. Codex, instar regulæ generalis, i. e. ordinarie seu in plerisque contractibus, exigit diligentiam *ordinariam*, i. e. diligentiam, ut vocal, *boni patrisfamilias*; in quibusdam vero contractibus, quasi per exceptionem, exigit diligentiam ordinaria majorem vel minorem. Itaque requirit *majorem*, si desuper conventio specialis inita fuerit; pariter eam aliquando requirit ab illo contrahente in cuius favorem cedit contractus, ut est v. g. mandatarius, qui ob mandatum accepit salarium. E contra vero requiritur seu sufficit diligentia *minor*, i. e. diligentia, ut ait codex, *eadem ac in rebus propriis*, in contractibus qui cedunt in favorem alterius partis contrahentis; sic v. g. in deposito ordinario, quod cedit in utilitatem deponentis, sufficit in recipiente diligentia illa minor.

Atqui, omissio diligentiae a lege civili præscriptæ, vocatur *culpa juridica*; quæ proin, juxta codicem, distingui potest in triplicem, nempe in culpam *latam*, si exigatur diligentia summa seu major quam ordinaria; in *levem*, si exigatur diligentia ordinaria; et in *levissimam*, si sufficiat diligentia levis seu minor quam ordinaria. Ergo, contrahens qui contractum non implevit rite, ex una harum trium culparum legalium, coram lege reus est, et in foro civili damna compensare seu, ut dicitur, *culpam præstare* tenetur, quamvis coram Deo non peccaverit.

Sed quæstio est an in isto casu seu quando absuit culpa theologica, ad id teneatur in *foro conscientiae*, tum in contractibus, tum in quasi contractibus? Itaque responderetur :

Quoad *contractus*, 1º *Affirmative*, post sententiam judicis: nam, si ita sit de justitia in genere, ut in illo tractatu dictum est, ita est a fortiori in contractibus. 2º *Ante* sententiam judicis, disputatur; sed Lig. contra

Carrière, probabilius tenet *Negative*. Ratio est, 1º quia leges non sunt satis apertæ ut imponatur obligatio quæ, attento solo jure naturali, non imponeretur; 2º quia hæc obligatio videretur nimis dura: etenim, culpa mere juridica in rei veritate et coram Deo haberi debet ut causus fortuitus; et aliunde hæc obligatio locum daret nimiis anxietatibus et scrupulis.

Quoad *quasi contractus*, ut v. g. de advocatis, medicis, opificibus, famulis, etc., in adimplendis officiis, cum hi in officio ad nihil ultra teneantur per se quam ad diligentiam *ordinariam*, inde sequitur quod *civiliter* teneantur præstare culpam *levem* aut *latam*. Et in *conscientia*, ad id tenentur post sententiam judicis; non vero ante sententiam, cum non supponantur esse theologice culpabiles: nam, si ad id non teneantur in contractibus, a fortiori non tenentur in quasi contractibus, quippe qui obligationem minus strictam inducunt.

48. — 2º Qualis mora requiratur.

q. *Quādonam debitor censetur esse in mora, ex jure civili?*

r. In duobus casibus: 1º per lapsum termini, quando ita expresse conventum est, vel quando ita statuit expressa legis dispositio, ut v. g. statuit de commodato; 2º extra hunc casum, per interpellationem *juridicam*, i. e. factam sive per judicem vel apparitorem (*sommation d'un huissier*), sive per alium actum æquivalentem.

In his casibus, mora est juridice culpabilis, et debitor ad compensationem damnorum tenetur in *foro civili*. Imo et ad id tenetur in *foro conscientiae*, etiam ante sententiam judicis, ut communiter agnoscent auctores, ait Carrière: ita enim sequitur ex intentione contrahentium, et ex natura debiti. Si quis autem extra hos casus a lege determinatos constituatur in mora, in conscientia non

tenetur nisi in quantum hæc mora fuerit theologicæ culpabilis.

49. — 3º *Qualis compensatio requiratur.*

Q. *Quænam, circa damnorum compensationem ob contractum non impletum, statuit codex civ., 1º si obligatio sit de pecuniae summa mutuata?*

R. Statuit duo sequentia: 1º compensationem illam non posse generatim excedere taxationem a lege factam, quæ est 5 pro 100, et 6 pro 100 in materia commercii; 2º creditorem posse illam exigere quin teneatur probare se damnum esse passum.

Sed quæstio est an hæc duo valeant pro foro conscientiæ, i. e. 1º an legis taxam excedere liceat, quando creditor ex solutionis dilatione damnum passus est taxa *majus*; et 2º an creditor possit illam taxam exigere, quando ex solutionis dilatione passus est damnum taxa *minus* vel *nullum*?

R. Probabilior videtur sententia, quæ cum Gousset, Pothier, etc., contra Carrière, *Affirmat* de 1º; et quæ cum Carrière *Negat* de 2º: ita ut, juxta hanc resolutionem, hæc legis civilis dispositio in neutro casu obliget in conscientia.

Q. *Quid statuit codex, 2º si obligatio sit de opere aliquo præstanto?*

R. Vel præcessit conventio partium circa summam compensationis, vel non præcessit.

1º *Si conventio præcesserit*, in foro civili, ex art. 1152, conventioni standum est; attamen, si opus executioni demandatum fuerit *partim*, ex art. 1251, judex potest taxationem conventam moderari seu proportionatim minuere. Illa autem obligant in *foro conscientiæ*, modo non adfuerit a parte creditoris dolus aut injustitia, uti foret v. g. si creditor abusus fuisse necessitate debitoris ad stipulandam compensationem immodicam.

2º *Si nulla conventio præcesserit*, in foro civili et in foro conscientiæ, 1º ex art. 1149, regula generalis est, compensandum esse lucrum cessans et damnum emergens, i. e., ex art. 1150, damna prævisa vel quæ prævideri debuerunt tempore contractus. Sed 2º si adfuerit dolus, insuper compensanda sunt damna non prævisa quæ ex inexequitione sequuntur directe et immediate; non vero quæ sequuntur remote seu occasionaliter. Ut autem intelligatur quænam esse possint, generatim in materia contractuum, damna illa directa vel indirecta, sit ex Gousset exemplum sequens: Un marchand m'a vendu sciemment un cheval infecté d'une maladie contagieuse, dont mes autres chevaux ont été tous atteints. S'il eût ignoré la maladie de ce cheval, il ne m'aurait dû que le prix du cheval; mais l'ayant su, il me devra des dommages-intérêts pour le cheval qu'il m'a vendu et pour les autres, car cette perte est la suite immédiate de son dol. Mais si, par suite de la perte de mes chevaux, j'ai été empêché de cultiver mes terres, et que, n'ayant pu dès lors remplir mes obligations, j'aie été saisi, les dommages-intérêts ne s'étendront pas jusque-là.

CAPUT II.

DE MODIFICATIONIBUS SEU VARIIS SPECIEBUS
OBLIGATIONUM.

30. — q. *Quid sunt contractuum modificationes?*

r. Sunt, inquit Gury, quædam clausulæ, præter contractus naturam et essentiam adjectæ, ita ut ejus obligationes vel confirmant, vel augeant aut determinent, vel suspendant aut periment.

q. *Quænam sunt præcipuae obligationes sic modificatae?*

r. Sunt 1º obligationes conditionales; 2º obligationes alter-

nativæ; 3º obligationes in solidum; 4º obligationes dividuae et individuae; 5º obligationes cum clausula pœnali; 6º obligationes cum juramento: de quibus sint sex sequentes paragraphi.

§ I.

Obligationes conditionales.

51. — q. *Quid est obligatio conditionalis?*

R. Est ea, ait Carrière juxta cod. civ., quæ ab eventu futuro et incerto pendet, quoad validitatem vel quoad resolutionem. Conditio in contractibus exprimi solet per particulam *si, nisi, modo, etc.*

Hæc autem conditio est de *futuro*: nam conditiones de *præterito* vel de *præsenti* faciunt ut contractus statim sit validus vel invalidus, prout conditio existit vel non.

Nobis agendum nunc est de effectibus variarum conditionum, scilicet 1º de conditione suspensiva generatim sumpta; 2º de conditione potestativa; 3º de conditione impossibili; 4º de conditione turpi; 5º de conditione contraria substantiæ contractus; 6º de conditione resolutoria.

52. — 1º De conditione suspensiva generatim.

Conditio est *suspensiva* vel *resolutoria*, prout ab ejus impletione pendet obligationis validitas, vel obligatio per impletionem resolvitur. De resolutoria vide infra, N° 62.

Effectus conditionis suspensivæ generatim sumptæ, considerari possunt vel 1º ante eventum, vel 2º quando conditio impletur; de quibus in triplici N° seq.

53. — *Effectus ante eventum.*

q. *Quisnam est effectus hujus conditionis ante eventum?*

R. Obligatio suspenditur; adest tamen jus conditionatum seu *spes*. Hæc autem spes considerari potest dupliciter: vel quoad *rem*, vel quoad *contrahentes*.

54. — Considerata 1º *quoad rem*.

Q. *Ad quem interea pertinet res?*

R. Res remanet sub dominio debitoris rei, quum rei dominium ad creditorem non sit transferendum nisi eo tempore quo implebitur conditio; et proinde non est confundendus casus praesens cum illa dominii translatione de qua supra, N° 44.

Ex hoc principio fluunt duo consectaria, scilicet 1º *quoad rei interitum*, 2º *quoad rei fructus*. Igitur:

Q. *Quid 1º si, ante eventum, res casu fortuito tota pereat?*

R. Nulla in hoc casu est obligatio a parte debitoris, cum obligatio tantum sit oritura ex eventu conditionis.

Dixi 1º *res tota*: nam, si pereat tantum partim, vel si deterior fiat, ex art. 1182 liberum est creditori resolvere contractum, vel exigere rem qualis existit.

Dixi 2º *casu fortuito*: nam aliter est si *culpa debitoris* res pereat vel deterioretur; si enim ita pereat, creditor compensationem damnorum exigere potest; si autem ita deterior fiat, potest creditor vel resolvere contractum, vel rem exigere cum compensatione damnorum.

Q. *Quid 2º de rei fructibus?*

R. Ante conditionis eventum, semper ad debitorem, v.g. in venditione, ad venditorem, pertinent, juxta axiomam: res fructificat domino; nam, siquidem ante conditionis eventum res debitori rei perire debeat, æquum est ut et ipsi debitori fructificet.

Considerata 2º quoad contrahentes.

Q. *Ad quid tenetur debitor?*

R. Tenetur expectare eventum conditionis. Unde, si interim contractum resiliat, resilit non tantum *illicite* et *injuste*, quam *injustitiam reparare* tenetur, sed et quandoque *invalidē*.

Q. *Quandonam resilit valide vel invalide?*

R. Distinguendum est inter contractus consensuales, reales et matrimonium. Contractus *consensualis* est ille qui solo contrahentium consensu rite exhibito perficitur, ante rei traditionem; talesque sunt apud nos plerique contractus. Contractus *realis* est ille qui non perficitur nisi per rei traditionem; tales sunt v. g. mutuum, depositum, etc.

Jam vero, juxta Carrière, in contractu *consensuali*, resilit invalide; in contractu *reali*, cum ante traditionem rei dominium servet, resilit valide, si resiliat tradendo interea rem alicui tertio, sed damna alteri contrahenti compensare debet; in *matrimonio*, resilit valide, i. e. revocatio consensus ab alterutra parte efficit ut, adveniente postea conditione, matrimonium non perficiatur.

Q. *Quænam sunt jura creditoris?*

R. Creditor potest interea circa rem exercere *conditionate* omnia jura, v. g. eam conditionate in hypothecam dare, eam conditionate alienare, etc.

55. — *Effectus impleta conditione.*

Q. *Quosnam effectus producit conditio suspensiva, eo momento quo impletur?*

R. Duplicem producit effectum, nimirum :

1º Contractus statim fit perfectus et obligatio fit absoluta. Nec ad id requiritur renovatio consensus in contractibus consensualibus; et probabilius neque requiritur in contractibus realibus vel in matrimonio.

2º Obligatio habet effectum retroactivum, art. 1179, i. e. censetur extitisse a die contractus, saltem sub *plerisque* respectibus. Sic, si debitor, ante conditionis impletionem, conditionate rem hypothecaverit, vel alia onera annexuerit, haec omnia evanescunt; pariter, si debitor rem alienaverit, in contractibus consensualibus, potest creditor eam a possessore repetere.

Dixi *sub plerisque*, non vero sub omni respectu, quia ex hoc sequeretur interitum rei, adimpta conditione, recidere in creditorem; quod tamen locum non habet, ut ex dictis supra, N° 55, intelligitur.

Nota. Si conditio *non impleatur*, contractus habetur ut ab initio irritus, et proin nullum effectum producit.

56. — 2º De conditione *potestativa*.

Conditio est *potestativa* vel *casualis* vel *mixta*, prout ejus executio pendet vel a sola voluntate illius qui se obligat, v. g. dabo tibi 100 *si hoc mihi placeat, si opportunum judicaverim*; vel nullo modo pendet ab uno contrahentium, v. g. *si hæc gratia mihi concedatur a rege, si navis ad portum adveniat*; vel pendet simul ab uno contrahentium et a tertio aut casu fortuito, v. g. *si nubas Paulo, si hanc rem deperditam invenias*.

q. *An valet contractus sub conditione suspensiva potestativa?*

r. *Negative* generatim loquendo, ex art. 1174, quia de essentia contractus est transferri aliquod jus; atqui, cum hic obligatio dependeat a sola voluntate illius qui se obligare videtur, ille nullum jus transfert.

Dixi *generatim loquendo*: nam valet contractus, in duplice easu sequenti: 1º si conditio pendeat quidem a promittentis voluntate, sed simul pendeat a quodam facto quod sit ejus voluntatis, v. g. dabo 100 *si ierim Romam*; ubi adest quoddam jus, ex obligatione vel non eundi Romam vel dandi 100. 2º Si conditio sit quidem potestativa, sed sit simul *resolutoria*, v. g. colloco tibi domum ea conditione ut locatio post tale tempus resolvatur *ad nutum meum* seu *si ego voluero*; ubi conditio, non præcise contractum, sed potius ejus durationem respicit.

Valet autem contractus si conditio pendeat ab altero contrahente vel a tertio vel a casu fortuito, v. g. tibi dabo

100 si ieris Brugas, si pater consentiat, si navis adveniat;
ubi conditio est sive mixta sive casualis.

57. — 3º De conditione *impossibili*.

q. An valet 1º *jure naturæ*, 2º *jure positivo*, contractus initus sub conditione impossibili?

r. 1º Jure naturæ, contractus videtur generaliter non valere, quia deficit consensus. Perinde est, an sit impossibilis absolute vel relative, an physice vel moraliter.

2º Jure *positivo*, quoque non valet contractus, ex art. 1172; excepto quod, pro testamentis, donationibus et matrimonio, conditiones impossibilis pro non adjectis habeantur, sive contractum non irritent.

58. — 4º De conditione *turpi*.

Hic jam inquiritur an, ad contractus valorem, necessario requiratur ut res, de qua contrahitur, sit *honesta*, aliis verbis, an contractus de re *inhonesta seu turpi* valere possit.

Imprimis, fatentur omnes contractum posse esse validum si res sit quidem honesta in se, seu *substantialiter*, etsi sit *inhonesta seu turpis accidentaliter*, i. e. ex quadam circumstantia accidentaliter et extrinseca, v. g. eo quod fiat ex perverso contrahentium fine; imo etsi fiat contra legem aliquam prohibentem.

Sed quæstio est an valere possit contractus de præstanda re vel actione *substantialiter turpi*, i. e. de re vel actione quæ hic et nunc sine peccato præstari nequit, v. g. de perpetrando furto, homicidio, fornicatione et similibus.

Hoc dupliciter expendi potest, scilicet vel 1º *ante turpis conditionis eventum*, vel 2º *post eventum*.

59. — q. An contractus de re *substantialiter turpi* est validus ac obligationem inducit 1º *ante conditionis eventum*?

r. Ante conditionis eventum, i. e. ante patrationem peccati, nullus est contractus et nulla obligatio. Sic, si

promittas aut tribuas filiae pecuniam ea conditione ut tecum fornicari velit, et illa consentiat, ille contractus, ante fornicationis patrationem, nullam parit obligationem, quia justitia nullo modo ad illicitum obligare potest. Unde certum est quod, in casu, nec promittens dare teneatur pretium conventum; nec alter, si pretium conventum acceperit, illud retinere possit.

Attamen, addit Gury, si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, quin intervenerit pactum de fornicatione patranda, mulier, si seductioni resistat, acceptum pretium reddere non tenetur, cum ex sua parte nihil seductorii promiserit, et donatio ut omnino liberalis habenda sit.

60. — q. *An validus est atque obligationem inducit ille contractus 2º post conditionis eventum?*

r. Controvertitur. Duplex est opinio probabilis.

1ª *Sententia*, communior, et juxta Lig. probabilior, docet hunc contractum valere, et proin promittentem teneri pretium solvere, nec accipientem teneri illud danti restituere. Ratio est, ait s. auctor, quia lex naturalis dictat quod, cum quis partem suam præstiterit, teneatur alter suam implere quam licite præstare possit; unde, si alter opus suum, etsi illicitum, v. g. fornicationem, jam præstiterit, teneris tu pretium promissum ei satisfacere. Alias enim, ut recte ait Lugo, non videtur quomodo stuprator, qui virginem violasset sub ficta promissione matrimonii, obligari possit ad eam ducendam.

Advertunt tamen hujus sententiae patroni, illos qui sic turpem quæstum fecerunt, hortandos esse ut pretium in pauperes vel pios usus distribuant; imo expedire ut id eis passim per modum poenitentiae imponatur.

2ª *Sententia*, quam tenent Carrière, Gousset et alii, docet hunc contractum non valere *generatim*, et proinde non solvendum esse pretium, et restituendum esse si jam so-

latum fuerit. Ratio est, tum quia actio illicita nullo pretio digna est, cum peccatum non sit vendibile; tum quia contraria sententia videtur esse incitamentum ad crimen patrandum, et quia bonis moribus repugnare videtur quod promissarius admittatur ad repetendum salaryum sui crimini: « Ce serait, ait Gousset, enhardir le libertinage et autoriser le désordre, que de reconnaître qu'on peut compter sur l'exécution d'une promesse immorale, et acquérir, en commettant le crime, le droit de réclamer un salaire, de quelque manière qu'on l'envisage. »

Dixi *restituendum esse*. Fatentur tamen hi auctores hanc restitutionem convenienter fieri distribuendo, ut supra, pretium acceptum in pauperes vel pios usus; non vero illud reddendo donatori, cum absurdum sit et contra mentem legum, ait Neyraguet, ut illi fiat restitutio quem potius leges punire quam juvare intendunt.

Confirmatur hæc sententia auctoritate articuli 1172 codicis civilis declarantis tales contractus *generatim* esse invalidos. Dico *generatim*: nam duplē hujus sententiæ patroni admittunt exceptionem, scilicet:

1º Excipiuntur, jure civili, testamenta atque donationes; et jure canonico, contractus matrimoniales: in his enim contractus reputatur validus, quia conditiones *turpes*, æque ac conditiones *impossibiles*, fictione juris, pro non adjectis reputantur.

2º Communiter excipitur casus ubi princeps, ad vitanda majora mala, tolerandas judicat quasdam profesiones immorales, v. g. meretricia, comoedias, etc. Tunc enim, illi qui has profesiones exercent, pretium quod ipsis datur, retinere possunt, si minus vi contractus, saltem ex auctoritate legis, quæ hujus pretii dominium ipsis transfert.

61. — 5º De conditione *contraria substantiæ contractus*.

Q. *Quid operatur conditio contraria substantiæ contractus?*

R. Talis conditio contractum irritat; nam deficit con-

sensus, qui contractui essentialis est; contractus autem sine sua substantia existere non potest.

62. — 6º De conditione *resolutoria*.

q. *Quid et quotuplex est conditio resolutoria?*

r. Conditio *resolutoria*, prout supra, N° 52, insinuavimus, est ea per cuius impletionem contractus revocatur seu resolvitur.

Est expressa vel tacita: *expressa* est ea quam in conventione enuntiant contrahentes; *tacita* est ea quæ semper subintelligitur in contractibus bilateralibus, scilicet quod, in casu ubi quis non implet obligationes ad quas tenetur, alteri parti liceat contractum resilire.

q. *Quinam sunt effectus conditionis resolutoriae?*

r. Si non *impleatur* conditio resolutoria, i. e. si res futura, in conditione prævisa, non eveniat, contractus censetur ab initio perfectus, et fit irrevocabilis.

Si *impleatur* conditio resolutoria, contractus resolvitur, obligatio extinguitur, et res reponuntur in eodem statu ac si obligatio nunquam extitisset, art. 1183; et proin, qui recepisset fructus vel pretium, restituere teneretur. Sit conditionis resolutoriae exemplum sequens: Do tibi hanc meam domum, eo tamen pacto, quod donationem hanc velim esse irritam in casu quo uxor mea contradicat: contradicente uxore, resolvitur obligatio; secus vero si consentiat.

63. — Cum obligationibus *conditionalibus* habent aliquam analogiam obligatio *ad terminum* et obligatio *ad causam*. Desuper inquiruntur sequentia:

q. *Quid est obligatio ad terminum seu ad diem?*

r. Est illa cuius implendæ tempus assignatum est, v. g. promitto me tibi daturum 100 *intra mensem, intra annum*.

In hoc differt *terminus* a conditione, juxta art. 1183, quod obligationem non suspendat, sed illius executionem tantum protrahat.

Q. *Quinam sunt effectus termini, 1º quoad creditorem, 2º quoad debitorem?*

R. 1º *Quoad creditorem.* Creditor, quamvis jus habeat ad solutionem, illam tamen ante terminum exigere non potest; excepto, ex art. 1188, si debitor bonis cedat, vel si per factum suum minuat cautiones creditoris factas.

2º *Quoad debitorem.* Ille ante terminum solvere potest, quando terminus tantum in ejus favorem constitutus est; sed repetere non potest id quod ante terminum solvit.

Q. *Quid est obligatio ad causam?*

R. Est illa cuius causa in contractu exprimitur, v. g. do 100 Petro, *quia pauper est*, vel *quia probus est*.

Q. *Quis est effectus cause, si falsa sit?*

R. Si falsa sit causa *primaria*, contractum irritat, ut v. g. in dato exemplo, si Petrus sit dives; secus vero ordinarie, si sit *secundaria*, ut si Petrus sit improbus, juxta dicta supra, N° 11, de errore circa motivum.

§ II.

Obligationes alternativæ.

64. — Q. *Quid est obligatio alternativa?*

R. Est ea qua quis duo aut plura dare vel facere tenetur, ita tamen ut unius solutione, a cæteris liberetur, art. 1189. Sic, in casu quo tibi debeam equum, vel bovem, vel 500 francos, horum trium dando unum, obligationem extinguo.

Q. *Ad quem pertinet electio rei solvendæ?*

R. Ad debitorem, nisi expresse data fuerit creditori.

Q. *Quid, si una vel ambæ res perierint?*

R. Si pereat *una*, etiam culpa debitoris et etiamsi electio ad creditorem pertineret, debitor tenetur tradere alteram quæ superest; si pereant *ambæ*, absque culpa debitoris, obligatio extincta est.

§ III.

Obligationes in solidum.

65. — q. *Quandonam locum habet obligatio in solidum?*

r. Locum habet, quando ex pluribus creditoribus quilibet totam summam debitam exigere potest, vel quando tota summa a quolibet ex pluribus debitoribus exigi potest. Duplex itaque datur solidaritas, una inter creditores, et altera inter debitores.

q. *In solidaritate inter creditores, quomodo liberatur debitor?*

r. Si debitor totam summam uni e creditoribus solvere, liberatur erga cæteros creditores. Attamen si, summa non soluta, unus creditor debitori condonet, hæc condonatio tantum valet pro hujus creditoris portione. Hæc autem solidaritatis species practice valde raro occurrit.

q. *In solidaritate inter debitores, ad quid tenentur debitores tum erga creditorem, tum erga se invicem?*

Prænota. De hac solidaritate speciatim dicimus in tractatu *De Justitia*, N^o 168 et seqq., ad quos remittimus. Interim, inde summarie desumuntur sequentia.

r. Quemcumque ex debitoribus elegerit creditor, tenetur ille debitor totam summam solvere, quin beneficium divisionis seu solutionem tantum suæ partis adferre possit. Soluta autem tota summa, cæteri debitores erga creditorem liberantur; sed erga eum qui solvit, tenetur singulus pro sua parte; et si quis horum suam partem solvere non possit aut non velit, totum debitum est inter cæteros dividendum.

§ IV.

Obligationes dividuae et individuae.

Prænota ex Carrière. Illa distinctio vix ullum usum habet quamdiu vivunt creditor et debitor; tunc enim obligatio, licet in se divisibilis, non potest, ex art. 1220,

per partes impleri. Sed quando alteruter moritur, ex regula antiquissima, debita, sive activa sive passiva, pleno jure inter hæredes dividuntur. Cum tamen hæc divisio fieri non possit nisi quatenus debitum est divisibile, hinc orta est præsens distinctio, quam valde intricatam agnoscunt iurisperiti, et de qua nobis sufficient sequentia.

66. — q. *Quandonam obligatio dicitur divisibilis vel indivisibilis?*

R. Dicitur *divisibilis*, quando pro objecto habet rem quæ in sui traditione, vel factum quod in executione capax est vel divisionis *materialis*, qualis est v. g. mensura quædam tritici aut vini; vel divisionis *intellectualis*, quæ locum habet quando res, licet in se indivisibilis, potest tamen a pluribus possideri per partes indivisas: sic v. g. si equus ad quatuor personas pertineat, jus unius eujusque potest separatim pretio proportionato æstimari.

Dicitur autem *indivisibilis*, quando hujusmodi divisionis capax non est, v. g. jus servitutis quo quis potest per talem agrum transire, obligatio domum ædificandi, obligatio tradendi agrum in quo domus ædificanda est.

q. *Quodnam est principium generale codicis, circa obligationem divisibilem?*

R. Principium est, quod hæredes creditoris non possint repeteret, et quod hæredes debitoris non teneantur solvere, nisi partem proportionatam parti quam obtinent in hæreditate, art. 1220; exceptis quibusdam casibus art. 1221 datis.

q. *Quodnam est principium generale circa obligationem indivisibilem?*

R. Principium est, quod quilibet creditor, aut quilibet ex ejus hæredibus, possit exigere totum debitum; et quod quilibet debitor, aut quilibet ex ejus hæredibus, teneatur ad totum debitum solvendum, etiamsi obligatio non esset in solidum.

§ V.

Obligationes cum clausula pœnali.

67. — q. *Quid est clausula pœnalis?*

r. Est illa qua quis, ad assecurandam conventionem, se ad aliquid obligat, in casu non executionis.

Inde exurgit duplex obligatio: una *principalis* et absoluta seu obligatio ipsius contractus; et altera *accessoria* seu conditionata, scilicet obligatio pœnalis.

Nullitas obligationis principalis irritat clausulam pœnam; sed e contra, nullitas clausulae pœnalis non irritat obligationem principalem seu contractum.

Clausula pœnalis, ait Gousset, habetur ut compensatio damnorum quæ patitur creditor ob inexecutionem obligationis principalis.

§ VI.

Obligationes quibus accedit juramentum.

68. — q. *De quali juramento hic agitur?*

r. Agitur de juramento *promissorio*, nimirum ad asserendam fidelitatem in exequendis iis quæ per contractum promittuntur.

Nota. Hic adest duplex quæstio, scilicet 1º an tale juramentum sit validum, et 2º in casibus ubi valet, an contractum confirmet. Quando est simpliciter validum seu est, ut dicitur, *per se stans*, inde exurgit tantum obligatio religionis. Si insuper contractum confirmet, inde exurgit, ultra obligationem religionis, obligatio justitiae. Quæ duæ obligationes differunt præcipue in hoc, 1º quod obligatio religionis tolli possit per dispensationem Ecclesiæ; obligatio vero justitiae ordinarie tolli non possit, cum illa sublatio vergeret in detrimentum tertii, vel ad summum tolli tantum possit per auctoritatem civilem, vi alti domini; 2º quod obligatio religionis seu juramenti afficiat im-

mediate jurantis personam, et proin ad hæredes non transeat; obligatio vero justitiæ conferat alteri jus proprietatis afficiens contrahentis bona, et idcirco ad hæredes transeat.

Jam autem inquiritur an valeat juramentum, et an contractum confirmet, in triplici casu, nempe si accedit contractui 1º valido, 2º invalido, 3º rescindibili; inquiritur 4º de juramento illico, seu quod sine jurantis peccato impleri non potest.

69. — q. *Quid, si accedit juramentum contractui valido?*

1º Ita peccat vendor si, *post conventionem* factam de pretio medio vel infimo, occulte sumat valorem pretii supremi, contrahentem decipiendo vel in numeratione pecuniae; vel in mercium quantitate, minus tradendo; vel in mercium qualitate, eas injuste adulterando, i. e. eas cum alia merce viliori miscendo, cum talis commixtio reddat ordinarie rem vel noxiā, vel deteriorem, vel minus utilem. Non tamen culpabilis est, *juxta Gury*, hujusmodi commixtio, 1º si vendoris res sit extraordinariae bonitatis; 2º si, per

ejus industriam, materia vilior meliori ita admisceatur, ut melius temperetur; quod tamen practice non facile admittendum est, ob hallucinationis periculum.

Ita pariter peccat qui, ut ad suam officinam plures attrahat, munera dat ancillis, famulis, filiisfamilias, etc., et hujusmodi expensas postea tacite compensat, augendo pretium; nam tali modo injuste cogit dominos ipsos ad eas donationes subeundas.

2º Ita peccat vendor si, *ante conventionem*, utatur fraude vere damnificativa seu mediis injustis, ut pertrahat emptorem ad pretium supremum.

Attamen **1º** communiter excusantur a fraude *vere damnificativa* illi qui adhibent mendacia, imo perjuria quibus affirmant merces sibi tanti constitisse, vel tale pretium sibi oblatum fuisse; ratio est, ait Gury, quia ista adeo inter illos sunt frequentia, ut nemo fere eis fidem adhibeat. Sed evidenter secus tenendum est ubi, ob specialem fiduciam in venditorem, mendacium censemur vera causa contractus. **2º** Facilius adhuc excusantur hi qui primo assignant pretium supremo majus, non quidem intentione illud obtinendi, sed intentione venditorem ad pretium minus et justum inducendi, seu ut dicitur *pour marchander*, sicuti saepe fit. **5º** Ab omni fraude alienus est, nec injustitiam committit vendor qui pretio vulgari vendit rem quam scientia privata scit minoris valitaram; nam pretium præsens est justum et nondum immutatum. Secus tamen si id sciret scientia communi, cum tunc jam mutatum foret pretium.

53. — q. An quandoque licet vendere supra supremum pretium?

r. Id aliquando licitum est. Speciatim autem inquiritur de septem casibus sequentibus.

q. 1º An id potest vendor qui, rem comparando, ex sua imprudentia vel ignorantia vel ex casu fortuito, solvit majora

*pretia vel subiit majores sumptus quam vulgo alii solvunt
aut subeunt?*

R. *Negative*; quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni aut alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit; quemadmodum non crescunt v. g. si aliquis mercator per naufragium, vel aliquis rusticus per grandinem, res suas perdiderit, secus vero si multi mercatores vel rustici talem jacturam habuerint.

Q. *2º An id potest venditor, ob specialem affectum quem erga rem experitur?*

R. *Affirmative*; quia affectus domini ad rem suam est vere pretio æstimabilis, cum privatio rei sit pro ipso major.

Q. *3º An id potest venditor, ob commoditatem quam ex re percipit?*

R. *Affirmative* a fortiori, siquidem privatio specialis commodi reddit rem venditori multo pretiosiorem, sicque æquum est ut ille pretium augeat ratione majoris jacturæ quam patitur.

Q. *4º An id potest venditor, ob specialem affectum vel commoditatem emptoris?*

R. *Negat* sententia olim communissima; quia major affectus vel utilitas non est venditoris, et proin ab ipso vendi nequit, alioquin venderet quod suum non est.

Affirmat sententia non improbabilis et, ut ait Gury ex Gousset, hodie sat communis in praxi; quia venditor emptori illud commodum procurat, et sic justum est ut cum emptore dividat, pretium rei adaugendo. « Il est généralement reçu, ait Gousset, du moins parmi nous, que la convenance particulière d'une chose pour tel acheteur, en fait hausser le prix; ce qui fait dire : cette chose vaut tant pour un tel, mais elle vaut moins pour un autre. L'acheteur lui-même s'attend à payer cette convenance, et il ne s'en plaint pas..... Mais il ne faut pas confondre la convenance d'une chose avec la néces-

sité de l'acheteur, dont le vendeur ne peut se prévaloir pour vendre une chose plus qu'elle ne vaut, sans commettre une injustice.

Q. 5º *An id potest venditor, ob dilationem solutionis pretii?*

R. Cum Gury *Affirmative*, saltem nunc probabiliter, modo non excedatur taxa legalis pro mutuo, aut ratio justi tituli, ut ex dicendis infra de usura patebit. Sic pariter, potest emptor emere infra pretium infimum ob *anticipatam* solutionem.

Q. 6º *An id potest venditor, si pretium ab emptore tradendum sit tempore quo res est pluris valitura?*

R. Cum Gury *Affirmative*, modo a venditore usque ad illud tempus esset asservanda. Sic pariter potest vilius emi, si res tradenda sit tempore quo minus valebit.

Q. 7º *An id potest mercator qui minutatim vendit?*

R. *Affirmative*; ille enim vendere potest charius quam illi qui in magna quantitate vendunt, quia debet majores labores, expensas, majusque tempus impendere ad merces conservandas atque emptoribus distribuendas.

54. — Q. *An quandoque licet emere infra infimum pretium?*

R. Id pariter aliquando licitum est. Speciatim autem inquiritur de quinque casibus sequentibus.

Q. 1º *An id potest emptor, in gratiam vendoris emptorem querentis?*

R. *Affirmative*, quia res ultroneæ vilescant, et pretium rei decrescit quando res est parum utilis emptori et quando hic in gratiam vendoris emit.

Q. 2º *An id potest emptor, ubi merces venduntur ob vendoris paupertatem?*

Alii probabiliter *Negant*, quia venditor offert ex sola necessitate; in quo casu, qui minoris emit, agere videtur non tantum contra charitatem, sed forte etiam contra

justitiam: quia, sicut *necessitas* emptoris (juxta 1^m sententiam in 4^o, N^o 55) non auget pretium, ita nec *necessitas* vendoris illud minuit, sed tantum *aestimatio communis*.

Alii vero, cum Gury, probabiliter *Affirmant*, quia res ultronea de pretio decrescit, juxta communem *aestimatiōnē*; inopia autem vendoris non efficit ut *communis aestimatio* mutetur.

Q. 5^o *An id potest emptor, ob anticipatam solutionem?*

R. *Affirmative*, ut N^o præcedenti dictum est.

Q. 4^o *An quis etiam chirographa et credita sic vilius emere potest, ob anticipatam hujus emptionis solutionem?*

R. Cum Gury:

1^o *Affirmative* omnino, si sint incertæ vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescent, ut patet.

2^o *Affirmative* probabiliter, licet sint certæ et facilis solutionis. Ratio est, 1^o quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo censetur justum pretium illud quod communiter pro talibus chirographis solvit (ita Lig.); 2^o quia æquivalent pecuniae mutuatae; proinde, eadem ratione ac in mutuo, licet percipere lucrum moderatum, juxta taxam legalem. Ita nunc praxis communis.

Nota. Casus præsens et similes, in quibus non licet emere *infra* vel vendere *supra taxam legalem* pro mutuo constitutam, potius dicendi sunt pertinere ad 1^m regulam N^o 64 datam quoad pretium *legale*, quia *taxa legalis* hic aliud non est quam pretium *legale*.

Q. 5^o *An quis multo vilius emere potest credita solutionis valde difficilis in se, si, propter circumstantiam sibi specialem, soluta fiant facilia?*

R. *Affirmative* probabilius, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re quæ venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicujus rei a communi *aestimatione*, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur.

Nota cum Gury. In restituzione facienda ob lœsionem justi pretii, sic tenendum:

Generatim: 1º si de venditore agatur, excessus injustus computandus est a pretio supremo, quia, seposita semper fraude de qua supra, N° 52, hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit læsus nisi in eo quod pretium supremum superat. 2º Si de emptore agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia potuit emere tali pretio; unde venditor tantum læsus fuit in eo quod est infra hoc pretium. Dixi *generatim*: nam,

Insuper restituendum foret lucrum fraude obtentum, licet pretium supremum non excederet, vel infimum attingeret, ut supra, N° 52, dictum est.

Articulus IV.

DE OBLIGATIONIBUS VENDITORIS ET EMPTORIS, POST INITUM CONTRACTUM.

Jam varias supra vidimus venditoris et emptoris obligationes *in ipso contractu* venditionis et emptionis servandas, tum circa rem vendibilem, tum circa rei pretium. Nunc agendum est de eorum præcipuis obligationibus *post contractum* initum.

§ I.

De obligationibus venditoris.

55. — q. *Quænam sunt, generatim, venditoris obligationes post initum contractum?*

r. Ut scopus venditionis attingatur, tenetur venditor præstare ut possit emptor jura domini exercere circa rem venditam, iisque securus frui. Hinc duplex est ejus obligatio, scilicet 1º rei traditio (*la délivrance*), 2º ejus assecuratio (*la garantie*).

56. — q. *Quid est rei venditæ traditio?*

r. Est ejus translatio in potestatem et possessionem emptoris.

Non est confundenda rei traditio (*la délivrance*) cum ejus asportatione (*l'enlèvement*): *traditio* est simpliciter copia emptori facta rei apprehenderidæ; efficitur quin res vendita transeat de loco ad locum, et ejus expensæ spectant ad venditorem, nisi aliter conventum fuerit; dum *asportationis* expensæ, nisi aliter conventum fuerit, spectant ad emptorem, utope ad rei dominum, art. 1608.

Sint jam, juxta codicem civ., quoad *traditionem*, octo petita sequentia :

Q. 1º Quidnam *tradendum est?*

R. Tradenda est res ipsa, cum omnibus accessoriis, v. g. titulis, clavibus, etc., et cum fructibus quos a tempore venditionis res produxit, ut sunt v. g. pullus ex equa, vitulus ex vacca.

Q. 2º Ubinam *tradendum est?*

R. In eo loco in quo res fuit vendita, nisi aliter conventum fuerit.

Q. 3º Quomodo *tradendum est?*

R. *Traditio* fit variis modis, pro diversis rebus quæ venduntur: scilicet, pro bonis immobilibus, tradendo claves vel titulos proprietatis; pro mobilibus, per traditionem realem, vel per solum consensum.

Q. 4º In quo statu res *tradenda est?*

R. Tradenda est in eo statu in quo erat tempore venditionis. Attamen, si res interea, absque facto venditoris (vide hic infra, 8º) creverit vel decreverit, hæc mutatio imputatur emptori, non autem venditori, qui interea ad nihil aliud tenetur quam ad rem tamquam suam conservandam.

Q. 5º Quandonam *tradendum est?*

R. Si rei tradendæ tempus fuerit determinatum, tunc facienda est *traditio*. Si non fuerit determinatum, facienda est statim ac eam exigit emptor, modo pretium solvat, nisi solutionis terminus concessus fuerit.

Q. 6º *Quid si venditor rem dicto tempore tradere neglexerit, vel non potuerit?*

R. *Si neglexerit*, emptor petere potest vel contractus rescissionem, vel rei traditionem, et in utroque casu reparationem damni quod patitur. *Si non potuerit*, emptor quoque petere potest rescissionem vel traditionem, non vero compensationem damni, utpote venditori non imputabilis.

Q. 7º *Quandonam venditor rem tradere non tenetur?*

R. Non tenetur, 1º si totum pretium statim non solvatur, in casu quo venditori dilatio non concessa fuerit; imo 2º in casu dilationis concessæ, si a tempore venditionis emptor foro cesserit, vel si legitima supervenerit ratio dubitandi an postea habiturus sit unde solvat.

Q. 8º *Quid si ante traditionem res pereat?*

R. Perire potest vel 1º ex vitio intrinseco aut culpa venditoris, vel 2º ex casu fortuito. Si 1º ex vitio aut culpa, venditori perit (vide N° 58). Si 2º ex casu fortuito, v. g. quia domus vento eversa, equus furatus, etc., perit venditori si fuerit in mora culpabili rem tradendi; si autem non fuerit in mora culpabili, perit emptori, qui pretium solvere tenetur licet rem non obtineat.

57. — Q. *Quid hic intelligitur per rei assecurationem?*

R. Est periculorum rei venditæ in se susceptio; et proinde, rem *asscurare* nihil aliud est quam præstare ut emptor tranquille re illa fruatur.

Duplici autem modo emptor hac tranquilla fruitione rei quam emit, privari potest, scilicet 1º per rei defectus quos venditor declarare debuisse; 2º per supervenientem evictionem.

58. — Q. *Quosnam rei defectus declarare tenetur venditor?*

R. Non quoscumque rei defectus declarare tenetur, cum

alioquin vix ullum commercium stare posset. Defectus autem esse possunt vel occulti vel manifesti. Jam vero,

1º Occultos defectus declarare tenetur, in dupli casu, scilicet: 1º quando tales sunt, ut reddant rem noxiā aut notabiliter minus utilem; 2º etsi tales non sint, quando vendor de defectibus interrogatur. Si in his casibus defectus non declareret vendor, vere dolum et in-justitiam committit.

In casibus autem *doli*, contractus frequenter rescindibilis evadit ad nutum emptoris decepti; et sic v. g., hic a judice petere posset rescissionem venditionis rei immobilis, si probare possit se ultra septem duodecimas (*au-delà des 7/12*) valoris rei deceptum fuisse.

2º Manifestos defectus, sive interrogetur sive non, declarare non tenetur per se, quia emptor sibi imputare debet si eos non perspiciat. Dico *per se*: nam declarare tenetur, si emptor sit valde rudis; quia hi defectus respectu illius censentur occulti.

Nota 1º. Patet quod ille qui vendit rem obnoxiam defectibus, sive occultis sive apparentibus, tenetur minuere pretium pro ratione defectuum: cum alioquin res pluris venderetur quam valet.

Nota 2º. In casu doli quoad defectus non declaratos, tenetur vendor reparare damna ex his defectibus rei venditæ sequentia, si fuerint prævisa; non vero damna quæ non fuerunt prævisa, nequidem in confuso, ut in tractatu *De Justitia* dictum est.

59. — q. *In quonam consistit evictio?*

r. *Evictio* in eo consistit, quod emptor rem emptam reddere teneatur alteri, quoad totum vel quoad partem. Suppono me v. g. tibi vendidisse domum aliquam; sed subinde Petrus probat domum hanc esse suam, vel se in eam habere hypothecam, adeo ut tu ædem vel partem valoris Petro reddere cogaris.

Praenotandum est venditorem, tempore venditionis, in triplici supponi posse statu, scilicet vel malæ vel bonæ vel dubiæ fidei, prout certo sciebat rem non esse suam sive eam esse hypotheca gravatam, aut id penitus ignorabat, aut desuper prudenter dubitabat.

Jam autem duplex est quæstio: 1º quandonam venditor de evictione teneatur; 2º quidnam ratione evictionis restituere debeat.

60. — q. *Quandonam venditor de evictione tenetur?*

r. Regulam generalem tradit codex civ., art. 1626, scilicet: de omni evictione tenetur venditor, nisi contrarium fuerit stipulatum.

Dico 1º *tenetur*, scilicet generatim: nam venditor, qui pretium recepit, jus non habet in hoc pretium, nisi rei venditæ dominium transtulerit; atqui dominium, saltem perfectum, non transtulit in hanc rem quam emptor, ob causas ante venditionem existentes, reddere cogitur, aliis verbis, non potuit transferre dominium quod ipse non habebat.

Dico 2º *nisi contrarium stipulatum fuerit*: nam, si periculum evictionis utriusque contrahenti sit notum, possunt de illo pacisci juxta probabilitates, imminuto pretio; contractus tunc est aleatorius, et venditor de evictione non tenetur. Sed facile intelligitur venditorem hujusmodi stipulationem inire posse tantum si sit bonæ vel dubiæ fidei; non vero si sit malæ fidei, quia tunc talis stipulatio nihil aliud foret quam odiosa fraus.

61. — q. *Quidnam ille venditor qui de evictione tenetur, restituere debet?*

r. 1º Si fuerit malæ fidei, emptori restituere debet 1º rei pretium; 2º omne damnum quod patitur emptor, v. g. sumptus initi contractus, fructus quos emptor domino rei forte restituit, etc.

2º Si fuerit *bonæ fidei*, et a fortiori si *dubice fidei*, restituere debet pretium, 1º post sententiam judicis; 2º etiam ante judicis sententiam, in casu quo certo sibi constaret rem pertinere ad tertium. Verum, ante judicis sententiam non tenetur, ait Gury, facile fidem præbere iis ita esse asserentibus, cum præsumptio ipsi faveat, nec aliunde sententia judicis intervenerit.

Nota 1º. In casu evictionis *partialis*, videndum est an pars de qua evincitur emptor, talis sit ut absque ea rem emere voluisse vel noluisse. *Si noluisse*, potest contractus dissolutionem obtainere; *si voluisse*, i. e. si nihilominus rem emisset, potest hujus partis pretium exigere, et nihil ultra. Art. 1656, 1657.

Nota 2º. Quæ statuuntur de evictione partiali, ex art. 1658, applicantur casui quo fundus venditus gravaretur servitilibus non apparentibus quæ non fuerunt declaratae.

§ II.

De obligationibus emptoris.

62. — q. *Quænam sunt præcipuae obligationes emptoris post initum contractum?*

r. Reducuntur ad duas: 1º tempore convenienti rem auferre; 2º solvere tum rei pretium, tum quandoque quædam alia, ut ex quatuor hic sequentibus intelligetur.

1º Emptor rei pretium solvere tenetur, loco et tempore præfixis; aut, si nihil conventum fuerit, loco et tempore quo res traditur, vel tradi debuisset. Dico *tradi debuisset*: quia, si res casu fortuito perierit, ideo non liberatur emptor a pretio solvendo. Art. 1650, 1651, ut N° 56 in 8º dictum est.

Attamen, juxta art. 1653, si emptor perturbetur vel justam habeat causam metuendi perturbationem in rei possessione per evictionem, aut actionem hypothecariam,

potest pretii solutionem *suspendere*, donec sublata fuerit perturbationis causa: cum enim in eo casu venditor suam obligationem non impleverit, nec ipse emptor suam implere tenetur; prelum retinet quasi in securitate sui juris. Excipe, si conventum fuerit prelum solvendum fore non obstante perturbatione, vel si venditor cautionem constituerit: in quibus casibus solutionem suspendere non potest emptor.

2º Si emptor, dicto tempore, pretium non solvat et rem non auferat, venditor potest vel eum ad solvendum cogere; vel a contractu resilire, idque absque aut eum judicis sententia, prout de mobilibus vel de immobilibus agitur.

3º Quamdiu rei prelum non solutum est, emptor venditori debet, ultra rei pretium, pretii interesse (*les intérêts*), in triplici casu, ab art. 1632 determinato, scilicet 1º si tempore venditionis ita conventum fuerit; 2º si res vendita et tradita, sit frugifera, quia æquum non est ut emptor fruatur simul re frugifera et illius pretio; 3º si emptor sit in mora solvendi pretium, ad quod sufficit mera interpellatio creditoris (*une sommation*). Hoc autem interesse currere incipit, in duobus prioribus casibus, a die contractus; et in tertio casu, a die interpellationis.

4º Emptor, nisi contrarium stipulatum fuerit, tenetur insuper solvere expensas factas pro asportatione rei venditæ, pro scripturis aut actibus authenticis; item pro sumptibus necessariis ad rei conservationem, a die venditionis.

Articulus V.

Illæ species sunt 1º venditio cum pacto redimendi, 2º venditio sub hasta, 3º monopolium, 4º venditio per proxenetas.

§ I.

De venditione cum pacto redimendi.

63. — q. *Quid est hujusmodi venditio?*

r. *Venditio cum pacto redimendi* (*vente avec faculté de rachat ou le réméré*) est ea qua venditor sibi reservat facultatem rem suam intra quoddam tempus redimendi. Hoc tempus, juxta art. 1660, ultra quinquennium extendi non potest, quia voluit lex ne dominia diutius remanerent incerta. — Ex definitione concipitur quod hoc pactum sit proprie in gratiam *venditoris*.

Facile intelligitur duos esse, sub hoc contractu, actus distinctos, qui sunt 1° ipsa venditio, in qua venditor facultatem redimendi sibi reservat; 2° ipsa retrovenditio, quæ postea fieri potest. Illa prima venditio nihil aliud est quam venditio quædam inita sub conditione *resolutoria*; et consequenter, hæc revenditio est simpliciter resolutio venditionis prioris, ita ut, hac resolutione facta, omnia in priorem statum redeant, seu ut res, juxta art. 1180, reponantur in eodem statu ac si nunquam extitisset contractus.

64. — q. *An licitus est ille contractus?*

r. *Affirmative.* Probatur 1° ex Scriptura, Levit. XXV, 29 et 50, ex quo loco concludendum videtur tale pactum non tantum fuisse approbatum, sed in quibusdam casibus Judæis fuisse impositum; 2° ex codice civ., qui hunc contractum admittit et regulat; 5° ex jure naturali, cui nihil habet contrarium, si inter venditorem et emptorem debita servetur *aequalitas*.

Ut autem hæc teneatur *aequalitas*, quædam requiruntur servanda 1° in prima illa venditione, 2° in revenditione.

Ilaque:

Q. *Quænam observanda sunt in prima venditione?*

R. In prima venditione duæ requiruntur conditiones, scilicet :

Requiritur 1º ut minuatur rei pretium. Siquidem vendor sibi reservet facultatem redimendi, emptor emit rem hoc onere gravatam, quæ proin erga ipsum minoris est valoris; et sic, onus hoc compensandum est imminutione pretii ab ipso solvendi.

Requiritur 2º ut adsit voluntas sincera vendendi et emendi, ita ut emptor vere dominium rei venditæ acquirat, et omnia jura domini in eam exercere valeat quamdiu hoc dominium per retrovenditionem non fuerit amisum.

Q. *Quænam observanda sunt in retrovenditione?*

R. In retrovenditione debita æqualitas aderit, si serventur tria sequentia :

1º Primus vendor restituere debet idem *pretium* quod recepit; dum primus emptor restituere debet *rem*, et quidem in statu in quo nunc est, vacuam tamen ab omnibus oneribus quæ emptor, utpote rei dominus, ei interea annexere potuerit. Attamen

2º Primus vendor restituere debet sumptus prioris contractus, et reparations, tum necessarias tum utiles, quas fecit emptor, siquidem valorem rei augent, et ipse vendor eas fecisset; dum primus emptor restituere debet deterioraciones seu damna quæ rei obveniunt per suam culpam, non vero si absque sua culpa.

3º Primus vendor restituere non tenetur auctarium seu interesse *pretii* quod recepit; sicut primus emptor neque restituere tenetur *rei fructus* quos percepit. Cum autem res reponantur in eodem statu ac si venditio facta non fuisset, magis quidem consentaneum foret principiis, ut primus emptor restitueret *rei fructus*, et primus vendor *pretii* interesse; sed voluit verisimilius lex, ait Carrière, præcavere lites plerumque orituras si instituenda foret computatio fructuum.

65. — Inquiritur jam an venditio cum pacto redimendi, quam hucusque institui vidimus in gratiam *venditoris*, institui possit in gratiam *emptoris*, i. e. venditio in qua venditor habeat non quidem *facultatem*, ut supra, sed sibi imponat *obligationem* rem redimendi *ad nutum emptoris*. Itaque :

Q. *An licita est talis venditio in gratiam emptoris facta?*

R. Jus civile, ait Carrière, talem venditionem non expresse approbat, nec ullibi improbat; eam eatenus reprobaret quatenus usuram immodicam seu supra taxam legalem includeret.

Docet autem Lig. hoc paclum esse licitum, modo sequentes serventur conditiones, tum in prima venditione tum in retrovenditione. *In prima venditione*, requiritur 1° ut augeatur pretium ab emptore solvendam venditori juxta aestimationem oneris quod ei imponitur; 2° sicut supra, N° 64, ut adsit verus animus vendendi et emendi, non vero fœnerandi. *In retrovenditione*, requiritur ut non obligetur primus vendor rem reemere eodem pretio majori quod in prima venditione recepit, sed tantum juxta communem valorem quem res tempore hujus venditionis habebat; vel juxta valorem rei tempore redemptionis, si res sit deteriorata; imo, in casu quo res crescat, et ipsi venditori crescat.

His conditionibus servatis, ait Lig., nequaquam mihi illicitum videtur hoc pactum: sicut enim licitum est pactum retrovendendi in beneficium *venditoris*, cum diminutione pretii; ita contra, cum pretii augmento, licitum dici debet pactum reemendi in beneficium *emptoris*, cum sic gravamina ultriusque compensentur.

66. — Q. *Quid est contractus mohatra?*

R. *Contractus mohatra*, sic dictus ab Hispanis, est species revenditionis; scilicet est contractus quo quis rem vendit credito et majori pretio, cum pacto ut emptor

statim ipsi eamdem rem retrovendat numerata pecunia et minori pretio. Res illustratur exemplo : tu v. g. egas summa pecuniaria 1,000 francorum; ego tibi sequentem propono modum tibi hanc summam statim procurandi : apud me emas merces, valentes quidem 1,000 francis sed quas solves 1,100 francis, non quidem statim sed tantum post quoddam tempus, v. g. post annum; sed volo ut easdem merces statim mihi retrovendas, non 1,100 sed tantum 1,000 francis, quod pretium 1,000 francorum statim tibi solvam; post elapsum autem tempus, seu annum, 1,100 francos, quos mihi debes, solves.

Q. An licitus est ille contractus?

R. Facile intelligitur hunc contractum esse usurarium *de se*, et merito ab Inn. XI fuisse damnatum. Nam, idem est, in exemplo citato, ac si ego tibi mutuo præstarem summam 1,000 francorum, cum obligatione, a tua parte, post annum, ultra hanc summam mihi refundendi auclarium 100 francorum, seu 1,100 francos in globo. Dixi *de se*: nam non damnandus foret ille contractus, ait Gury, si lucrum inde perceptum taxam legalem pro mutuo non excedat, quia tunc in legitimum mutuum recideret.

Nota. Occurrit recens quædam operatio mercatoria quæ ad retrovenditionem aliquatenus refertur: consistit hic negotiandi modus in *actionibus commercialibus*, i. e. in juribus ad pecuniam apud mercatorias societas collocatam, vendendis et redimendis; vide infra *De Censu*, N° 100.

§ II.

De venditione sub hasta.

67. — *Q. Quid est venditio sub hasta?*

R. Est venditio in qua res vendenda per præconem proclamatur, et ultimæ licitationi adscribitur.

Sint desuper sequentia ex opusculo nostro: *Notions élémentaires et usuuelles de droit civil:*

La vente aux enchères ou à l'encañ, ou la *licitation* est celle qui se fait par un crieur public, et dans laquelle l'objet est adjugé au dernier *enchérisseur*. Elle doit se faire devant un notaire ou une autre personne désignée par la loi.

Cette vente a ceci de particulier, que les objets peuvent être vendus soit au-dessus, soit au-dessous de leur valeur réelle. Donc, tous les prix sont licites, pourvu toutefois qu'il n'y ait pas de fraude ni de la part du vendeur ni de la part de l'acheteur.

De la part du *vendeur*: il ne peut exposer une chose pour une autre; ni avoir recours à de faux enchérisseurs, afin de faire hausser le prix des objets; ni retirer la chose, lorsqu'elle n'est adjugée qu'à un bas prix. De la part des *acheteurs*: ils ne peuvent faire une *convention* entre eux de ne pas enchérir, afin de faire vendre la chose à un bas prix. Voici la raison de ces deux obligations: le vendeur, s'obligant de livrer la chose au plus offrant, quelque minime que soit le prix offert, a droit à ce que les acheteurs n'empêchent pas, par des moyens injustes, que l'objet ne monte à un prix élevé.

Ce qui précède, est dicté par l'équité naturelle. Cependant, chez nous le contraire se pratique souvent; c'est-à-dire, que le vendeur se donne le droit de retirer l'objet, et que les acheteurs, en conséquence, se donnent aussi le droit de convenir entre eux de ne pas enchérir à un prix élevé. Si l'un se fait, l'autre peut se faire aussi, afin qu'il y ait égalité des deux côtés. Au surplus, en tout cas, il est permis à l'acheteur de *prier* les autres enchérisseurs (une prière n'est pas une convention) de ne pas enchérir sur lui, pourvu toutefois que ses prières ne soient pas trop importunes, ni mêlées de mensonges ou autre fraude.

§ III.

De monopolio.

68. — q. *Quid est monopolium?*

r. *Monopolium*, quod idem sonat ac *unius venditio*, est potestas vendendi certas res, penes unum vel paucos tantum venditores existens.

Monopolium distinguitur legale vel privatum. *Legale* est illud quod auctoritate publica concessum est; *privatum* locum habet quando unus, vel plures per modum unius, per machinationem et industriam, efficiunt ut ipsi soli vendant certum genus mercium, vel non vendant nisi certo pretio.

69. — q. *An licitum est monopolium legale?*

r. *Affirmative*, modo rationabili de causa concedatur, ac res justo pretio vendantur. Sic, rationabilis censetur causa, in casu quo princeps illud privilegium concedat 1º in remunerationem (*brevet*) inventoribus aut perfectoribus alicujus artis seu operis, qui id per certum tempus soli vendere possunt; 2º per modum tributi, ad sibi comparandas pecunias quibus indiget; prout est v. g. monopolium circa tabacum in Gallia.

q. *Quomodo peccari potest in exercitio monopolii privati?*

r. Peccari potest, sive contra justitiam sive quandoque contra charitatem, in casibus sequentibus:

1º Contra justitiam peccant mercatores qui fraude vel mendacio impediunt ne aliae merces advehantur, ut ipsi merces suas vendant charius, ac proinde cum detimento communi.

2º Contra justitiam peccant mercatores qui omnes aut fere omnes cujusdam generis merces emunt, ut, inducta raritate, eas *supra supremum* pretium vendant, i. e. supra summum pretium quod fuisset si monopolium non fecissent; nam causa sunt cur pretium injuste augeatur.

Si tantum supremo pretio vendant, probabile est, juxta Lig., eos non peccare contra justitiam, quia quisque vendor jus habet exigendi summum pretium; imo nec contra charitatem, modo alios non inducant ad charius vendendum, quia utuntur jure suo: nemo enim proprium commodum seu justum lucrum negligere tenetur, ut evitet damnum alienum si hoc avertere non obligetur.

5º Contra justitiam peccant mercatores qui conspirant ne merces suas vendant nisi *ultra summum* pretium, ut patet. -

Si autem conspirent ut eas vendant tantum *summo* pretio, probabilius est, juxta Lig. et Gury, eos non peccare saltem contra justitiam; quia, si emptores cogantur ad emendum summo pretio, non coguntur proprie a vendoribus, bene vero a sua necessitate, quæ vera coactio a parte vendorum dici nequit. Dixi *saltem contra justitiam*: nam graviter peccant contra charitatem; quia charitas, licet te non obliget ad vendendum infra summum pretium, videtur tamen te obligare ad non dissuadendum aliis ne minori pretio vendant. Sic, licet charitate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen dissuadere aliis qui eam elargiri volunt.

Nota. Quæ dicimus de conspirantibus mercatoribus, applicanda sunt conspirantibus dominis vel opificibus, i. e. dominis qui inter se conveniunt se opifices ad laborandum non conducturos nisi minori pretio; et vice versa, opificibus qui inter se conveniunt se tale opus non esse facturos vel perfecturos nisi majori ducantur pretio: ut dicitur *coalitions de maitres, d'ouvriers, ouvriers en grève.*

4º An autem, facto inter aliquos monopolio injusto vendendi pretio supremum excedente, licitum sit aliis eodem vendere pretio, disputatur. *Affirmant* Salmantenses, Bonacina, etc., tenentes quod illud pretium jam factum est commune. *Negat* vero Lig. cum aliis, quia tale pre-

tium ex injustitia adiunctum semper injustum est, nec debet teneri pro justa aestimatione, quæ ab injustitia oritur habuit.

§ IV.

De venditione per proxenetas.

70. — q. *Quid est venditio per proxenetas?*

r. Venditio per *proxenetas* (*par entremetteurs, courtiers, commissionnaires*) est ea quæ fit non immediate ab eo ad quem res pertinent, sed per alios ex commissione; et hi *proxenetæ* vocantur.

Possunt autem esse proxenetæ, vel tantum ut amici, qui gratuito id præstant; vel speciali mercede ad hoc conducti, v. g. ut habeant unum pro cento, aut mercedem annuam v. g. 5,000 francorum; vel ad diversa opera pretio annuo vel aliter determinato locati, v. g. ancillæ, famuli.

71. — q. *An proxeneta, qui vendit supra aut qui emit infra pretium sibi a domino designatum, potest excessum pretii sibi retinere?*

r. *Negative*, generatim loquendo: nam est proxeneta vel ut amicus, et mercedi renuntiavit; vel ut mercede determinata conductus, et ea sola contentus esse debet; vel ut famulus, et ad nihil aliud quam ad stipendum stipulatum famulatus jus habet. Nec obstat quod dominus pretium determinaverit: nam, hac determinatione, dominus voluit tantum inhibere venditionem infra vel emptionem supra determinatum pretium, non vero retineri posse hujus pretii excessum.

Dixi *generatim loquendo*: nam excessum retinere posset proxeneta in his tribus casibus: 1º si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali, rem meliorem fecisset; 2º si dominus id concesserit, tum

explicite, tum implicite, v. g. in casu quo dominus hoc noscat et taceat; 3º si rem vendendam pretio per dominum determinato, ipsemet eo pretio emat et postea eam majori pretio vendat; sed positis duabus his conditionibus, scilicet 1º ut, ante hanc exemptionem, adhibita morali diligentia, emptorem non invenerit qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2º ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat, et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servaretur.

Q. *An proxeneta potest sibi retinere partem pretii quam vendentes ei gratis donant solo ejus intuitu, ut sic eum ad officinam suam allicant?*

R. *Affirmative*, modo constet de vera donatione, i. e. modo constet quod vendor ejusmodi rem aliis quam proxenetae non nisi pretio superiori vendat. Sic, professor musicæ, ab alio rogatus ut emat instrumentum musicum valoris v. g. 1,000 francorum, quod tamen ipse emit pretio remisso 900 francorum (*prix d'artiste*), sibi retinere potest 100 francos; sic quoque sartor, cui commissio datur pannum emendi ad conficiendas alienas vestes, retinere potest pretii imminutionem gratis a vendente sibi datam; sic quoque ancillæ, famuli, etc., accipere possunt munuscula gratis eis data, ut alibi dictum est. Sed in his omnibus valde caute est procedendum.

CAPUT IV.

DE COMMODATO ET MUTUO.

72. — Hi duo contractus, qui gallice designantur communis nomine *le prêt*, inter se convenient in hoc quod, in utroque, aliquis rem suam alteri tradat, ut hic ea gratis utatur, cum onere reddendi.

Eorum autem discrepantia repetenda est a modo quo re illa quis utatur: si enim res talis sit, ut accipiens ea utatur quin eam destruat, v. g. rheda pro tali itinere, est *commodatum* (*prêt à usage, commodat*); atque in hoc contractu dominium non transfertur. Si autem res talis sit naturæ ut ex accipientis primo usu consummatur, quales sunt v. g. vini lagenæ, est *mutuum* (*prêt de consommation, simple prêt*); atque in hoc contractu transfertur dominium.

Uterque ille contractus est *realis*, i. e. non perficitur nisi per rei traditionem; et est *gratuitus*, quia ex natura sua vergit in utilitatem solius accipientis. Jam de utroque separatim dicendum est. Vide codicem, art. 1874 et seqq.

Articulus I.

DE COMMODATO.

73. — q. *Quid est commodatum?*

R. Ut ex modo dictis intelligitur, est contractus quo res, primo usu non consumptibilis, alicui gratis ad solum usum conceditur, post certum tempus reddenda.

Dico 1º *primo usu non consumptibilis*, v. g. equus, rheda, libri, instrumenta, verbo, hujusmodi res quæcumque mobiles vel immobiles quæ in commercio civili possitæ sunt. Si autem foret primo usu consumptibilis, contractus esset non *commodatum* sed *mutuum*.

Dico 2º *gratis*: nam si aliquid pro rei usu exigeretur, esset *locatio*.

Dico 5º *ad usum*: et sic differt a *deposito*, in quo conceditur res, non ad usum sed ad custodiam. Et quidem ad *solum* usum, quia *commodans* rei suæ dominium servat.

Dico 4º *post certum tempus*; et sic differt a *precario*,

in quo res non conceditur pro determinato tempore, sed reddenda est ad nutum concedentis.

Dico 5º *reddenda*, et quidem omnino eadem, non vero res alia similis aut æquivalens; imo reddenda est in statu tali ut commodans, qui præstitit beneficium, ex eo damnum non patiatur.

74. — q. *Quænam sunt obligationes commodatarii, tum quoad rei custodiam, tum quoad rei restitutionem?*

r. *Quoad rei custodiam*, tenetur re sibi commodata utilamquam bonus paterfamilias, i. e.:

1º Eam abhibere non potest nisi ad usum vel sibi concessionem, vel cui prudenter judicat consentire concedentem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus, rei alienæ usu abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenetur.

2º Subire debet impensas necessarias ut res conservetur, v. g. alere equum commodatum.

Quoad rei restitutionem, tenetur rem commodatam reddere modo sequenti:

1º Reddere *tempore* præfixo, et propriis expensis, etiam si non repetatur: quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus præfinitum non fuerit, per se restituiri debet res commodata, statim ac postulatum usum præsliterit.

2º Reddere *in bono statu*; unde si res deterior facta fuerit ipsius culpa solum juridica, tenetur in foro externo compensare damna. Imo, juxta theologos non paucos, ad id tenetur in foro interno, cum contractus sit in solam ejus utilitatem initus; id tamen *Negant* probabiliter alii, nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit.

75. — q. *Quænam sunt obligationes commodantis?*

r. Ad tria obligatur sequentia:

1º Tenetur *per se* rem commodatam non repetrere ante tempus conventione præfixum, et, defectu conventionis,

ante tempus necessarium ut commodatarius ea uti valeat; alioquin, compensare debet damnum quod alius expertus est ex intempestiva ejus revocatione, quia violavit alienum jus pacto acquisitum. Dico *per se*: nam repetere potest 1º ab hæredibus, si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus præfixum moritur; 2º si ipse commodans ex casu improviso re sua statim indigeat.

2º Tenetur sustinere rei pericula et detrimenta ex casu fortuito enata, juxta axioma: *res perit domino*, seclusa tamen mora, culpa, aut pacto peculiari; et sic, restituere debet impensas extraordinarias, necessarias et urgentes, quas in re conservanda fecit commodatarius qui commendantem monere facile non potuit, v. g. ad curandum equum gravi morbo absque commodatarii culpa laborantem.

3º Tenetur rei commodatae vitia aperire commodatario, si quædam habeat nociva, quorum ipse conscientis sit; alias, damnum inde proveniens ab eo compensandum est.

Articulus II.

DE MUTUO.

Tripli paragrapho dicimus 1º de natura contractus mutui; 2º de lucro percepto ex mutuo, seu de usura; 3º de titulis ab usura excusantibus.

§ I.

De natura mutui.

76. — q. *Quid est mutuum?*

R. Est contractus quo rei, primo usu consumptibilis, dominium alteri per traditionem transfertur, cum obligatione rem similem in eadem specie et bonitate redendi post aliquod temporis spatium.

Dico 1º *primo usu consumptibilis*, ut sunt v. g. panis,

vinum, pecunia numerata. Et quidem usu *primo*; unde hic non agitur de usu *successivo*, quia res quæ consumuntur per usum successivum, potius dicuntur *deteriorari* quam consumi; agitur de usu *consumptionis*.

Duplex autem distinguitur usus consumptionis, scilicet *naturalis* et *civilis*. *Naturalis*, quo res vere destruitur, v. g. in usu frumenti, olei, etc.; *civilis* seu *moralis*, ut v. g. in pecunia numerata, in qua res seu pecunia non quidem destruitur in se, sed perit utenti seu illi qui eam tradit alteri.

Dico *2º dominium transfertur*: cum enim mutuata res sit primo usu consumptibilis, ejus usus non distinguitur ab ipso dominio, siquidem consumens rem aliquam de ea omnino disponit. Unde, cum sit rei vere dominus, eam non tantum consumere, sed etiam donare, vendere, aut quocumque modo alienare potest; et sic, quovis modo res mutuata crescat, decrescat aut pereat, mutuatio crescit, decrescit aut perit.

Dico *3º cum obligatione rem similem in eadem specie et bonitate reddendi*. Et quidem *1º reddendi*: nam, si non foret reddenda, contractus esset *donatio vel census*; *2º reddendi rem similem*, non vero rem in individuo eamdem, quod foret *commodatum vel locatum*; *3º in eadem specie*, non vero in specie diversa, ut si reddatur v. g. vinum pro accepto frumento, vel frumentum pro pecunia, quod foret *permutatio vel venditio*; ergo reddendum est in specie eadem, v. g. pro accepto frumento reddendum est aliud frumentum, pro accepta pecunia reddendi sunt alii pecuniæ nummi; *4º in eadem bonitate*: nam mutuans debet tantum accipere quantum dedit, quia secus, damnnum pateretur, ut si v. g. pro vino generoso reddatur vinum commune.

Dico *4º post aliquod temporis spatium*: si enim foret reddenda statim, contractus esset *cambium*, in quo v. g. pro argento aurum, vel pro moneta valores scripti (*dès*

billets) redduntur statim; si autem foret reddenda ad nutum concedentis, esset *precarium*, ut jam dictum est.

77. — Q. *Quænam sunt præcipuae obligationes mutuatarii?*

R. Comprehenduntur in hoc uno, scilicet in *redditione debita*. Hinc 1º cum sit rei mutuatariae dominus, et cum res ipsi pereat etiamsi casu fortuito, erga mutuantem non liberatur donec redditio ei facta fuerit; 2º reddere tenetur in eadem specie et bonitate, ut supra dictum est et statim latius dicetur; 3º reddere tenetur tempore debito; attamen ante hoc tempus reddere potest, sed generatim non debet.

78. — Q. *Quænam sunt præcipuae obligationes mutuantis?*

R. Ad tres reducuntur sequentes:

1º Quemadmodum in commodato, tenetur mutuatarium monere de vitio rei traditæ, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis, saltem si alter ista ignoret; alias, hic non censetur consentire eique fit injuria, quam reparare debet mutuans.

2º Tenetur non repetere rem ante tempus aliquod sive determinatum sive judicio prudentium determinandum, consideratis circumstantiis et fine ob quem res mutuo data est. Rem tamen recipere debet si afferalur antea, quia in gratiam mutuatarii tempus concessum est.

3º Tenetur nihil exigere ultra rem mutuatam seu ultra sortem, nisi habeat titulum aliquem speciale; quia mutuum est contractus natura sua gratuitus, et proin ex eo mutuans ditescere non valet quin sit reus usuræ. Attamen jus habet ut ex mutuo detrimentum non patiatur; et ideo supra dictum est ipsi reddendum esse *in eadem bonitate*.

Duplex autem distinguitur *rei bonitas*, intrinseca et extrinseca. Bonitas *intrinseca* seu *physica* est illa quam res habet ob suam substantiam seu ex natura sua, v. g.

bonitas quam habet frumentum, vinum, etc. Bonitas *extrinseca* est pretium, valor seu aestimatio alicujus rei, v. g. si modius talis frumenti 6 francis aestimetur. Hæc autem bonitas extrinseca seu rei valor, immutata bonitate intrinseca, saepe ex variis circumstantiis augere vel minuere potest, et proin varius esse tempore dati mutui et tempore redditionis. Unde quæstio est, quantum attendum sit ad hunc valorem extrinsecum in rei redditione, i. e. an mutuanti liceat quandoque exigere ut redditatur rei quantitas physice major quia rei pretium decrevit, vel an ille teneatur recipere in quantitate minori quia pretium crevit.

Pro qua quæstione solvenda, distinguendum est an, tempore initi mutui, adfuerit vel non adfuerit specialis conventio. Itaque:

79. — Quando *non adfuit* specialis conventio, en ex Carrière duas regulas, a jure civili et a doctoribus admissas, scilicet :

1º Si agatur de *pecunia numerata*, attenditur solus valor extrinsecus. Hinc, si mutuo acceperis 100 francos, et si tempore redditionis, per auctoritatem publicam, valor legalis singuli argentei monetizati seu singuli franci uno vel pluribus centesimis creverit vel decreverit, reddendi erunt, non præcise 100 nummi, sed nummorum numerus cento inferior in primo casu et superior in secundo, quia in utroque casu, tempore redditionis, numerus ille inferior vel superior seu valor ille novus æquivalet valori receptorum 100 francorum tempore mutui dati.

2º Si agatur de *aliis mercibus*, inter quas reponendum quoque est aurum et argentum non monetizatum (*en lingots*), attenditur bonitas intrinseca, non vero valor extrinsecus. Hinc, si mutuo acceperis 10 mensuras tritici, valoris 6 francorum ad singulam mensuram, reddendæ erunt in-

tegræ mensuræ ejusdem qualitatis, licet tempore redditionis valor singulæ mensuræ ad 7 francos creverit; nec ultra 10 mensuras reddendum est, licet valor singulæ mensuræ ad 5 francos decreverit. Art. 1893, 1896, 1897, 1903.

80. — Quando *adfuit* conventio specialis. Triplex fingi potest casus conventionis specialis, scilicet: tempore quo res mutuo traditur, vel 1º adest *dubium* utrinque æquale an, tempore redditionis, res valitura sit pluris aut minoris; vel 2º adest certitudo aut longe major probabilitas valorem esse *minuturum*; vel 3º adest certitudo aut longe major probabilitas eum esse *augendum*.

In 1º casu, seu in dicto *dubio*, licet pacisci contrarium duarum datarum regularum, i. e. pacisci, 1º si de pecunia numerata agatur, de reddendo eodem numero nummorum, qualiscumque tempore redditionis futurus sit eorum valor; 2º si de mercibus agatur, de reddenda minori vel majori quantitate physica, prout valor extrinsecus interea creverit vel decreverit. Ratio est, quia, cum utrinque æquale fuerit periculum, jam eo ipso æqualitas servatur; initur contractus aleatorius.

In 2º casu, seu in dicta prævisione de valore *minuturo*, licet pacisci ut reddatur idem valor, i. e. major quantitas physica: mutuans enim tempore initi contractus jus habet ad valorem præsentem; et si postea imminuatur iste valor, imminuitur pro mutuatorio in cuius dominium res transiit. In hoc casu, revera non plus exigit mutuans quam dedit.

In 3º casu, seu in dicta prævisione de valore *augendo*, non licet *per se* pacisci de reddenda eadem quantitate physica, quia usurarium foret tale pactum de reddendo plus seu majori valore quam receptum fuit. Dico *per se*: nam, sic pacisci liceret *per accidens*, si mutuans statuerit rem servare in tempus pretii seu valoris aucti, quia tunc exigitur ratione lucri cessantis, cui in gratiam

mutuatarii renuntiare non tenetur; item, juxta Carrière, si rem in proprios usus tempore pretii aucti sit consumpturus, quia evidens est eum passurum esse damnum nisi eadem quantitas physica ei restituatur.

81. — q. *An mutuum est aliquando de præcepto?*

r. *Affirmative.* Sed distinguenda est quadruplex classis personarum quæ mutuum petunt: 1º divites, vel saltem non pauperes, qui mutuum petunt ad opes augendas; 2º iidem, qui id petunt quia mutuo vere indigent, v. g. ad litem terminandam, vel ut in damno repentino impares non inveniantur; 3º pauperes, spem fundatam habentes postea restituendi; 4º pauperes, hanc spem non habentes. Itaque,

In 1º casu, non adest obligatio charitatis mutuum dandi, cum tales in nulla necessitate versentur.

In 2º casu, adest obligatio charitatis, juxta petentium necessitatem, si, absque proprio gravi incommodo, per mutuum eis succurrere possimus.

In 3º casu, adest *per se* obligatio charitatis, ut patet. Attamen, *practice* loquendo, dicere licet quod ordinarie non detur obligatio, quia pauperes communiter non præsumuntur habituri unde reddant; et sic in classem sequentem incidentur.

In 4º casu, non est obligatio mutui dandi; contractus enim mutui cum ipsis locum habere non potest, cum non possit ipsis imponi obligatio reddendi id quod reddere non poterunt. Sed tunc urget præceptum eleemosynæ alicujus; dico *alicujus*: nam non tenemur tantum eleemosyna præstare quantum pauper ex mutuo efflagitat: sunt enim et alii qui ipsi opitulari possunt et debent.

§ II.

De usura.

82. — Vox *usura* lato vel stricto sensu sumi potest.

Usura, *lato* sensu sumpta, est omne lucrum ex mutuo perceptum, sive cum sive absque titulo legitimo; unde usura, sic intellecta, tam in bonam quam in malam partem assumitur.

Usura, *stricto* sensu sumpta, seu usura proprie dicta, de qua hic agendum, est lucrum ex mutuo immediate seu vi mutui, i. e. *absque justo titulo* proveniens.

Dico *absque justo titulo*. Abest igitur usura proprie dicta, si adsit titulus aliquis ad quoddam auctarium percipiendum. Inter hos titulos, de quibus infra, hic jam, per anticipationem, indicamus titulum *legis civilis*, juxta quem licitum est, *generatim* loquendo, percipere 5 vel 6 pro 100. Dico *generatim*: nam, si, juxta dicta N° 81, mutuum dederis pauperi vere indigenti et iste summam mutuatam tibi reddat, ex lege charitatis non licet tibi exigere taxam legalem, si iste sit in tali necessitate constitutus ut hoc auctario vere indigeat; et proin illud ei donare teneris. Unde, si in hoc casu taxam legalem exigas, peccas contra charitatem; imo et contra justitiam, quia hunc casum comprehendere non censetur lex civilis, quippe quæ juris naturalis obligationem perimere nequit, ait Gury.

Hinc concludere licet quod, etsi inconcussa semper maneat definitio et notio *mutui* et *usurae*, practice tamen diverso sensu sit applicanda, prout non admittitur vel admittitur titulus *legis civilis*. Igitur :

1º In locis ubi non viget hic titulus, facile intelligitur quandonam locum habeat usura proprie dicta, tunc scilicet quoties quidquam ultra sortem exigitur absque titulo legitimo ibidem vigente, i. e. ut plurimum absque

titulo damni emergentis, lucri cessantis, periculi sortis aut pœnæ conventionalis.

2º In locis ubi viget titulus legis civilis, usura proprie dicta locum habet generatim 1º quando exigitur aliquid seu taxa legalis a pauperibus ex necessitate mutuum petitibus; 2º quando ab aliis quam a dictis pauperibus exigitur aliquid ultra taxam legalem, saltem juxta dicenda infra, N° 94. Ex his facile concipitur quod novus ille titulus *legis civilis* multo rariores reddat casus usuræ proprie dictæ.

83. — Diximus mutuum esse contractum natura sua gratuitum; ita ut mutuans, seclusis conventionibus specialibus, de quibus supra, N° 80, nihil aliud ultra sortem exigere possit absque justo titulo.

Quæ ut clarius percipiantur, notare juvat, tria in hoc contractu distingui posse: 1º *cessionem* rei mutuatæ factam a mutuante; 2º rei *usum* a mutuatario; 3º rei *redditionem*. Jam vero,

1º *Cessio* rei mutuatæ facta a mutuante, est actus quo mutuans sibi aufert rei mutuatæ dominium, illudque transfert ad mutuarium. Est autem verum beneficium, et quidem gratuitum, saltem sensu hic supra determinato, mutuatario collatum, cum solo onere ut sibi postea tantum reddatur quantum dedit. Attamen, cum non velit ex sua liberalitate ipse damnum pati, ideo, currente aliquo justo titulo, aliquid ultra sortem exigere potest ad hujusmodi damnum compensandum.

2º Cum mutuarius fiat rei mutuatæ dominus, rei *usus* ad ipsum pertinet, non vero ad mutuantem; et proin, si mutuans, pro hoc usu, aliquid exigit, injuste agit, cum exigit pro re quæ pro ipso non existit, quia ejus dominium abdieavit.

3º Per *redditionem*, mutuans fit iterum rei mutuatæ dominus; et si, ultra sortem, ei aliquid restituatur, cur-

rente titulo legitimo, pro damnis quæ forte passus est, omnia ipsi in pristinum statum reponuntur; et mutuarius, qui beneficio gratuito usus est in propriam utilitatem, jam erga benefactorem solutus est.

84. — Q. *Proba usuram proprie dictam esse illicitam et injustam.*

R. Probatur, ex eo quod repugnet 1º legi divinæ, 2º conciliis, 3º ss. Patribus, 4º decretis ss. Pontificum, 5º unanimi doctorum catholicorum consensu: quæ omnia vide explanata apud Carrière, Bouvier, etc.; 6º legi naturali et rectæ rationi: quia, ut supra dictum est, si mutuans a mutuatorio absque titulo legitimo exigat aliquid ultra sortem vel saltem ultra taxam legalem, pro simplici usu rei mutuatæ, injuste agit, cum id exigat pro re quæ pro ipso non existit, quia ejus dominium abdicavit.

Inquiritur tandem an adsit usura prohibita, in tribus casibus sequentibus:

Q. 1º *Si mutuans acceptet id quod mutuarius supra sortem ex plena liberalitate offert?*

R. Negative, modo mutuans hunc excessum non exegerit, nec ut debitum speraverit, ait Bouvier.

Q. 2º *Si mutuans acceptet auctarium quod mutuarius ei dedit, non quidem ex liberalitate omnino plena, sed tum ne videatur ingratii animi, tum ex timore ne deinceps sibi ab eodem denegaretur mutuum?*

R. Ut probabilius Negat Gury, quia ad usuram requiritur ut aliquid supra sortem detur ex vi pacti illiciti sive ut debitum ex justitia. Consonat Lig. cum aliis, quia mutuarius, ad illud auctarium seu donum præstandum, non inducitur ab aliqua extrinseca mutuantis actione et quasi ex ipsius exactione, siveque sufficienter spontanea videtur haec mutuatrii donatio.

q. 5º *Si mutues, ea lege ut mutuatarius sibi necessaria justo pretio in tua officina emat?*

r. Cum Gury *Affirmative* si hoc in verum pactum deducatur. Ratio est, quia onus mutuatario imponitur et ipsius libertas restringitur, quod illicitum et injustum est.

Nota. Usurarii, eorumque cooperatores, ex rigore justitiae, ad restitutionem fenentur, quippe qui justitiam commutativam laedunt haud secus ac ipsi fures; iis igitur regulæ in tractatu *De Justitia* quoad restitutionem traditæ, applicandæ sunt.

§ III.

De titulis ab usura excusantibus.

Prænota cum Carrière. Quidquid mutuo *intrinsecum* est et in quolibet mutuo reperitur, non potest esse titulus ad aliquid exigendum supra sortem. Igitur, quoad varios titulos de quibus moveri potest quæstio, primum expendendum est an sint mutuo *extrinseci*, et dein an sint *pretio æstimabiles*.

Quinque præcipui numerantur tituli, scilicet 1º damnum emergens, 2º lucrum cessans, 3º periculum sortis, 4º poena conventionalis, 5º lex civilis. Quatuor priores communissime admittuntur; sed de ultimo acriter disputatum fuit.

In præsenti materia, plurima hic a nobis tradenda, desumuntur ex Gury.

1º *De damno emergente.*

85. — q. *Quid est damnum emergens (dommage naissant)?*

r. Est detrimentum quod patitur mutuans occasione mutui præstiti.

q. *Proba illud esse titulum legitimum aliquid supra sortem accipiendi.*

r. Probatur hac ratione, quod æquum non sit ut mutuans

damnum patiatur ex mutuo seu præstito beneficio, nisi in proximi necessitate. Unde, si v. g. ex datis 100 nummis, 10 perdas, erogas aliquo modo 110, ergo 110 recipere potes.

Q. *Quænam conditiones ad hunc titulum requiruntur?*

R. Tres: 1º ut mutuum sit causa damni; 2º ut nihil præter damni compensationem exigatur; 3º ut auctarium ab initio in pactum ducatur.

Q. *An talem compensationem exigere potest mutuans, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?*

R. Cum Lig. probabilius *Affirmative*; quia mutuarius est etiam tunc vera causa damni emergentis, mutuum acceptando; mutuans enim non offert absolute, sed conditionate, nempe sub conditione compensationis obtinendæ.

Q. *An mutuans ab initio pacisci potest de quodam lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?*

R. *Affirmative*, juxta Lig., dummodo proportio juxta damni probabilitatem servetur.

2º De lucro cessante.

86. — Q. *Quid est lucrum cessans?*

R. Est id quod mutuans, servata re vel pecunia sua, lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.

Q. *Proba illud esse titulum legitimum aliquid supra sortem accipendi.*

R. Probatur, 1º quia tunc vere habetur damnum emergens, ut supra; hoc enim est discrimen inter damnum emergens et lucrum cessans, quod aliquis in priori damnificatur [in eo quod habebat, dum in posteriori non acquirit id quod acquirere posset; 2º quia spes lucri est mutuo extrinseca, et pretio aestimabilis.

Q. *Quænam conditiones ad hunc titulum requiruntur?*

R. Ultra tres conditiones supra pro *damno emergente* traditas, quarta conditio est, quod debeat mutuans men-

tem habuisse pecuniam suam in negotiationem impendi; secus enim, lucrum non cessaret.

5º De periculo sortis.

87. — q. *Quid est periculum sortis (le danger de perdre le principal)?*

r. Est timor fundatus ne sors seu res mutuata recuperari nequeat.

q. *Quotuplex distinguitur periculum sortis?*

r. Duplex: 1º periculum *commune* sortis, quod est omni mutuo intrinsecum, v. g. timor ne cuncta mutuatarii bona incendio pereant; hocque periculum, cum a mutuo separari non possit, utpote mutuo intrinsecum, non legitimus est titulus. 2º Periculum *extraordinarium* sortis, v. g. si mutuum detur prodigo, homini dubiae fidei, navigaturo, vel si impensæ magnæ in sorte recuperanda timeantur.

q. *An periculum extraordinarium est titulus legitimus?*

r. *Affirmative*, juxta communiores et probabiliorem sententiam; excepto 1º si mutuatarius sit pauper, quia tunc vel quandoque urget præceptum mutui gratis præstandi, vel saltem urget præceptum eleemosynæ alicujus absque mutuo, ut supra N° 81 dictum est; 2º si mutuatarius sortem per pignus assecuraverit: in eo enim casu periculum cessat. Ratio hujus sententiæ est, 1º quia, si spes luceri sit pretio æstimabilis, æstimabile erit a fortiori periculum damni probabilis; 2º quia pluris æstimantur res in tuto, quam in periculo repositæ; 3º constat ex decisione romana anni 1643.

Ce danger, ait Gousset, se rencontre fréquemment dans le prêt de commerce, à cause des entreprises hasardeuses des commerçants, et du grand nombre de faillites qui en sont la suite.

4º De pœna conventionali.

88. — Q. *In quonam consistit pœna conventionalis?*

R. Consistit in hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore præfixo hanc sortem non restituat.

Q. *Proba pœnam conventionalem esse titulum legitimum accipiendo id de quo conventum est.*

R. Probatur ex hoc, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii praecavetur.

Q. *Quænam conditiones ad hunc titulum requiruntur?*

R. Juxta Gousset requiritur, 1º ut mora debitoris sit notabilis, juxta prudentum judicium; 2º ut mora sit culpabilis, i. e. ut debitor tempore præfixo sortem reddere potuerit: nam si non adsuerit culpa, mutuans nihil exigere potest, nisi ipse inde damnum emergens patiatur; 3º ut pœna sit moderata et culpæ proportionata.

Nota. Vide plura, si libet, de titulis præcedentibus apud auctores. Per pauca tantum delibavimus, ex eo quod, accidente titulo legis civilis, in praxi rarius necessitas urgeat ad cæteros recurrendi, ut ex dicendis patebit.

5º De titulo legis civilis.

89. — Olim jam existebant, apud varios populos, leges, vi quarum, lucrum certum ex mutuo percipi poterat, præserfim apud Romanos, et recentius apud Germanos. Nostris autem temporibus, hujusmodi leges apud plerasque cultas nationes usu generali receptæ sunt.

Ex lege civili gallica, initio hujus sæculi condita, permittitur lucrum pro mutuo sive pecuniae sive frumenti sive alterius rei mobilis; et statuitur, lucrum illud, tum legale tum conventionale, excedere non posse 5 pro 100 in materia civili, et 6 pro 100 in materia commercii.

Inde magna exurgit questio sequens :

Q. *An lex civilis creet titulum in foro conscientiae legitimum et sufficientem ad lucrum ex mutuo percipiendum?*

R. Acriter disputatum fuit et etiamnum a quibusdam disputatur.

Sententia olim longe communior, ait Gousset, *Negat*; et fundatur præcipue in doctrina ss. Patrum, conciliorum et summorum Pontificum, qui semper invecti sunt contra lucrum ex mutuo, non excepto lucro per leges civiles permisso.

Cependant, ait idem auctor, depuis un certain temps, depuis que l'industrie et le commerce ont pris de l'accroissement, que l'état de la société n'est plus le même qu'autrefois, les esprits se sont partagés sur la question dont il s'agit, au point de la rendre douteuse et problématique. Et s. Sedes, saepius desuper interrogata, pluries respondit *hujusmodi non esse inquietandos*. Unde :

Sententia hodie communior et probabilior *Affirmat*; hancque Gury exponit atque defendit sequenti propositione :

Titulus legis civilis probabilius est ratio justa et honesta lucrum aliquod moderatum ex mutuo percipiendi, secluso etiam alio quocumque titulo.

Hæc propositio probatur duplice argumento, 1° ratione, 2° auctoritate s. Sedis. Etenim :

90. — Hæc propositio probatur a *ratione*:

Duplici argumento, desumpto 1° ex dominii translatione, 2° ex voluntaria juris sui renuntiatione a subditis.

1° Argumento desumpto ex dominii *translatione*. Titulus legis de medio tollit id quod, seclusa lege, usuram sapere posset.

Ad hoc enim sufficit ut legislator cessionem lucri in mutuo, justam ac legitimam faciat. Atqui, justam ac legitimam facit, si possit et velit dominium istius lucri de uno in aliud transferre. Jam vero, revera transferre potest et vult.

Dico 1º transferre *potest*. Quemadmodum princeps, factentibus omnibus, vi alti dominii, aliqua subditorum bona transferre potest si id exigat bonum commune, v. g. quum requirit solutionem tributorum, vel moderatam operum præstationem; sic quoque potest ille lege transferre lucrum ex mutuo, si talis translatio sit bono communi utilis imo necessaria, et si inde non laedatur justitia distributiva. Atqui haec translatio est bono communi 1º *utilis*, quia sic subvenitur viduis, pupillis, famulis, ancillis et similibus qui, cum negotiari non possint, mutuando modicas pecunias sibi pro futuro prævident. Unde valde laudandæ sunt illæ institutiones, favente auctoritate civili et ecclesiastica factæ, et dictæ *arcæ parcimoniae* (*caisses d'épargne*), quæ accipiunt minutas indigentium pecuniae summulas, potentibus reddendas, et pro iis solvunt legitimum interesse; est 2º *moraliter necessaria*: nam, spectatis maxime nostrorum temporum adjunctis, minus floreret, imo fere interiret commercium, languesceret industria, nisi aliena pecunia foveretur; omnes enim procul dubio suam pecuniam servare mallent, quam sine lucro eam aliis mutuo tradere; 3º *non laeditur justitia distributiva*, cum lex pro futuro feratur, et omnibus successive favere possit; si onus tibi hodie incumbat, cras commodum favebit: *Hodie mihi, cras tibi*. Unde vera compensatio in societate generatim spectata tribuitur.

Dico 2º transferre *vult*: id enim facile ex ipso legis facto et scopo intelligitur.

Ergo, posita lege, lucrum ex mutuo perceptum, non jam vi mutui seu immediate ex mutuo percipitur, sed immediate tantum et ex mera mutui occasione provenit; statutum enim principis mutuo mere extrinsecum est.

2º Argumento desumpto ex voluntaria juris sui *renuntiatione* a subditis, idque independenter a dominii translatione. Nam lex illa, independenter a dominii translatione, justa et honesta esse potest, cum sit universaliter acceptata a commu-

nitate et in praxim deducta a viris etiam timoratis ; ergo includit voluntariam juris sui renuntiationem. Ergo independenter a dominii translatione, hac lege justitia nequaquam laeditur.

91. — Hæc propositio probatur *auctoritate s. Sedis.*

Etenim s. Sedes, saepius interrogata, ultimis hisce temporibus, utrum deneganda foret absolutio iis qui lucrum lege permissum accipiunt, absque ullo alio titulo, semper respondit: *Non sunt inquietandi, donec s. Sedes aliquid circa hoc definiverit.* Ergo, ait Gury, concludere licet ex praefatis responsis, sententiam legi consentaneam, esse saltem probabilem. Quomodo enim s. Sedes respondere potuissest *non esse inquietandos*, nisi vere probabile saltem esset legem hanc esse justam et honestam? Si enim probabile non est, inquietari debent. Fatendum tamen est s. Sedem, sic respondendo, noluisse hac de re definitivam ferre sententiam circa rem adeo arduam. Sufficit autem vera et solida probabilitas, ut fideles, lucrum legale ex mutuo percipientes, a peccato et restitutionis onere sint immunes.

Hinc recte concludit Bouvier: Resolutiones s. Sedis, inquit, licet fuerint a ss. Pontificibus Pio VIII et Gregorio XVI approbatæ, et sint sibi perfecte concordes, definitivam non continent s. Sedis definitionem, ut patet ex earum forma, natura et terminis. Attamen, qui consuetam agendi rationem Ecclesiæ Romanæ norunt, persuasum habere debent s. Sedem contrarias decisiones nunquam edituram esse..... His omnibus momentis ductus, firmiter persuasum habeo, lucrum lege taxatum ex mutuo, charitate non debito, nunc prohibendum non esse, ac timoralos prudenter dirigendos esse, ne ex sua simplicitate et nimia confessarii rigiditate, detrimentum patientur.

Pariter concludit Gousset: Aujourd’hui, comme autrefois, les curés et les confesseurs condamneront l’usure à l’égard du riche et du commerçant, comme à l’égard du pauvre ou de l’indigent, entendant par usure ce qu’on a

toujours entendu, l'intérêt du prêt perçu précisément en vertu du simple prêt, sans aucun titre légitime, extrinsèque au prêt. La doctrine de l'Eglise ne varie point; l'application seule peut varier suivant les circonstances, surtout quand il s'agit d'une chose qui, comme l'usure, n'est mauvaise que d'une malice *relative* et non *absolue*.

Supersunt jam quatuor quæstiones, præsertim taxam legalem spectantes, de quibus in quadruplici numero sequenti.

92. — q. *Quænam personæ percipere possunt 6 pro 100, ratione commercii?*

r. Id certo possunt 1º mercatores, pecuniam suam aliis mercatoribus mutuantes, ut patet; 2º mercatores, pecuniam suam aliis non mercatoribus mutuantes, quia lex intendit favere commercio, permittendo ut recipiat mercator plus quam non mercatores, scilicet 6 pro 100.

Disputatur autem an id possint non mercatores pecuniam mutuantes mercatoribus. Communius *Negatur*, quia lex, quæ mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret si taxam majorem seu 6 loco 5 pro 100 solvere deberent; hujusque sententiæ patroni contendunt talem esse proxim tribunalium. Multi tamen, etiam inter jurisperitos, *Affirmant*, 1º quia verba legis: *in materia commercii*, generalia sunt; 2º quia lex, sic intellecta, commercio favet: sic enim mercatores facilius inveniunt pecuniam qua pro sua et commercii utilitate egent.

Patet autem quod mutuans non mercator, non possit a mutuatorio non mercatore exigere 6 pro 100, sub prætextu quod mercatori mutuare potuisset.

93. — q. *An licet percipere interesse ex ipso interesse (les intérêts des intérêts)?*

r. *Affirmative* jure civili, modo adfuerit conventio specialis vel petitio juridica, et modo debeatur ab integro

anno, juxta art. 1154: pourvu que, soit dans la demande soit dans la convention, il s'agisse d'intérêts dus au moins pour une année entière; imo, ab ipso die petitionis vel conventionis, interesse producunt redditus elapsi locationum, aut censuum sive perpetuorum sive vitalitorum. Hæc autem dispositio valere videtur in foro conscientiæ: nam redditus, elapso termino, summæ capitali adjiciuntur, et sic idem omnino est quod debitori pecuniam meam quam jam habet, mutuo relinquam, vel ei aliam tradam.

94. — q. *An usuram committis, excedendo taxam legalem, si ex mutuo præstito passus sis damnum emergens aut lucrum cessans quod taxam legalem superat?*

r. Triplex datur sententia: Prima *Negat*, idque ob rationem indemnitatis et justæ compensationis. Secunda *Affirmat*, ex art. 1155, quo statuitur damna tantum exigi posse juxta taxam legalem; hicque articulus, aiunt, justus est, quia ex una parte refrenat cupiditates eorum qui damna exagerarent; et ex altera parte, creditori et debitori, a priori, æque favet, attendendo ad probabilitates communes lucri et damni. Tertia, media, quæ Gury videtur probabilior, *Affirmat* si tuus excessus sit moderatus, ob rationem in 2^a sententia expositam; *Negat* si excessus sit valde notabilis seu omnino extraordinarius, quia lex non prævidit casus extraordinarios, vel eos comprehendere noluit, et proinde hi soli juri naturali subjacent.

95. — q. *An licet percipere novam taxam legalem, si illa, auctoritate legis, 5 vel 6 pro 100 excedat?*

r. *Affirmative* si lex illa videatur justa, i. e. si legislator taxam legalem augere bonum judicaverit ob varias circumstantias, v. g. ob majorem raritatem pecuniae, ob majus periculum sortis in genere, etc.; nulla enim constitui potest taxa *absoluta*, sed attendum est ad varias locorum et temporum circumstantias.

Imo, lex Belgica anni 1865, supradictis et similibus momentis enixa, ultra progrediens, omnem taxam legalem abolevit, seu plenam libertatem mutui seu usuræ concedit; ita ut singulis permittat, saltem generatim, mutuare qua voluerint taxa. An autem lex illa in foro conscientiæ admitti possit, a theologis et præsertim a s. Sede definiendum est. Facile saltem et plane admittitur, in sententia horum doctorum de quibus N° seq. in *Nota* dicitur.

96. — En jam, juxta Gury, octo conclusiones generales et particulares:

1º Absolvi possunt, imo debent omnes qui taxam legis civilis non excedunt, cum minime constet eos injustitiæ reos esse; nec proinde ad ullam restitutionem faciendam obligari possunt.

2º Quamvis igitur unusquisque oppositam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens, ut *probabiliorum in speculatione* defendere possit, adversam tamen sententiam damnare nequit ut doctrinæ catholice contrariam, nec restitutionem sub denegatione absolutionis exigere. Imo, qui urgeret pœnitentem ad restitutionem, ipse ad damnum pœnitentis resarciendum teneretur, siquidem, ex doctrina communiter recepta, confessarius indebitam restitutionem præscribens, damnum pœnitenti inde illatum reparare tenetur.

3º Nec etiam sunt obligandi ad restitutionem illi pœnitentes qui juxta taxam legalem receperunt cum mala fide, i. e. putantes se tale lucrum percipere non posse; quia, ex eo quod peccaverint contra conscientiam, inde non sequitur eos fuisse injustitiæ reos.

4º Pœnitentes, ex clausula in plerisque responsis romanis adjecta, semper parati esse debent judicio s. Sedis se submittere. Sed non sunt necessario interrogandi a confessario, saltem generatim, de tali dispositione, tum

quia hoc non exigitur in præfatis responsis; tum quia confessarius præsumere debet pœnitentem, utpote bonum catholicum, in illa dispositione versari, nisi de contrario constet.

5º Non est damnandum de injustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam aliquando pauperi qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat se ex mutuata pecunia adeo divitem evasurum ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit.

Sed nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum potentibus, non obstante legis civilis titulo; et proin, si quid lucri perceptum fuerit, restituendum est; ratio est quia, ut N° 82 dictum est, lex civilis hunc casum comprehendere non censetur, quippe quæ juris naturalis obligationem in hoc perimere nequit.

6º Lucrum excedens taxam legalem, saltem juxta sensum N° 94, est omnino illicitum et injustum; proindeque restituendum, saltem generatim loquendo.

7º A fortiori, nequit exigi lucrum duplum, propter alium præter legis civilis titulum; v. g. si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro 5, non potes 10 exigere ob accendentem legis titulum; quia, juxta omnes, saltem quando lucrum cessans vel damnum emergens non excedit taxam legalem, nihil præter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis aduersetur.

8º Pariter, qui mutuo accipit pecuniam juxta taxam legis, non ideo, eamdem pecuniam alteri remutuando, 10 exigere potest, quia deficit titulus ad 5 superflua accipienda. Plures tamen permittunt nummulariis (*aux banquiers*), qui ex statu suo frequenter mutuo accipiunt, ut remutuare valeant, aliquid ultra taxam legis exigendo, v. g. 4 pro 100, ratione laboris, temporis, impensarum, etc.; sive accipere possunt 7 pro 100: considerantur enim ut mercatores, et ut tales, jam 6 pro 100 accipere valent. Ipsis saltem favet consuetudo in multis locis. Item non videtur contra legem

civilem nec naturalem *per se*, quod quilibet privatus mutuo accipiat pecuniam pro 5 vel 4, et eamdem remutuet pro 5 in 100.

Nota. Plures, præsertim Mastrofini, Rossignol, Cardinalis de la Luzerne et multi recentiores contendunt, non tantum quod titulus legis civilis sit legitimus, sed, ultra progredientes, docent pecuniam non esse materiam mutui proprie dicti, nisi pauperibus tradatur; idque eruunt ex pecuniae *fecunditate*. Ratiocinantur autem modo sequenti:

1º Mutuum fieri nequit nisi de re primo usu consumptibili, juxta omnes; idque ex ipsius mutui natura evin-
citur. Porro pecunia primo usu quidem consumitur si præbeatur pauperi illam impensuro ad suam sustentatio-
nem; non vero consumitur si præbeatur diviti illam im-
pensuro ad augendam suam fortunam. In hoc enim casu
pecunia, ut constat mercatorum experientia, fructum pro-
ducit, idque non tantum per humanam industriam, sed et
per se solam independenter ab humana industria: quod probatur exemplo mercatoris qui, in iisdem circumstantiis
et cum eodem gradu industriæ, multo majus lucrum faciet,
si multo majorem summam in commercium impendere
possit.

Hinc, contractus quo traditur pecunia diviti seu illi
qui non est pauper in necessitate versans, non est mutuum
proprie dictum, sed est potius *commodatum* vel *locatio*,
prout gratis vel pro pretio datur, ut supra, N° 75, dictum
est, et proinde pecuniae dominium non transfertur.

2º Contractus ille *locationis pecuniae* in se non est illi-
citus; nam illud auctarium sortis haberi potest tum ut
pretium *locati valoris*, tum ut pretium *venditi lucri*. Etenim,

1º Utique licitum est locare rem quæ valorem habet
intrinsecum, ac juste pro hac locatione pretium exigitur;
atqui usus pecuniae, quæ primo usu non consumitur,
habet valorem intrinsecum, qui pretio aestimari potest,
et in commercio humano causa evadit multorum emo-

lumentorum. Ergo auctarium sortis est justum pretium illius usus seu locationis.

2º Illud auctarium sortis potest non solum haberi ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate speratur; mutuum enim commercii assimilatur *trino contractui*, in quo assecurantur sors et *lucrum*; de quo infra, N° 122.

Has præcipuas horum doctorum rationes, minime spernendas esse dicit Gury.

CAPUT V.

D E C E N S U .

97. — q. *Quid est contractus census (la rente)?*

r. Est contractus quo quis se obligat ad tribuendam alteri personæ determinatam pecuniæ summam seu pensionem annuam.

Duplici modo institui potest hic contractus, scilicet titulo gratuito vel titulo oneroso.

1º *Titulo gratuito*: si v. g. possideam fundum, valoris mille francorum, cuius dominium mihi quidem servo, sed desuper me obligem gratis tibi, per certum spatium annorum vel per totam vitam tuam, singulo anno tradere 50 francos. Facile intelligitur hujusmodi contractum esse veram *donationem inter vivos*, de qua Cap. II dictum est, cuius omnibus conditionibus subjectus est.

2º *Titulo oneroso*: si v. g. tu possideas summam mille francorum vel fundum ejusdem valoris, et horum dominium tu mihi transferas, ea lege ut in perpetuum singulo anno per me vel per alios tibi solvam 50 francos. Ille contractus tenet de natura *venditionis*, cum tu supponaris emere et ego supponar vendere redditum annum seu potius jus ad percipiendos 50 francos. Unde ille redditus seu census est quasi objectum seu res quæ

venditur et emitur; et summa capitalis mille francorum, quasi pretium una vice solutum.

Reditus ille annuus vocatur *census* (*la rente*); ille autem qui censem annum solvere tenetur, vocatur *debitor*, *vendor*, *censuarius* (*le débiteur de la rente*); et ille cui census solvendus est, vocatur *creditor*, *emptor*, *censuista* (*le créancier de la rente, le rentier*).

Duplex potissimum distinguitur census: *census vitalitius* (*la rente viagère*), et *census perpetuus* (*la rente perpétuelle*), de quibus jam agendum.

Articulus I.

98. — q. *Quid est census vitalitius?*

r. Est contractus quo quis, titulo gratuito vel oneroso, acquirit jus ad pensionem annuam percipiendam *durante vita* unius vel plurium personarum designatarum. Vide codicem, art. 1968 et seqq.

Dico 1º titulo *gratuito*, ut in exemplo Nⁱ præcedentis. Dico 2º vel *oneroso*, talisque est modus ordinarius quo quis, puta jam senescens, summam quamdam, v. g. 2,000 francorum quam possidet, tradit seu vendit Petro vel cuidam hospitio, ea lege ut quotannis, donec vixerit, a Petro vel ab hospitio percipiat alimenta, vel summam 100, 150, 200, etc., francorum.

Quoad censem vitalitium, teneantur quatuor sequentia.

1º Jure civili invalidus est hic contractus in duplicito casu: 1º si, tempore initi contractus, non amplius vivat persona super cuius caput constitutus est contractus: quia in hoc casu adest error substantialis; 2º ob eamdem fere rationem, si tempore contractus hæc persona jam laboret morbo ex quo mortua est infra 20 dies a die contractus.

2º Lex civilis taxam census vitalitii non determinat; declarat, e contra, quod partes contrahentes illam pro suo beneplacito determinare possint; in qua determinatione, habenda est ratio ætatis, sanitatis, complexionis personæ super cuius caput census constituitur. Unde non taxa legali hic, sicut in mutuo, limitantur contrahentes, quia præsens contractus est vere aleatorius, et periculum datur ultrinque æquale.

3º Adhuc solvendus est census, etiamsi pensiones annuae solutæ jam superent summam debitori traditam, ut v. g. in exemplo mox dato, si creditor tamdiu vivat ut Petrus vel hospitium, per pensiones annuas, ultra 2,000 francos ei jam solverit.

4º Contractus ille cessat per mortem naturalem designatae personæ. Unde interim, debitor non habet facultatem a solvendo censi anno se liberandi, reddendo capitale et jam solutas pensiones relinquendo, nisi creditor censualista in id consentiat; sicuti vicissim, censualista non potest a debitore exigere ut reddat capitale, nisi in quantum illi debitor promissas securitates præbere desinat.

Articulus II.

DE CENSU PERPETUO.

99. — q. *Quid est census perpetuus?*

r. Est contractus onerosus quo quis alteri *in perpetuum* tradit summam quamdam capitalem, ea lege ut ab hoc altero recipiat determinatam pensionem annuam et *perpetuam*; seu, ut dicit Gousset, *la constitution de rente* (ou *rente perpétuelle*) est un contrat par lequel l'une des parties vend à l'autre une rente annuelle et perpétuelle, pour un prix convenu, sous la faculté de pouvoir racheter cette rente, lorsqu'il lui plaira, pour le prix qu'elle a reçu, et

sans qu'elle puisse être obligée à ce rachat. Vide codicem, art. 1909 et seqq.

In hoc contractu, juxta dicta, N° 97, ille qui summam capitalem tradit, habetur ut emptor hujus pensionis seu census: censum enim emit, et hujus emptionis pretium, quod unica vice solvit, est summa capitalis, cuius dominium penes venditorem transfert in perpetuum. Hic tamen vendor contractum postea extinguere potest, summam capitalem emptori censualistæ refundendo; sed, quamdiu pensiones annuas fideliter solvere pergit, ad resolutionem contractus ab emptore cogi non potest; et hoc sensu *perpetuus* dicitur ille census.

Igitur regula generalis est, quod debitor censem redimere *semper possit, et nunquam debeat*. Hæc tamen regula sequentem admittit modificationem:

Semper potest, modo tamen contrahentes aliter non converint; atqui, ex jure gallico, convenire possunt ne debitor redimere queat ante 50 annos. *Nunquam debet*, modo tamen pensiones annuas fideliter solvere pergit. Sed, si in hoc deficiat, redimere debet, seu a creditore censualista ad redimendum cogi potest, idque in triplici casu, art. 1912 et 1913 determinato, scilicet 1° si per duos annos censem debitum non solvat; 2° si non tradat assecurationem quam pacto forte promiserat, v. g. hypothecam vel cautionem; 3° si foro cedat vel debitibus solvendis impar fiat (*s'il tombe en faillite ou en déconfiture*).

100. — Cum censualista supponatur a censuario emere censem annum pro pretio per summam capitalem soluto, quæstio est quantum pretium seu quanta taxa exigi possit; i. e., an censualista, solvendo 100 francos, emere possit annum censem quemcumque, v. g. 4, 5, 6, 7, etc., francorum, seu aliis terminis, an stipulare liceat ad 4, 5, 6, 7, etc., pro 100.

Quæstioni respondetur, quod taxa (*le taux de la rente*)

debeat esse *justa*. Justa autem taxa, sicuti in aliis venditionibus, determinatur ex communi hominum aestimatione; et proinde, crescere vel decrescere potest juxta varias quæ saepe occurrunt circumstantias.

Verum quidem est quod lex gallica anni 1807 censum æquiparet *mutuo* potius quam *venditioni*, et quod consequenter doceant multi jurisperiti generatim illicitum esse in contractu censuali excedere taxam legalem pro mutuo constitutam seu 5 pro 100; quæ taxatio, inquiunt, facta est in gratiam illius qui indiget sibi procurare quamdam pecuniae summam, ne scilicet ille qui hanc summam sibi comparare querit, non per mutuum sed per contractum census, cogatur annue refundere taxam exageratam et usurariam, quod tamen locum haberet si debitor censarius, pro 100 francis quos reciperet, teneretur refundere ultra taxam legalem seu ultra 5 francos. Sed jus canonicum, jus civile antiquum et theologi censem æquiparant non *mutuo* sed *venditioni*; et ideo generatim dicunt taxam seu pretium determinari juxta communem aestimationem hominum.

Aliunde, neque ad hanc legem civilem attenditur in casibus in quibus agitur de emendis vel vendendis tum censibus perpetuis in gubernio fundatis (*les fonds publics*), tum actionibus a nummulario publico editis (*les actions de banque*), tum actionibus commercialibus vel industrialibus. Illa enim omnia, quemadmodum et alias merces, emere vel vendere licet pretio currenti, i. e. juxta communem aestimationem hominum; nam nulla in his operationibus injustitia de se reperitur, et multi timorati, ait Bouvier, hanc eligunt viam fructuose pecuniam suam locandi.

Ut autem memorata hæc triplex operatio a tyronibus melius intelligatur, in eorum gratiam notamus sequentia:

101. — 1° Quoad *census perpetuos in gubernio fundatos*.
Supponamus gubernium extraordinarie indigere magna

pecuniæ summa, v. g. centum millionibus francorum. Hanc mutuo petit, sive ab una persona seu domo locupletissima, sive a quibusvis personis quæ certam partem fundere exoptant; et se obligat ad solvendum quotannis quoddam interesse, v. g. 5, 4 vel 5 pro 100, seu interesse ad 3, 4 vel 5 millones in globo. Si gubernium, summam capitalem expostulans, versetur in statu aliunde prospero, illam facile obtinebit integralem indictio pretio (*au pair*), licet id tamen hodie sat raro eveniat. Si vero in angustiis seu non favorabilibus circumstantiis hujusmodi petitionem instituat, nonnisi summam integra minorem (*au-dessous du pair*) obtainere valebit, v. g. tantum 90, 80, 70, imo forte 60 pro 100, seu 90, 80, 70 vel 60 millions francorum loco 100 millionum expostulorum; idque ea tamen lege ut nihilominus dictum interesse 5, 4 vel 5 pro 100, seu 3, 4 vel 5 millions quotannis solvere teneatur, quemadmodum si 100 millions accepisset.

Jam vero, gubernium desuper magnum numerum *obligationum* emittit certi valoris, v. g. 1,000 francorum, et *partes obligationum* (*des coupures d'obligation*), singulas valoris v. g. 100 francorum; illasque venales exponit in foro argentario, dicto *bursa publica* (*la bourse*); ibique earum currens pretium determinatur. Si supponamus interesse determinari ad 5 pro 100, et pretium a bursa statui ad capitale 80, tibi, si libet, fas erit emere censem annum 5 francorum, refundendo summam capitalem non 100 sed tantum 80 francorum; seu emere censem 50 francorum, refundendo summam capitalem non 1,000 sed tantum 800 francorum, etc.; hosque census annuos gubernium solvere tenetur.

Premium autem in bursa currens, quotidie fluctuare potest, pro ratione majoris vel minoris periculi ne gubernium censum solvendorum impar forte inveniatur; hocque

periculum supponitur crescere vel decrescere prout gubernium, ob varias fluctuationes politicas, nunc in angustiis tum vero in faventibus circumstantiis et securitate versatur; et consequenter, crescente periculo, decrescit pretium, dum e contra decrescente periculo, crescit pretium.

Quemadmodum tibi licet emere, ita et vendere licet hujusmodi census. Et sic, si possideas quasdam obligationes, et si hic et nunc pecuniae summa egeas, has quovis die cuiilibet personae vendere potes. Imo, etsi pecunia non egeas, tibi fas erit illas vendere in ordine ad lucrum faciendum: scilicet, vendere festinabis illa die qua magno valent pretio, praesertim si prævideas, ob non faventes circumstantias politicas, harum pretium brevi decresciturum fore; dum e contra, obligationes emere properabis, si jam infimo valent pretio, et probabile judices has, ob superventuras circumstantias faventes, postea majori pretio esse valituras.

2º Quoad actiones nummulatorias.

Institutiones illæ nummulatoriae (*les banques publiques*) operationes peragunt fere similes operationibus modo dictis quæ a gubernio peraguntur.

3º Quoad actiones commerciales vel industrielles.

Hujusmodi actiones acquirere, fere idem est ac inire contractum societatis, de quo infra Cap. IX. Supponamus quamdam societatem commercialem vel industrialem quæ, per suas operationes, quotannis v. g. 20 pro 100 lucretur. Sed, cum magna indigeat pecuniae quantitate, hanc pecuniam expostulat a privatis, ea lege ut se obliget singulis tribuentibus solvere non tantum quoddam interesse, v. g. 4 vel 3 pro 100, sed insuper partem quamdam de lucro generali (*une part au dividende*); et sub hac lege varias actiones emittit. Suppono autem te possidere summam, forte infructuosam, 100 francorum; hanc tradis huic societati, ut sic actionem vel actionis partem emas, quæ tibi quotannis magnum lucrum, v. g. 8, 10, 15 et quan-

doque ultra francorum, procurabit. Unde, quemadmodum tales actiones justo seu currenti pretio emere, ita et eas currenti pretio vendere tibi licet. Nam tale commercii genus a viris etiam probis passim exercetur, nec ab eis ut usurarium seu redolentem contractum *mohatræ* deprehenditur; sed vera negotiatio esse videtur, cui leges non adversantur, imo cui auctoritas publica patrocinatur.

Nota. Ex dictis sequitur quod contractus census vere discrepet a contractu mutui. Ab eo differt census *vitalitus*, quod redditus annuus sit illimitatus, et quod, mortua persona designata, non reddendum sit capitale receptum; secus autem in mutuo. A mutuo differt census *perpetuus*, quod taxa, quæ potius ut rei preium spectatur, sit quasi illimitata, non vero sic in mutuo; et quod census perpetuus constitutus sit ad tempus illimitatum, dum muluum initur tantum ad tempus quoddam determinatum.

CAPUT VI.

DE CAMBIO.

102. — Q. *Quid est cambium (le change)?*

R. Est lucrosa pecuniæ cum alia pecunia permutatio.

Hic tyronibus non inutile erit summatim indicare in quibus præcipue consistat hæc pecuniæ permutatio, seu quænam sint campsoris præcipuae operationes.

Campsor (*le banquier, l'échangeur*) est persona quæ ex officio privatis, in eorum utilitatem, pecuniæ mutationes præstat; idque efficit dupli præsertim modo, scilicet mutando vel 1º pecuniam præsentem cum alia pecunia præsente; vel 2º pecuniam præsentem cum pecunia absente. In primo casu, cambium dicitur *manuale*; in secundo autem, dicitur *locale*. Itaque :

1º Cambium *manuale* locum habet quum tu campsori tradis pecuniam certæ speciei, ut ab eo statim recipias

pecuniam alterius speciei, dum v. g. tradis aes pro recipiendo argento, monetam pro schedulis nummulatoriis, argentum pro auro, monetam alterius regionis pro moneta regionis in qua versaris.

2º Cambium *locale* fit per litteras ordinarie a campsore confectas (*lettres de change*), ut in tribus casibus sequentibus:

Suppono te, Bruxellis habitantem, in Americam iter suscepturum esse, onustum magna pecuniæ summa. Timens autem incommoda et pericula hujusmodi pecuniæ translationis, hanc tradis campsori tuo Bruxellis; qui tibi committet, tecum ferendas, litteras ejusdem valoris, destinatas ad campsorem quemdam in America (*à l'adresse de son banquier correspondant*). Tu vero in Americam adveniens, litteras tradis campsori americano, qui tibi eamdem pecuniæ summam reddet sive in eadem sive in altera pecuniæ specie.

Suppono te, Bruxellis commorantem, habere debitum 25,000 francorum seu, ut dicitur, 1,000 *livres sterlings* cuidam Caio Londini in Anglia degenti. Non amans autem nec per te ipsum nec per alium hanc solvendam pecuniæ summam eo transferre, eam tradis campsori tuo bruxellensi, qui tibi dabit litteras ejusdem valoris ad campsorem londinensem destinatas; tu vero has litteras per postam publicam transmittis ad Caium, qui eas in propria sua civitate tradet campsori designato a quo dictam pecuniæ summam in solutionem recipiet.

Suppono te, Bruxellis degentem, esse creditorem Petri, incolæ parisiensis, qui tibi debet 1,000 francos, post unum alterumve mensem solvendos. Sed forte statim pecunia indiges, vel times ne, ob temporum calamitates vel ob alias circumstantias, hanc summam tempore statuto non sis recepturus; hanc ergo expostulas hic et nunc a campsore tuo bruxellensi, cui tradis litteras a te confectas et ad tuum debitorem Petrum destinatas; campsor

vero bruxellensis eas per postam transmittet ad campsorem parisiensem, qui nomine tuo solutionem a Petro exiget.

Quod autem ipsos campsores attinet, quoad varias similes operationes quas inter se invicem habere potuerint, ipsi inter se res suas postea component.

105. — Ex his et similibus facile intelligitur 1º hujusmodi operationes campsoris esse utiles, imo tum privatis tum commercio tum bono publico necessarias, 2º eas non debere esse gratuitas, cum interveniat contractus onerosus, et proin 3º campsoris lucrum esse justum, *modo debitæ serventur conditiones*.

Varii enim sunt tituli ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet 1º ipsius labor et cura qua tibi subvenit, solutionem procurat vel assecurat, etc.; 2º damnum ei emergens ex non raris infortuniis ejus debitorum; 3º expensæ et curæ in delinendo telonio, in solvendis scribis, ministris, etc.

Dixi *modo debitæ serventur conditiones*. Hæ autem principaliter continentur in hoc, quod campsor pretium minuat vel augeat vere juxta rationem servitii præstiti, juxta rationem supradictorum titulorum minus vel magis urgentium et generatim non ultra taxam vel a lege vel præsertim a consuetudine locorum determinatam. Admittitur autem quod campsores, ratione mutui, juxta taxam legalem 6 pro 100 recipere possint, quia quamdam mercaturam pecuniae exercent; imo in variis locis permittitur ipsis recipere 7 pro 100, ob labores et pericula quibus exponuntur.

Dicit Gury cambium esse licitum *privatis* seu iis qui officium publicum cambiandi non habent; sed iis cendum esse ne lucrum plus æquo exigant.

Nota. Ex dictis sufficienter intelligitur quod campsori non liceat idem pretium seu lucrum exigere pro cambio

manuali ac pro cambio *locali*, cum hoc ultimum maiores ex parte campsoris expensas et majora pericula involvat. Supponamus enim te, in necessitate pecuniae, a campsore certam summam expetere, vel te ei tradere monetam americanam pro obtainenda moneta belgica: patet quod campsor, tibi tradens hanc pecuniam, non possit a te exigere tantum luerum ac si ab eo expostulasses parem pecuniae summam, non in hoc loco sed *in America solvendam*; quod si nihilominus faciat campsor, te decipit et injustitiam committit. Tale cambium, seu talis injusta operatio a parte campsoris, non est cambium vulgo nuncupatum *reale*, de quo hucusque egimus, sed est cambium quod theologi vocant cambium *fictum* seu *siccum*, nihilque aliud est quam mutuum usurarium.

104. — Hic tandem, ratione mutu iet cambii de quibus dictum est, occasio occurrit mentionem faciendi harum institutionum quae dicuntur *montes pietatis* (*monts de piété*), in quibus quoddam mutuum et quedam permutatio exercentur.

q. *Indica naturam et exercitium montium pietatis.*

r. *Mons pietatis* est institutio quae possidet magnum pecuniae fundum, collectum ex piis legatis, tum ex eleemosynis, tum ex pecuniis ad censem acceptis. Pauperes, in quorum favorem institutus est mons pietatis, si forte hic et nunc pecunia indigeant, eo deserunt, in pignus, vestem vel aliam rem mobilem, valoris postulata summa majoris, et desuper mutuo accipiunt certam pecuniae summam, postea monti reddendam. Quam si tempore praefixo non reddant, mons acceptum pignus publice vendit; et ex pretio sibi retinet id quod sibi debetur ob mutuatam pecuniam, et reliquum, si quid superfuerit, pauperi reddit.

Mutuum istud pauperi non datur ad tempus indeterminatum, bene vero ad tempus certum, v. g. ad sex

menses vel ad annum. Pauper autem pecuniam acceptam reddere debet cum auctario supra sortem solvendo. Istud auctarium usurarium non est, quia exigitur non vi solius mutui, sed ob titulum extrinsecum, v. g. ob sumplus necessarios ad mercedem præpositorum et ministrorum, nec non ad domus administrationem.

Afferunt Bouvier, Gury, etc., montes pietatis institui posse quoque a privatis, quia parvi refert ad rationem usuræ utrum institutio sit publica vel privata, dummodo privatus non amplius accipiat quam quod necessarium est ad se indemnem servandum.

CAPUT VII.

DE LOCATIONE.

103. — q. *Quid est locatio (le bail)?*

r. Est contractus quo usus rei vel opera personæ, pro certo pretio, ad tempus, ab uno conceditur et ab altero accipitur.

Dico 1° *ad tempus*: quia locatio fieri non potest in perpetuum. Unde *emphyteusis* (*le bail emphytéotique*), seu locatio quo res immobilis alicui conceditur quoad dominium utile, extendi non potest ultra certum tempus, scilicet ex jure civili ultra 99 annos. Si quis ergo vellet locare in perpetuum pro pretio annuo, hæc conventio haberetur ut venditio facta pro censu, et ille census redimibilis foret.

Dico 2° *usus rei vel opera personæ*. Unde duplex distinguitur locationis species: 1° locatio rerum, 2° locatio operarum.

Illæ duæ species in plures alias subdividuntur. Sic 1° locationis *rerum* species sunt locatio ædium et bonorum mobilium (*bail à loyer*); locatio bonorum ruralium (*bail à ferme*); locatio animalium (*bail à cheptel*). Sic 2° locationis *operarum et industria* (*location d'ouvrage et d'industrie*) spe-

cies sunt, juxta varios modos, locatio operariorum et famulorum; locatio vectorum (*des voituriers*), qui se obligant ad res vel personas transferendas; locatio eorum qui aliquod opus exequendum suscipiunt (*des entrepreneurs*).

Quoad varias has species, remittimus ad codicem ci-vilem, art. 1708 et seqq. Nos autem in sequentibus N^os quædam dicimus 1^o de locatione ædium; 2^o de locatione operarum; quibus, ob analogiam, subjungimus 3^o de man-dato et de negotiorum gestione.

Nota. Contractus *locationis* affinis est contractui *vendi-tionis*. Ab eo tamen differt, 1^o quod in venditione dominium transferatur, dum in locatione tantum rei usus conceditur; consequenter 2^o quod venditio titulus perpetuus esse so-leat, dum locatio titulus est temporalis.

Quemadmodum venditio et emptio unus et idem sunt contractus, ita pariter locatio et conductio: *locatio* quidem, ex parte illius qui rem tradit, isque vocatur *locator* (*le bailleur, le locateur*); *conductio* vero, ex parte illius qui pretium solvere promittit, isque nuncupatur *locatarius* vel *conductor* (*le locataire, le preneur*). Totam locationis ma-teriam vide apud codicem, ab art. 1708 ad art. 1851.

§ I.

De locatione ædium.

Dicimus 1^o de locationis forma; 2^o de juribus et obli-gationibus locatoris; 3^o de juribus et obligationibus lo-catarii; 4^o de locationis resolutione.

106. — *Quoad locationis formam.*

Quemadmodum venditio, ita et locatio solo partium consensu perficitur, et nullam formam specialem exigit. Fieri igitur potest non tantum per scripturam privatam, sed et meritis verbis. Sed si solis verbis fiat, probatio per testes non admittitur in jure gallico, nisi executio

jam incœpta fuerit. Sed juramentum a parte negante exigi potest.

107. — *Quoad jura et obligationes locatoris.*

Sint hic et in sequentibus ea quæ tradit opusculum nostrum citatum:

1° Les *droits* du bailleur existent tout le temps que dure le bail. Si, durant le bail, le bailleur voulait occuper lui-même l'objet loué, et expulser le locataire, il ne le pourrait que pour autant que cette faculté eût été inscrite dans l'acte de bail; et, en ce cas, il serait tenu d'avertir le locataire en temps convenable, c'est-à-dire, de signifier un congé aux époques déterminées par l'usage des lieux.

Le bien loué peut, durant le bail, passer à un nouveau propriétaire, par donation, par vente, par succession, etc.; et alors, les droits du bailleur passent à ce nouveau propriétaire. Celui-ci n'a pas le droit d'expulser le locataire avant l'expiration du bail, à moins que cette faculté n'ait été inscrite dans l'acte de bail.

2° Les principales *obligations* du bailleur sont les trois suivantes: il doit 1° *livrer au locataire la chose louée*; 2° *l'entretenir en état de servir à l'usage* pour lequel elle a été louée; 5° *faire jouir paisiblement* le locataire, pendant toute la durée du bail.

Je dis *livrer...* et *entretenir...* Donc, il doit faire à la chose toutes les réparations nécessaires, autres que les réparations locatives.

Je dis *faire jouir paisiblement...* C'est-à-dire, qu'il est obligé de garantir le locataire des troubles ou empêchements, qui pourraient être apportés à la jouissance du locataire, soit de la part de ceux qui voudraient avoir des prétentions sur la propriété des biens, soit de la part des vices ou défauts de la chose qui peuvent en empêcher l'usage. Puisque le bailleur reste le proprié-

taire du bien loué, si durant le bail une cause quelconque venait détruire la chose sans la faute du locataire, ce serait le bailleur qui en supporterait la perte.

108. — *Quoad jura et obligationes locatarii.*

1^o Le locataire a le droit de *sous-louer* la chose louée, soit en partie soit en tout, à moins que cette faculté ne lui ait été interdite dans l'acte de bail. Mais, s'il l'a sous-louée, il reste garant des dommages et de tous les actes faits par le sous-locataire.

2^o Les obligations du locataire se réduisent aux trois suivantes :

1^o Payer, au temps convenu, le prix fixé par le bail.

2^o User de la chose louée *en bon père de famille*, c'est-à-dire: 1^o apporter à la conservation de la chose, le même soin que si c'était la sienne propre; 2^o ne faire servir la chose qu'aux usages convenus; 3^o rendre, à la fin du bail, la chose telle qu'il l'a reçue. Donc, si, pendant sa jouissance, il était survenu des dégradations, il en serait responsable, dans le cas qu'elles seraient surve nues par sa faute, ou par celle de ses sous-locataires. Si la maison était consumée en tout ou en partie par l'incendie, il devrait pouvoir prouver qu'il n'y a pas eu de sa faute, ni de celle de ses sous-locataires; c'est-à-dire, que l'incendie est arrivé ou par cas fortuit, ou par force majeure, ou par vice de construction.

3^o Faire les *réparations locatives*, c'est-à-dire, celles de menu entretien.

On entend par *réparations locatives*, d'après l'usage des lieux, surtout celles qu'il y a à faire aux âtres et tablettes des cheminées; au bas des murailles des appartements, etc., à la hauteur d'un mètre; aux pavés et carreaux des chambres, lorsqu'il y en a quelques-uns de cassés; aux portes, aux croisées, aux vitres, etc.

Cependant ces réparations locatives ne seraient pas à

la charge du locataire, 1^o si elles étaient occasionnées par vétusté, ou par force majeure, ou bien 2^o si l'acte de bail les avait mises sur le compte du bailleur.

109. — *Quoad locationis resolutionem.*

Le bail se résout principalement dans les cas suivants : 1^o par l'expiration du temps convenu pour la durée du bail ; 2^o pendant la durée du bail, par le mutuel consentement des parties ; 3^o par la perte de la chose louée ; 4^o par la non-exécution des obligations, soit de la part du bailleur, soit de la part du locataire.

Il est donc à remarquer que le bail ne se résout pas par la mort des contractants, et qu'ainsi il passe aux héritiers.

§ II.

De locatione operarum.

En illa quæ tradit Gousset quoad 1^o operarios et famulos, 2^o vectores, 3^o suscipientes opus aliquod determinatum.

110. — *Quoad operarios et famulos.*

Un ouvrier, un domestique ne peut engager ses services qu'à temps ou pour une entreprise déterminée. La loi regarde comme nulle la convention par laquelle un homme s'engage à servir toute sa vie une autre personne.

Les conventions faites entre les maîtres et les domestiques doivent être exécutées de bonne foi, eu égard aux usages du pays; elles tiennent lieu de loi, quand elles n'ont rien de contraire ni à la religion, ni aux bonnes mœurs. D'après ce principe, si le maître ou le domestique n'exécute pas ses engagements, ils sont tenus réciproquement de se dédommager.

Le serviteur qui n'a nullement à se plaindre de son maître, ne peut quitter son service avant le temps convenu. Le maître ne peut pas non plus, sans raison légitime, renvoyer son serviteur avant l'expiration du terme fixé par l'usage ou la convention. Mais si le domestique tombe malade au point de ne pouvoir faire son service, le maître est-il obligé de lui payer son salaire? Non; il n'est pas même tenu de supporter les frais de maladie, à moins que le domestique ne se trouve dans le cas d'une nécessité grave: encore cette obligation n'est-elle qu'une obligation de charité.

111. — *Quoad vectores.*

1^o *Solennel*, parce que ce contrat ne peut être rédigé que 1^o par acte authentique, ou 2^o par acte sous seing-privé reconnu en justice ou devant notaire.

2^o *Capable d'aliéner*. L'hypothèque étant elle-même une sorte d'aliénation, il faut que celui qui consent à l'acte, soit capable d'aliéner l'immeuble qu'il charge. Donc, les

biens des mineurs, des interdits et des absents ne peuvent être hypothéqués, que pour les causes et dans les formes prescrites par les lois.

3^e *Lui appartenant présentement*; car les biens à venir ne sont pas susceptibles d'une hypothèque conventionnelle.

4^e *D'une dette déterminée*; car l'hypothèque conventionnelle n'est valable, qu'autant que la somme pour laquelle elle est consentie, est déterminée dans l'acte. La loi l'a ordonné ainsi, afin que ceux qui désireront ensuite contracter avec le débiteur, puissent connaître exactement de quelle quantité se trouvent chargés les biens de celui-ci.

144. — 5^e *Hypothèques testamentaires*. L'hypothèque *testamentaire* est celle qui est établie par le testateur sur un ou plusieurs immeubles spécialement désignés dans le testament, pour garantie des legs par lui faits.

Effets des hypothèques.

145. — Nous avons dit plus haut que le créancier hypothécaire a le droit de poursuivre le paiement de sa créance. Ce créancier peut faire valoir son droit spécialement dans deux cas: 1^o dans le moment que le débiteur, ou qui de droit, vend l'immeuble hypothqué; 2^o après cette vente ou aliénation, si le créancier, non payé, trouve l'immeuble entre les mains d'un tiers détenteur. Dans le premier cas, le créancier a le droit de *préférence*; dans le second cas, il a le droit de *suite*. Ainsi,

1^o Dans le moment que l'immeuble hypothqué est vendu, soit par le débiteur, soit par ses héritiers, soit par la justice, le créancier hypothécaire a le droit de *préférence* pour le paiement; c'est-à-dire que, d'après l'ordre de l'inscription de son hypothèque, il a le droit de se faire payer avant tous les autres créanciers *non privilégiés*.

2^o Si l'on suppose que l'immeuble soit passé en des

mains étrangères par l'effet d'une vente, d'une succession, d'une donation, etc., sans que le créancier hypothécaire ait reçu le paiement de la somme hypothécaire, alors il peut faire valoir son droit de *suite*. Ce droit de *suite*, qui n'est que la conséquence de son droit *réel*, consiste dans la faculté accordée au créancier de poursuivre le paiement de son hypothèque, dans quelques mains qu'il trouve l'immeuble passé.

Il est bon de remarquer ici que l'hypothèque qui pèse sur un bien, n'empêche pas le propriétaire du bien de l'aliéner. Mais, en le transmettant, il ne pouvait lui être permis d'anéantir les garanties qu'avaient les créanciers sur le bien aliéné; et de là est venu pour ceux-ci le droit de *suite*. Dans le cas où un créancier exerce le droit de suite, c'est-à-dire, s'il poursuit l'immeuble passé entre les mains d'un nouveau propriétaire, la loi détermine, par une foule de dispositions, les droits et les devoirs de ce tiers détenteur. En voici les plus générales. Il faut voir si ce tiers détenteur est *personnellement* obligé ou non.

146. — 1^o Si le tiers détenteur *est personnellement obligé* à la dette, il n'a pas à choisir: il est tenu de payer tous les créanciers hypothécaires. Il serait personnellement obligé si, par exemple, il était héritier du débiteur originaire.

2^o Si le tiers détenteur *n'est pas personnellement obligé*, la loi lui offre trois moyens à prendre, s'il veut éviter l'expropriation de l'immeuble, que pourraient opérer les créanciers hypothécaires. Ces trois moyens sont: 1^o ou payer aux créanciers la totalité des hypothèques qui grèvent l'immeuble, lors même qu'elles surpasseraient le prix auquel il l'a acheté; ou 2^o payer aux créanciers simplement son prix d'acquisition, tout en ayant recours aux différentes formalités relativement à ce que la loi appelle

la purge de sa propriété (du verbe purger, nettoyer, délivrer); ou 3^e simplement délaisser l'immeuble; ce délaissement doit se faire devant le tribunal.

Si le tiers détenteur n'a recours à aucun des trois modes susdits, alors chaque créancier hypothécaire a le droit de faire vendre l'immeuble, selon les dispositions de la loi.

Si le tiers détenteur, non personnellement obligé, a payé la dette hypothécaire, ou s'il a délaissé l'immeuble, ou s'il a subi l'expropriation, il peut prendre son recours contre son vendeur, à l'effet de se faire indemniser.

Remarque. — Tout ce que nous venons de dire sur les effets des hypothèques, est aussi applicable aux *privileges* inscrits sur les immeubles, puisque les droits et les devoirs, quant aux tiers détenteurs, sont régis par les mêmes règles.

TRACTATUS

DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

Quamvis ad mandata Dei et Ecclesiae servanda obligentur omnes, non omnes tamen tenentur eodem modo; dantur enim obligationes speciales pro variis hominum conditionibus, hincque enascitur praesens tractatus.

Triplicis generis distinguuntur status particulares, scilicet 1º status laicorum, 2º status clericorum, 3º status religiosorum; de quibus triplici capite agendum est.

CAPUT I.

DE STATU LAICORUM.

In tractatu *De Quarto Decalogi Praecepto* dictum est de mutuis superiorum et inferiorum obligationibus. Hie vero sermo est de quibusdam laicorum officiis quae ad bonum publicum spectant; quorum præcipua sunt officia forensia, et medicalia. De his sit duplex articulus.

Articulus I.

DE OFFICIS FORENSIBUS.

Breviter agimus 1º de denuntiatore, actore et accusatore, 2º de judicibus, 3º de advocatis, 4º de testibus,

5º de reo, 6º de apparitoribus, 7º de notariis; hinc septem sint paragraphi.

§ I.

De denuntiatore, actore et accusatore.

1. — Inter se differunt monitio fraterna, denuntiatio fraterna, denuntiatio juridica, et actio vel accusatio judicialis. *Monitio fraterna* fit ipsi delinquenti, ut monitus se emendet et offensis satisfaciat. *Denuntiatio fraterna* fit superiori, ut hic reum corrigat. *Denuntiatio juridica* fit magistratui, v. g. judici instructionis vel procuratori regio. *Actio vel accusatio judicialis* fit in judicio, atque obligationem importat factum allegatum probandi; et ille qui has partes agit, vocatur actor vel accusator, prout res spectat ad causas civiles vel ad causas repressivas, de quibus Nº seq. De monitione et denuntiatione fraterna agimus alibi.

2. *Quænam præcipua circa denuntiationem juridicam sunt animadvertenda?*

R. 1º Olim quilibet privati, lege non prohibiti (prohibebantur autem excommunicati, proditores, infames, filii erga parentes, servi erga dominos, clerici in causa sanguinis), reum denuntiare, imo et accusare poterant et quandoque tenebantur in conscientia, sed in scriptis tantum, et cum onere allegatum probandi, sub poena talionis, i. e. eamdem subeundi poenam ad quam damnatus fuisset accusatus convictus. Sed hæc consuetudo jam non amplius obtinet.

2º Hodie autem, quicumque delictum vel crimen aliquod contra bonum societatis ordinem cognoscunt, illud denuntiare tenentur procuratori regio, vel saltem agentibus ei subjectis et auxiliantibus, quales sunt præsertim dicti *les bourgmestres*, *les officiers de la gendarmerie*, *les commissaires de police*. Ait enim codex instructionis cri-

minalis anni 1808, art. 50: « Toute personne qui aura été témoin d'un attentat soit contre la sûreté publique, soit contre la vie ou la propriété d'un individu, sera tenu d'en donner avis au procureur du roi soit du lieu du crime ou du délit, soit du lieu où le prévenu pourra être trouvé. »

Hæc autem legis civilis dispositio generalis est, neminemque a denuntiationis obligatione eximit, licet tamen in non denuntiantes non decernat pœnas. Insuper in foro conscientiae obligat saltem illos qui legitima de causa non excusantur. Atqui jure naturali sive canonico excusantur filii respectu parentum, conjux respectu comparatis, servi respectu dominorum, clerici ubi agitur de sanguine, et alii qui denuntiare non possunt absque gravi sui vel aliorum detrimento: nisi tamen malum impedendum foret majus, v. g. proditio patriæ vel principis, in quo casu memorati non excusantur.

3º Non tamen contra justitiam peccant *privati* omitentes denuntiationem quam pro bono societatis ordine facere deberent; dico *privati*, nam injustitiæ reus foret procurator regius reum non requirens nec accusans, cum ad id teneatur; item publici officiales principis, ut custodes sylvarum vel agrorum, vectigalibus præpositi, etc., quia ad damna in bonis sibi commissis impedienda aut præcavenda pariter ex officio suo tenentur.

4º Qui crimina vel delicta procuratori regio denuntiaverunt, citari solent ut testes, et, præstito juramento, quæcumque viderint, audierint aut aliter sciverint, ante tribunal declarare tenentur; atque si falsi deprehenderentur testes, ad gravissimas damnarentur pœnas codice pœnali statutas.

Q. *Quisnam dicitur actor, quis defensor in judicio?*

R. *Actor* (*le demandeur*) est ille qui in materia civili contra aliū actionem intentat, i. e. qui, utpote pars læsa, jus suum prosecuitur, vel satisfactionem ut sibi

debitam postulat. Actor autem id quod affirmat, probare tenetur: alioquin causa excidet, et ad solvendas expensas a judice damnabitur. *Defensor (le défendeur)* est ille qui in judicio contra hanc actionem se defendit.

q. *Quisnam dicitur accusator in judicio?*

r. *Accusator* vocatur ille qui in materia repressiva, accusatum inquirit et in judicio prosequitur, in ordine ad obtainendam vindictam et ita bono publico prospiciendum. Sicut actor, ita accusator probare tenetur.

Verum jure nostro, munus accusatoris non amplius, quemadmodum olim, ad privatos spectat, sed unice ad magistratum, in quo jura societatis repräsentantur, scilicet ad procuratorem regium seu *ministerium publicum*, ita vocatum quia, in causis repressivis, et in certis causis civilibus lege determinatis, quæ adversantur bonis moribus ac ordini publico, partes societatis seu boni publici tuetur. Si judices aut juratos convincere nequeat procurator, absolvitur accusatus, non vero reprehenditur accusator, nisi forte convinceretur egisse mala fide vel fuisse corruptus, etc.

§ II.

De judicibus.

2. — q. *Quis dicitur judex?*

r. *Judex* est persona publica, principis auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam vindicet, et in delinquentes debitas pœnas decernat.

Hoc munus suum judex rite adimplere tenetur ex quasi-contractu cum societate et privatis; ac proinde, nisi id faciat, reus est violatæ justitiæ legalis et quandoque justitiæ commutativæ.

Oppportunum judicamus hic summariam præmittere notionem de *organisatione judiciaria*, seu de modo quo justitia in Belgio exercetur.

Duplicis generis distinguuntur causæ ad judices seu tribunalia deferendæ, scilicet vel in materia civili, vel in materia repressiva.

Materia *civilis* est ea, in qua agitur de injuriis commissis quoad bona et jura privatorum inter se; hæcque determinatur per codicem civilem.

Materia *repressiva* est ea, in qua agitur de infractionibus commissis adversus bonum ordinem societatis adeoque adversus leges pœnales; hæcque determinatur per codicem pœnalem.

Triplex distinguitur infractio seu triplex gradus quo infringuntur leges pœnales, atque vocatur simplex *contraventio*, vel *delictum*, vel *crimen*, prout punitur pena levi dicta *peine de police*, vel pœna majori dicta *peine correctionnelle*, vel pœna gravi nuncupata *peine criminelle*.

Codex pœnalis determinat modo generali quænam sint illæ *contraventiones*, *delicta* vel *crimina*. Quando autem quædam contra leges pœnales infractio ad judicium per procuratorem regis defertur, certi judices seu potius certum judicum concilium (*chambre de conseil*, *chambre de mise en accusation*) eam rite examinat, ac subinde pronuntiat ad quodnam tribunal deferenda sit dijudicanda illa causa; hæcque demum ac definitive reputabitur infractio vel delictum vel crimen, prout a tribunali plectitur pœna simplicis politiae vel correctionali vel criminali: ita ut, juxta art. 1 codicis pœnalis Belgii, anni 1867, ipsa pœna a tribunali inficta determinet infractionis naturam seu characterem.

Omnes causæ, tam in materia civili quam in materia repressiva, judicantur per tribunalia sequentia:

1º Tribunalia *justitiae pacis*, quorum competentia territorialis limitatur divisione dicta *le canton*.

Judices pacis in dupliji judicant materia, civili scilicet et repressiva.

In materia *civili* judicant, tum absque appellatione (*en*

dernier ressort), tum vero sub facultate appellationis (en premier ressort). Absque appellatione judicant quasdam causas quarum valor pertingere potest 100 francos; sub appellatione autem, causas quarum valor pertingere potest 200 francos. Ultra hunc ultimum valorem judicare non possunt.

In materia *repressiva* judicant infractions dictas *contraventiones politiæ*; ideoque eorum tribunalia vocantur *tribunalia politiæ*.

2º *Tribunalia primæ instantiæ*, quorum competentia territorialis limitatur divisione dicta *l'arrondissement judiciaire*.

Quemadmodum judices pacis, in materia civili et repressiva judicant hæc tribunalia.

In materia *civili* judicant, absque appellatione, tum sententias judicium pacis, tum quasdam causas quarum valor pertingit summam capitalem 2,000 francorum, vel redditum annum] 75 francorum; sub appellatione vero, si hanc summam excedat.

In materia *repressiva* judicant infractions dictas *delicta* (exceptis delictis de quibus infra in 4º) seu res *correctionales*; ideoque *tribunalia correctionalia* vocantur.

3º *Tribunalia seu curiæ appellationis*, dictæ *cours d'appel*, quarum competentia territorialis comprehendit aggregatem quamdam divisionum dictarum *arrondissements judiciaires*; suntque tres pro toto Belgio: Gandæ, Bruxellis et Leodii.

Istæ curiæ judicant appellations a tribunalibus primæ instantiæ, in materia tum civili tum repressiva.

4º *Tribunalia seu curiæ criminales*, dictæ *cours d'assises*, quæ in singulis provinciis quater in anno sedent ad judicanda tum crima, tum delicta politica atque delicta prælo commissa, vulgo *les délits politiques et de presse*.

Duplici elemento componuntur hæ curiæ, 1º præside, electo inter membra curiæ appellationis, cum duobus assessoribus, designatis inter judices tribunalis 1º instan-

tiæ; 2º corpore *juratorum*, vulgo *le jury*, i. e. 12 notabilium civium qui juramentum præstare debent. Jurati, illique soli, judicandum habent de quæstione facti, i. e. an factum causæ de qua inquiritur, existat necne; et subinde, ad hujus curiæ judices pertinet poenas decernere in declaratos reos.

Juratorum institutio, ab Anglis desumpta, creata est in gratiam accusatorum, scilicet ut factum a viris gravibus sorteque designatis, nullo affectu maligno erga accusatos plerumque sibi incognitos, examinatum ac ponderatum, certius agnoscat, sicque securitas societatis cum juribus accusatorum tutius concilietur. Quum autem sententia judicum ex illorum declaratione necessario ferenda sit, studeant ergo jurati ut nihil advertant præter rei veritatem ac propriae conscientiæ dictamen; nam, secus agentes perjuri fiunt, contra justitiam graviter peccare possunt, atque obligationem damnum reparandi non raro incurunt.

5º Curia suprema seu curia *cassationis*, in urbe capitali sedens, quæ judicat ad se delatas sententias curiarum tum *appellationis* tum *criminalis*, in casibus quo ab eis appellatum fuerit.

Has causas examinat, non præcise in se, sed potius sub forma earum judiciali, ad videndum scilicet an latae sententiae non fuerint vitiæ 4º ob violationem formarum essentialium, vel 2º ob violationem textuum formalium legis, vel 5º ob falsas interpretationes dispositionum legallium.

Nota. Tribunalia hucusque enumerata, sunt tribunalia ordinaria seu civilia. Præter illa autem existunt tribunalia quædam extraordinaria et specialia pro ratione personarum dijudicandarum, scilicet 1º tribunalia militaria (*conseils de guerre, cours militaires*), ad judicandas causas militum, 2º tribunalia commercii, ad judicandas causas illud exercentium, 3º tribunalia dicta *tribunaux de*

prud'hommes, ad judicandas causas exurgentes inter heros et operarios.

Q. *Quænam conditiones requiruntur ut judex munus suum rite adimpleat?*

R. Conditiones seu qualitates in eo requiruntur sequentes:

1º Intelligentia non communis, ut causas intricatas percipiat.

2º Scientia sufficiens, ut omnia adjuncta juris et facti animadvertat.

3º Integritas incorruptibilis, ut nec amore nec odio cedat. Et ideo ipsi omni jure prohibetur a dijudicandis munera accipere; ita ut judicis corruptio gravibus poenis plectatur tam in corrumpentibus quam in corrupto. Si tamen judex munera liberaliter data receperit, probabilius juxta Ballerini, Lugo, etc., ea ante alterius judicis sententiam restituere non tenetur, cum eorum dominium acquisierit.

4º Ut sententiam ferat secundum leges et ordinem a legibus determinatum; non enim constituitur ad leges mutandas aut reformatas, sed ad eas executioni mandandas.

Circa hanc ultimam conditionem, inquiritur quomodo judicare teneatur judex in tribus sequentibus casibus:

Q. *An damnare possit reum juridice non convictum, quem privata tantum scientia solum cognoscit?*

R. Negative omnino; nam judex tenetur judicare secundum allegata et juxta formas a lege praescriptas. Nullum enim vel saltem non grave est incommodum in dimittendo aliquando reum occultum, dum magnum foret in violando formas judicii stabilitas.

Q. *An e contra damnare possit innocentem qui juridice reus convincitur?*

R. Valde controvertitur. Sed probabilius distinguere licet inter causas civiles, aut repressivas minores, scilicet contraventiones vel delicta, et inter causas repressivas ma-

jores, scilicet crimina proprie dicta; juxta quam distinctionem intelligenda sunt ea quæ dicuntur in tractatu *De Justitia*, N° 79. Vide ibidem solutionem.

Q. *Si causa sit dubia?*

R. 1° In materia *repressiva*, favendum est reo quamdiu de facto non constat. 2° Quod spectat materiam *civilem*, in dubio de *proprietate* simul et de *possessione*, juxta rationes probabiliiores judicare debet; et si rationes sint ex utraque parte æque probabiles, res dividenda est. In dubio de *sola proprietate*, pro certo possessore standum est, juxta: *In pari delicto vel causa, melior est conditio possidentis.*

3. — *Post sententiam a judice latam, inquiruntur duo sequentia:*

Q. *Quoad judicem, an teneatur reparare damnum quod non impedivit, vel cuius reparationem non procurat quando potest?*

R. *Affirmative*, quia est cooperator injustus et efficax; vide *De Justitia*, de cooperatoribus negativis.

Q. *Quoad condemnatum, an obligetur sententia judicis 1° dubie justa, 2° certo injusta?*

R. Ad 1^m, *Affirmative* omnino; præsumptio enim superiori seu judici favet, ut in tractatu *De Conscientia* dictum est.

Ad 2^m, *Negative* per se, ut palet. Teneri tamen potest per accidens, nimirum si adsit ratio vitandi scandali vel perturbationis ordinis publici, quia bonum privatum semper bono publico cedere debet.

Qui autem in materia civili obtinet causam per sententiam injustam, rem sibi adjudicatam recipere nequit, vel obtentam restituere debet, et insuper omnia damna parti adversæ obvenientia reparare tenetur. Si tamen in bona fide fuerit, hac evanescente, rem alienam simpliciter reddere debet, juxta dicta de possessore bonaæ fidei, in tractatu *De Justitia*.

4. — Judicibus adjunguntur scribæ; item judicibus quodammodo æquiparantur arbitri. Unde inquiruntur sequentia:

q. *Quis dicitur scriba?*

r. *Scriba* seu *secretarius* (*le greffier*) est ille qui scripto refert testimonia, judicum sententias, cæteraque omnia quæ in judicio peraguntur. Hinc, ut dextera judicis, et ipsius publicus ac authenticus *secretarius* considerari solet. *Scriba* ordinarie contra justitiam peccat, si varias muneris sui partes non fideliter exequatur.

q. *Quinam dicuntur arbitri?*

r. *Arbitri* sunt ii qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar judicium admittuntur. Proin iisdem circiter ac *judices*, *obligationibus* tenentur. Igitur habere debent 1º intelligentiam et scientiam sufficientem de re litigiosa; ita ut, secus, in materia gravi, ad restitutionem teneri possint; 2º integratatem qua judicent juxta leges regionis; nisi partes eis facultatem faciant rem ex æquo et bono componendi.

Arbitri litem absolute dirimere valent. Attamen, lege civili Gallica, talis sententia, ut in foro externo valeat, a præside tribunalis primæ instantiæ agnoscenda est.

§ III.

De advocatis.

5. — q. *Quisnam dicitur advocatus?*

r. *Advocatus*, quasi *vocatus ad defendum*, est ille qui suscipit munus defendendi causas in judicio.

q. *Quenam requiruntur ut advocatus munus suum rite obeat?*

r. Ex justitia legali erga societatem et ex justitia commutativa erga litigantes, in *advocato* quatuor requiruntur:

1º *Scientia conveniens*, ne se periculo exponat graviter nocendi; unde, contra justitiam peccare potest, si

causam suscipiat ad quam non est sufficienter peritus, vel si ad eam se non sufficienter præparet;

2º Justitia causæ;

3º Fidelitas in causa suscipienda et tractanda;

4º Æquitas in exigendo pretio.

De tribus ultimis inquiritur tripliæ numero sequenti.

6. — q. *Circa justitiam causæ, an advocatus suscipere potest et defendere causam quæ est 1º injusta, 2º dubie justa?*

r. Ad 1º. *Negative.* Itaque contra justitiam, adeoque sub onere restitutionis, peccat advocatus qui suscipit vel defendere pergit causam quam reperit esse evidenter injustam; idque non tantum in materia civili, sed et a fortiori in materia repressiva, in qua procuratores et etiam advocati partes agerent accusatoris evidenter injus-
ti. Hi omnes, detecta causæ injustitia, causam derelin-
quere tenentur.

Si autem, advertens causam in materia civili esse in-
justam, clientem quidem moneat, sed eo id volente, cau-
sam prosequatur, ad nihil tenetur erga clientem in casu
quo causam perdiderit, quia scienti et volenti non fit injuria;
sed omnia damna quæ forte patietur pars adversa, repa-
rare tenetur, titulo cooperationis positivæ.

Ad 2º. In materia 1º civili, advocatus causam dubie
justam, tum actoris tum defensoris, defendere potest,
ut sic veritas melius clarescat. In materia 2º repressiva,
procurator regius dubie reum utique prosequi potest,
ut de allegata infractione constare possit. Advocatus au-
tem defendere potest non tantum dubie reum, sed et
reum de cuius culpabilitate constat, modo tamen utatur
mediis honestis et licitis, seclusis scilicet mendaciis et
fraudibus. Ratio est, quia advocatus, criminis reum de-
fendens, nemini infert injuriam, et præterea ex suo of-
cio, reo patrocinari debet quantum potest.

7. — q. *Circa fidelitatem in causa suscipienda et tractanda, quænam requiruntur?*

r. In causa *suscipienda*. Antequam patrocinium suscipiat, tenetur advocatus causam convenienti diligentia examinare; justitiam vel injustitiam clienti aperire; probabilitatem causam lucrandi vel perdendi indicare: secus enim, clientem ad sumptus inanes impelleret, quas ipse resarcire teneretur.

In causa *tractanda*. Eam tractare tenetur tempore et modo debito.

Dico 1º *tempore debito*. Unde contra justitiam peccat erga clientem si, absque sufficiente ratione, causam primo acceptatam primo loco non procuret; si causam indebet protrahat, vel dilationes inutiles obtineat.

Dico 2º *modo debito*, i. e. mediis justis. Unde, si adhibeat media injusta, tum erga clientem, tum erga partem adversam, potest ad restitutionem teneri, scilicet:

Tum erga clientem, si v. g. fundamenta seu secreta causæ suæ detegat parti adversæ; aut si utrique causæ simul serviat.

Tum erga partem adversam; quod locum habere potest in duobus casibus: 1º si utatur *mendacio*, v. g. proferendo falsos testes, falsas scripturas, leges tum falsas tum usu abrogatas tum in falsum sensum detorsas, imponendo parti adversæ crimina vel vitia falsa. 2º Si utatur *fraudibus injustis*, etsi absque mendaciis, quibus provocet sententiam injustam. Secus tamen, si, in causa evidenter justa, adversarium decipiat fraudibus non injustis, in quo casu non ipse decipit, sed sinit adversarium se decipere; tunc, licet peccare possit ratione injuriæ illatae in rem publicam, ordinem judicii pervertendo, non peccat contra adversarium, qui re ipsa injuste non fuit læsus.

8. — q. *Circa pretium, quænam observanda veniunt?*

r. Advocatus accipere non potest nisi pretium justum,

i. e. sive lege taxatum, sive judicio prudentum determinandum, habita ratione negotii, advocati peritiæ, laboris impensi et consuetudinis.

Gratuito patrocinari tenetur, juxta leges charitatis, N° 89 *De Charitate*, pauperibus versantibus 1º in extrema necessitate, eliam cum gravi suo incommodo; 2º in gravi vel communi necessitate, non tamen cum gravi suo incommodo; unde sufficit ut aliquid ex superfluis temporis vel divitiarum eis largiatur.

Si cliens, postquam de pretio conventum est, inceptam causam deserat, potest advocatus, non secus ac locans operam suam, totum pretium exigere, si per ipsum non stet quominus litem prosequatur; nisi tamen justa interveniat causa litem deserendi, cum haec conditio semper in conventione subintelligatur.

§ IV.

De testibus.

De testibus tria inquiruntur: 1º quinam testificari teneantur, 2º quomodo testificandum sit, 3º ad quid teneatur qui falsum testificatus est.

9. — Q. *Quinam testificari tenentur?*

R. 1º Nemo sponte se ad testificandum offerre tenetur; nisi per accidens, ex charitate, si testimonio suo possit avertere grave proximi vel reipublicæ damnum.

2º Omnis testis qui a legibus non eximitur et qui legitime citatur, testificari tenetur, sub gravi, ex præcepto judicis, cui per se obtemperandum est. Hinc 1º nullatenus peccat per se, qui se abscondit ne a judice citetur, quia præcepto superioris non est obediendum antequam imponatur. 2º Peccat per se graviter contra obedientiam ille qui, post citationem, fugit ne testetur; non vero

contra justitiam, quia citatio obligationem obedientiae, non autem justitiae, imponit.

10. — Q. Quomodo testificandum est?

r. Testis, legitimate citatus, qui coram judice se sistit, tenetur 1º emittere juramentum jure praescriptum dicendi totam veritatem et nihil praeter veritatem; 2º dicere totam veritatem quoties legitimate interrogatur et non adest ratio sufficiens veritatem celandi.

Q. Quandonam testis veritatem celare potest?

r. Id potest in sequentibus casibus:

1º Si rem acceperit sub solo secreto confessionis, ut patet;

2º Si rem noverit sub secreto naturali vel commisso, quia illa secreta per se prevalent praecepto judicis;

3º Si rem acceperit a viris non fide dignis;

4º Si sciat reum, ob ignorantiam vel aliam causam, non peccasse mortaliter;

5º Si grave sibi vel suis damnum ex revelatione adventurum praevideat; nisi tamen immineat damnum commune.

In datis quinque casibus, etsi celet veritatem, non tamen peccat contra juramentum dicendi *totam veritatem*; nam jurasse censemur dicere totam veritatem humano modo possibilem, i. e. nisi obstet sufficiens ratio veritatem celandi.

Extra hos casus, testis qui, legitimate interrogatus, veritatem celat, quin tamen falsum dicat, probabilius non peccat contra justitiam; quia mere negative se habet, nec tenetur veritatem deponere nisi ex praecepto judicis vel etiam ex juramento, et proin eam celando, non peccat nisi contra obedientiam vel religionem.

Nota. Apud nos a testificatione non eximitur testis ex hoc, quod factum dijudicandum ipse solus noscat; nam, juxta legislationem nostram, derogantem juri Romano

sub quo *testis unus testis nullus*, testis unus ad damnationem sufficere potest.

11. — Q. *Ad quid tenetur qui falsum testificatus est?*

R. *Duplex est casus:*

Vel 1º id fecit malitiose: tuncque, cum sit perjurus et justitiae violator in casu quo quis inde detrimentum patiatur, tenetur tum ad falsi juramenti retractationem, tum ad omnium damnorum reparationem, idque cum pari suo damno, etiam cum periculo vitae, si vi falsi testimonii innocens ad mortem fuerit damnatus.

Vel 2º id fecit ex ignorantia invincibili, ex inadvertentia aut oblivione inculpabili, vel etiam ex culpa tantum veniali: tuncque tenetur ex charitate falsum testimonium revocare, et damnum ea qua potest via impedire; modo tamen absque gravi proprio incommodo illud efficere possit, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. Sed non tenetur reparare damnum illatum, quia, falsum asserendo, nullatenus vel leviter tantum peccavit.

§ V.

De reo.

12. — Q. *Quis dicitur reus?*

R. *Reus dicitur ille qui, culpabilis vel inculpabilis, accusatur in judicio, tum civili tum repressivo. Itaque,*

*1º Si reus sit *inculpabilis*, inquiruntur hæc duo:*

Q. An ad sui defensionem revelare potest crimina occulta testium, actoris vel accusatoris?

R. *Affirmative, modo 1º crimen sit verum, 2º revelatio sit absolute necessaria ad suæ innocentiae defensionem, 3º et ipse aliter grave damnum sit passurus.*

Q. An ei licet fugere vel resistere?

R. *Licet quidem fugere, et e manibus satellitum se eripere; sed ei non licet vim vi repellere, occidendo vel*

vulnerando, quia id bono communi nocivum foret, tuncque bonum privatum bono publico cedere debet.

2º Si reus sit *culpabilis*, seu si vere deliquit, inquiruntur sequentia :

Q. *An veritatem fateri tenetur, si a judice interrogetur non legitime?*

R. *Negative*, quia tunc judex non habet jus eum interrogandi aut obligationem ei imponendi; et proin reus potest judicem eludere, tum ambiguis verbis, tum negando, cum tali restrictione mentali ut mendacium absit.

Q. *Quandonam non legitime interrogare censetur judex?*

R. Id locum habere potest in casibus sequentibus :

1º Si non sit judex rei legitimus;

2º Si formam judicialem non observet, v. g. interrogando absque prævia accusatione;

3º Si non habeatur saltem semi-plena delicti probatio, cum tunc delictum censeatur occultum: in jure enim, crimen occultum seu quod sufficienter probari nequit, assimilatur criminis falso seu calumniae.

Q. *An igitur reus, legitime interrogatus, crimen a se vere commissum fateri tenetur?*

R. *Affirmative* per se et generatim loquendo; quia judex, cum interrogat legitime seu juridice, jus habet veritatem petendi ac sciendi, et consequenter reus jus non habet eam negandi.

Dico 1º *per se*: nam Bouvier, cum Lig. et aliis, probabiliter *Negat* in casu quo agatur de vitanda poena gravissima, v. g. mortis, triremium, perpetui carceris, amissionis notabilium bonorum vel famæ vel honoris: durior enim esset lex qua aliquis teneretur sub peccato seipsum ad talem poenam damnare, crimen suum confitendo, nisi per accidens id exigeret bonum publicum.

Dico 2º *generatim loquendo*: nam in praesenti rerum statu apud nos et in Gallia vigenti, non amplius adesse videtur obligatio crimen suum fatendi. Etenim reus non

amplius adstringitur, ut olim, ad præstandum juramentum; et, ex alia parte, interrogatur, non quidem ut ex confessionibus judicetur, bene vero ut in contradictionem injiciatur et judices vel jurati convictionem obtineant. Ex quo sequitur, reum qui mentitur, non peccare graviter: non enim contra religionem, cum non juret; nec contra obligationem veritatem fatendi, siquidem id ab ipso nec exigatur nec postuletur.

Q. *An positive resistere potest executoribus pœnæ justæ?*

R. *Negative*, quia sententia, cum sit justa, reum ad obediendum obligat.

Q. *An ei quandoque licet e carcere fugere?*

R. 1º Id certo licet si non fuerit ad carcerem damnatus. Etsi non damnatus ad carcerem, potest nihilominus duplice de causa in carcere retineri, scilicet vel quia judicis sententia in eum nondum lata est (*par détention préventive*); vel quia jam lata sententia eum damnavit ad pœnam gravissimam aliam quam pœnam carceris, quæ pœna, v. g. mortis, non illico executioni mandanda est: in duplice hoc intervallo ei e carcere fugere licet.

2º Si fuerit ad *pœnam carceris damnatus*, probabilius *per se* non potest e carcere fugere, quia sententiæ justæ obediare tenetur.

Dico *per se*: nam per accidens, juxta plures, fugere licet si in carcere durissime tractetur: quia videtur supra vires humanas aliquem obligari ad se non liberandum a pœna gravissima, quando id sine vi et positiva resistantia peragere valet.

Nota. In datis casibus in quibus licitum est reo e carcere fugere, 1º id regulariter adhuc licet, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit, quia utitur reus jure suo et nemini facit injuriam; nisi tamen charitas aliud suadeat ob damnum custodis præponderans. Attamen 2º nunquam fas est carceris custodem corrumpere pecuniis, ut ille ad fugam juvet. 3º Alii vero qui

non sunt ministri justitiae, reum ad fugam juvare possunt consiliis, suppeditatis instrumentis, etc., nisi fuga rei esset perniciosa reipublicæ.

§ VI.

De apparitoribus.

15. — q. *Quis dicitur apparitor?*

r. *Apparitor (l'huissier)* est ille justitiae minister qui tum defert vadimonia seu citationes (*les citations*) et mandata justitiae; tum perficit executiones a judice decretas.

q. *Quibusnam qualitatibus gaudere debet?*

r. Præcipuae ejus qualitates sunt sequentes:

1º *Scientia* sufficiens de omnibus quæ munus suum spectant.

2º *Benignitas* in fungendo munere, ut ejus rigorem et asperitatem temperet in quantum fieri potest, et a vexatione abstineat.

3º *Fidelitas* in exequendis omnibus quæ a judice mandantur. Unde contra justitiam peccat, 1º si formalitates necessarias in actis omittat; 2º si in actis falsum enuntiet, v. g. dies falso adscriptos (*fausses dates*), vel facta falsa; 3º si tempore præscripto acta juridica sibi commissa non conficiat.

4º *Integritas* talis ut nunquam alicui muneris sui parti desit ob personarum acceptionem vel ob spem lucri.

Dico *ob personarum acceptionem*. Unde contra justitiam peccat si, protrahendo vel negligendo facere significaciones sententiarum, in causa sit cur creditor solutionem accipere non possit; vel si faveat quibusdam debitoribus solidariis, ut eos in executionibus non comprehendat.

Dico *ob spem lucri*. Unde peccat, si asperius agat, ut aliquod munus extorqueat; si, in bonis privatorum capiendis et vendendis, judicis aut legis mandatum exce-

dat; si in venditione rerum non servet justum pretium, vel pretii partem sibi retineat.

Q. Quomodo peccare potest quoad sibi solvendum pretium?

R. Quoad pretium pro munere suo a cliente solvendum, peccare potest contra justitiam, 1º si titulo donationis quidquam accipiat ultra taxam a lege determinatam, nisi tamen concedatur ob laborem extraordinarium et indebitum; 2º ex jure Gallico, si diversa vadimonia deferens in uno eodemque itinere, pro singulo vadimonio salarium completum exigat; nam in hoc casu, pro singula citatione minus exigendum est.

§ VII.

De notariis.

14. — *Q. Quis dicitur notarius?*

R. *Notarius* seu *tabellio* est ille qui auctoritate legitima constituitur ad scribenda acta seu instrumenta publica quae, sive in judicio sive extra judicium, fidem faciant.

Cum notarius negotia et contractus cuiusvis generis pertractare debeat, et cum ex ejus culpa summa mala pro societate et damna pro partibus sequi possint, ideo gaudere debet magna scientia, perspicacitate, prudentia, fidelitate et probitate.

Q. Da quosdam casus in quibus notarius peccare potest.

R. Multi sunt casus in quibus notarius, sive ex ignorantia vel negligentia culpabili, sive a fortiori ex malitia, peccare potest contra justitiam; inter quos indicare sufficiat sequentes:

1º Si in conficiendis instrumentis prætermittat vel male adhibeat solemnitates necessarias, idoneos testes, subscriptiones, indicationem diei et anni; vel si operetur extra territorium suum;

2º Si in instrumento apponat falsa, v. g. falsas summas;

5º Si in instrumentis jam confectis seu in protocollo (*la minute*) immutationes apponat;

4º Si instrumenta male custodiat aut perdat;

5º Si negligat invigilare in ministros; unde periculum errorum, pro quibus notarius respondere tenetur;

6º Si pretium ultra taxam consuetam exigat.

q. An ad restitutionem erga fiscum tenetur notarius si, in confiendo inventario, non verum rei pretium inscribat sed aliud minus, ut tributum solvendum imminuat?

r. Controvertitur. Sed sententia *Negativa* videtur probabilior. Ratio est, quia ille non constituitur ut praepositus ad vectigalia exigenda, sed ad instrumenta confienda; et quia, ex consuetudine generali, etiam proborum, non solet totum declarari pretium, sed tantum paulo ultra medianam pretii partem vel circiter duæ tertiae partes (*les deux tiers de la valeur*).

Articulus II.

DE OFFICIIS MEDICALIBUS.

15. — q. Quisnam dicitur medicus, vel chirurgicus, vel pharmacopola?

r. *Medicus* est ille qui exercet medicinam, i. e. artem noscendi morbos, eis medendi, atque sanitatem conservandi.

Chirurgus est ille qui exercet illam medicinæ partem quæ vocatur chirurgia, i. e. artem quæ docet modum efficiendi in corpore ægroto varias operationes manuales, v. g. incisiones aliasque tractationes in ordine ad curationem.

Pharmacopola est ille qui exercet pharmaciam, i. e. artem componendi ac præparandi pharmaca seu remedia.

q. Quænam in medico aut chirurgo requiruntur ut munere suo rite fungantur?

r. In medico aut chirurgo requiruntur quatuor sequentia:

1º Scientia aut peritia sufficiens ad munus suum rite exercendum.

2º Diligentia proportionata gravitati rei quæ ipsius curæ committitur.

3º Prudentia necessaria in usu remediorum.

4º Cura circa bona animæ et fortunæ sui clientis.

Q. In quonam consistit 5^m requisitum seu prudentia in usu remediorum?

Prænota. Triplicis generis distingui possunt remedia seu medicamenta: alia sunt *certa*, alia *probabilita*, alia *dubia*: i. e. certo vel probabiliter vel dubie profutura. *Dubia* in duplēm classem subdividi possunt, nempe tum illa quæ simul sunt dubie profutura et certo non noxia; tum illa quæ sunt utrinque dubia, i. e. de quibus dubium est an sint profutura an vero obfutura.

En jam regulæ in usu hujusmodi remediorum sequendæ ut servetur dicta prudentia:

R. 1^a *Regula.* Si adsit remedium *certum*, illud *per se* adhibendum est, relictis remediis tantum probabilibus, quia periculum ægroti ex simplici probabilitate removeri non potest. Dico *per se*: quia non semper ac necessario adhibenda sunt certa illa remedia quæ, relative ad ægroti fortunam, forent extraordinaria ac nimium pretiosa, quæ proin ille solvere omnino non valeat.

2^a *Regula.* Deficiente remedio certo, si adsit remedium *probabile*, illud regulariter adhibendum est, seu adhibendum est remedium probabilius, relicto remedio minus probabili vel dubio; quia sic meliori quo fieri potest modo, curationi infirmi prospicitur.

3^a *Regula.* Deficiente remedio certo aut probabili, si adsit tantum remedium *dubium*, distinguendum est juxta modo dicta:

1º Si adsit remedium quod sit *dubie* quidem *profuturum*, sed *certo non noxiū*, illud adhibendum est;

quia sic meliori quo fieri potest modo, prospicitur infirmo, cum spes effulgeat et nullum periculum incurratur.

2º Si tantum adsit remedium *utrinque dubium*, i. e. dubium an sit profuturum an obfuturum, illud adhiberi ordinarie non potest, sed expectandum est ut natura, Deo auxiliante, seipsam adjuvet. Nec illud adhibere licet ad experimentum pro aliis infirmis faciendum, etiamsi de statu infirmi desperetur; quia illicitum est experimentum querere in vita infirmi (experimentum in anima vili, ut quandoque nefarie asserunt), i. e. cum periculo mortis vel ejus accelerationis.

16. — q. *Da præcipuos modos in quibus peccant contra justitiam.*

n. Multimode contra justitiam peccare potest medicus vel chirurgus, si quatuor requisitis, N° 45 datis, culpabiliter desit. Id autem præcipue locum habet in sequentibus casibus:

1º Contra *scientiam* aut *peritiam*: si, occurrente gravi morbo, absque sufficienti scientia aut peritia curam accipiat; vel si, occurrente gravi morbo insolito, speciale studium aut operam non impendat; si in hujusmodi morbis alios medicos advocari non sinat; vel si, alios vocando, ad amicitiam potius quam ad peritiam attendat; vel si, contra suam conscientiam, eorum consiliis adhæreat.

2º Contra *diligentiam*: si agnito ægroti periculo, opportune non adsit, eum diu noctuque invisendo si opus sit, et si omnia media apta contra morbum non adhibeat; si tempore pestis ægrotos deserat, quin alii adsint medici numero sufficiens: nam bonum privatum cedere debet bono communi, ad quod ex officio constituitur medicus.

3º Contra *prudentiam*: si ordinem remediorum supra datum non servet; si, non bene perspecta morbi natura, temere adhibeat remedia periculosa, præsertim cum dis-

crimine vitæ vel gravis læsionis, vel si ita agat explorandi gratia.

4º Contra curam circa bona animæ vel fortunæ sui clientis, scilicet :

Circa bona *animæ*: si ægroto suadeat aliquid prohibitum, v. g. pollutionem, vel violationem abstinentiæ aut jejuniæ absque ulla necessitate, vel si abortum aut media illud procurandi nefarie inculcat aut ipse exequatur; si tempestive non moneat, per seipsum vel per alium, infirmum de morbi periculo et de necessitate exeuntium sacramenta suscipiendi.

Circa bona *fortunæ*: si, ad favendum pharmacopolis amicis vel proprio lucro, pharmaca inutilia aut superflua præscribat; si curationem protrahat lucri causa; si visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; si pretium nimium exigat; si ministerium suum gratuito non præstet pauperibus in necessitate extrema vel gravi vel communi, juxta ea quæ supra, N° 8, de advocatis dicta sunt.

Nota cum Gury. Pharmacopœ, si pauca excipias, peccant sæpe eodem modo ac medici, in casibus supra expositis; præsertim vero pharmaca vetusta adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad fœtum ejiciendum media subministrando, mandata medici non fideliter exequendo, v. g. unum medicamentum pro alio porrigendo, etc.

CAPUT II.

DE STATU CLERICORUM.

Clerici generaliter dicuntur illi omnes qui saltem pri-mæ tonsuræ sunt initiati.

Clericorum obligationes aliæ sunt communes, et aliæ particulares; de quibus duplii articulo agendum est. Ad-dimus appendicem de clericorum privilegiis et beneficiis.

Articulus I.

DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS.

17. — q. *Quænam sunt clericorum obligationes communes?*

r. Aliæ sunt *positivæ*, i. e. ea omnia quæ clericis agenda præcipiuntur; aliaæ sunt *negativæ*, i. e. ea quæ ipsis prohibentur.

Inter obligationes *positivas*, præcipuae sunt 1º vitæ sanctitas, 2º habitus ecclesiasticus et tonsura, 3º iis qui in majoribus sunt ordinibus, horæ canonicæ et generatim cœlibatus.

Per obligationes *negativas*, præsertim prohibetur 1º exercere artem medicam vel chirurgicam, erga personas utriusque sexus, excepta necessitatis causa; quod exercitium erga feminas in diœcesi Brugensi prohibetur sub gravi; 2º assistere cruenti supplicio morti damnatorum; 5º ingredi tabernas ad potandum, edendum vel ludendum, excepta peregrinationis causa; qui ingressus in diœcesi Brugensi prohibetur sub gravi; 4º clamose venari vel pisari; 5º cohabitare cum ancillis vel aliis feminis requisitas dotes non habentibus; 6º negotiari.

Has et cæteras obligationes, tum positivas tum negativas, quisque clericus videat in jure canonico et præsertim in statutis suæ diœceseos propriis. De *Horis canoniceis*, vide tractatum *De Primo Decalogi Praecepto*. Hic autem per pauca dicimus 1º de cœlibatu ecclesiastico, 2º de negotiatione.

§ I.

De cœlibatu ecclesiastico.

18. — q. *Quinam clerici ad cœlibatum tenentur?*

r. Clerici omnes, sacros ordines suscipientes, ipso facto obligationem cœlibatus contrahunt, *saltem in Ecclesia Latina*.

Dico 1º *sacros* ordines, quales non reputantur ordines minores. Cum autem subdiaconatus inter ordines minores diu fuerit computatus et apud Græcos adhuc computetur, hinc est quod subdiaconi in primis Ecclesiæ sacerulis ad cœlibatum non adstringerentur, nec jam apud Græcos adstringantur; bene vero apud Latinos, cum ibi inter ordines sacros a longo tempore annumeretur. Igitur apud Græcos præceptum castitatis clericis non conjugatis imponitur tantum in susceptione diaconatus.

Dico 2º *in Ecclesia Latina*, seu *occidentali*: nam aliqua datur exceptio seu Ecclesiæ tolerantia in Ecclesia Græca seu orientali catholica: ibi enim sacerdotes et diaconi, licet regulariter matrimonium inire non valeant post suam ordinationem, si tamen ante diaconatum fuerint conjugati, possunt ad ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum suis uxoribus versari, non vero episcopi, qui stricte ad cœlibatum tenentur.

19. — q. *Undenam oritur obligatio cœlibatus?*

r. Disputatur. Sed juxta sententiam quam Lig. vocat probabiliorem et communiorem, non est de jure divino, nec de jure ecclesiastico, scilicet ex præcepto apostolorum vel Ecclesiæ; sed oritur ex voto ordini sacro auctoritate Ecclesiæ annexo, quod necessario emittit quicumque ordinem voluntarie suscipit.

Hinc sequitur quod Ecclesia ab illa obligatione dispensare valet. Sed nunquam dispensat *ut matrimonium inire possint*, ait Gury, nisi ea lege ut ab officiis clericalibus omnino arceantur. Sic Pius VII convalidavit matrimonia sacrilega nonnullorum sacerdotum qui, tempore perturbationis Gallicæ, nuptias inierant.

Nota. Vir potest, vivente uxore, ad sacros ordines promoveri, modo id fiat de uxoris licentia expressa et omnino spontanea, et ipsa castitatem voveat. Probabiliter autem sufficit ut illa in sæculo emittat volum castitatis; contra

plures, dicentes illam teneri ingredi religionem (quod tamen communiter admittitur si vir fiat religiosus; controvertitur vero in casu quo fiat episcopus), vel saltem sub castitatis voto habitare in monasterio, præsertim si sit juvenis.

§ II.

De negotiatione.

20. — q. *Quibusnam prohibetur negotiatio?*

r. Quum negotiatio proprie dicta obnoxia sit multorum peccatorum periculo, et sit valde distractiva ac indecens statui clericali, juxta: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, ideo jure canonico prohibetur tum clericis constitutis in sacris, tum beneficiatis, tum religiosis negotiari, non tantum per seipso, sed etiam per alios.

Ita autem inhibetur ut, *per se*, graviter peccent (et ante constitutionem *Apostolicae Sedis* Pii IX, suspensionem et excommunicationem, ferendæ sententiæ, incurrent), si negotiationem *notabiliter* exerceant.

Dico 1º *per se*: nam secus est, probabilius juxta Lig., per accidens, si negotientur pro sua vel suorum necessaria sustentatione, i. e. si, aliter, hi cum sua familia commode sustentari nequeant.

Dico 2º *notabiliter*: unde, tantum venialiter peccant, ait Scavini, qui bis vel ter in materia levi, vel semel in materia gravi negotiantur, quia jus canonicum negotiandi *habitum* indicare videtur.

21. — q. *Quid est negotiatio proprie dicta, jure canonico prohibita?*

r. Negotiatio *proprie dicta* seu *lucrativa* locum habet, ait Neyraguet, cum quis rem sibi comparat eo animo ut, eam integrum et non mutatum in melius, carius vendendo vel permutoando, lucrum faciat.

Igitur, ad negotiationem proprie dictam seu lucrativam quæ jure canonico prohibetur, requiruntur duæ præcipue conditiones:

1º Requiritur animus *vilius emendi ut vendatur carius*; quare, teste Liguorio, non est negotiatio proprie dicta, si quis *vendat carius* eo animo *ut emat vilius*; quod a fortiori verum est in casibus statim dandis ubi similis operatio ad negotiationem *œconomicam* reducitur.

2º Requiritur animus vendendi eamdem rem *non mutatam in melius*; nam non est negotiatio proprie dicta, si quis *carius vendat eamdem rem sua propria industria in melius mutatam*, cum tunc illa negotiatio reducatur ad negotiationem *industrialem*.

Ergo jure canonico non prohibetur negotiatio sive *œconomica* sive *industrialis*.

22. — q. *Quid est negotiatio œconomica?*

r. *OEconomica* negotiatio est illa qua emuntur necessaria ad sustentationem, et ex illis postea venduntur. Eam enim prudentia et necessitas suggerit; et, si quid inde lucretur clericus, per accidens evenit.

Hinc clero non est vetitum 1º res emere animo illis utendi, et postea, si pretium crescat, eas vendere ut res similes *vilius emat*; 2º emere res plures pro securitate suæ provisionis, et quod superest postea *carius vendere*, quia emitur ne provisio deficiat; 3º res omni-genas emere parvo pretio dum adest copia, cum animo eas, ingruente annonæ caritate, eodem pretio vendendi propinquis, amicis, pauperibus.

23. — q. *Quid est negotiatio industrialis?*

r. *Industrialis* seu *artificialis* negotiatio est illa qua res emitur, ut per industriam mulata vendatur; sic enim agere, ait Thomas, non est proprie negotiari, sed præmium laboris accipere.

Hinc, 1º clero non est vetitum emere colores, ut vendat picturas à se confectas; emere lignum, ut vendat statuas a se sculptas; emere lanas, ut vendat panum a se textum; secus vero si, ad talia conficienda, ducat operarios; 2º non peccat, qui vendit fructus quos e propriis agris, a se vel ab aliis cultis, percipit; 3º qui emit animalia, ut ea, in propriis prædiis saginata, vendat; secus vero, si in alienis septis saginentur.

Nota cum De Brabandere. Clericis prohibetur 1º emere in foro argentario titulos (*des actions, obligations*) cum intentione eos ibidem carius divendendi (*jouer à la bourse*); prohibetur 2º mutuam recipere pecuniam cum obligatione quotannis fructum fixum (*l'intérêt*) solvendi, eamdemque collocare apud mercatorem, vel camporem, vel cum ea emere actiones aut obligationes, ut ex illa pecuniae negotiatione majores quotannis fructus percipere valeant. 3º Utrum vero clericis liceat cum propria pecunia emere et retinere actiones et obligationes societatum commercialium et industrialium, doctoribus decidendum relinquisimus.

Articulus II.

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS.

Per pauca dicimus, cum Gury, 1º de episcopis, 2º de canoniciis, 3º de parochis.

§ I.

De episcopis.

24. — q. *Quænam sunt episcoporum præcipuae obligationes?*

r. Episcoporum obligationes, præter eas quibus in die consecrationis juramento se adstringunt, reducuntur ad quatuor sequentes, ad quas jure divino tenentur:

1º Ad *residentiam*. Attamen, ait Gury, per Tridentinum permittitur ut, singulis annis, duobus vel tribus mensibus, sive continue sive diversis vicibus, absint ex honesta causa et sine ullo gregis detrimento; imo et ultra hoc temporis spatium, pro ratione causæ, v. g. ob charitatem christianam, necessitatem urgentem, obedientiam Papæ eos Romam vocanti, vel ob bonum evidens Ecclesiæ, etc.

2º Ad *predicationem*, instituendam tum per seipsos, tum per alios si fuerint legitime impediti.

3º Ad *orationem* pro grege instituendam, et ad missæ sacrificium pro eo offerendum omnibus diebus quibus et parochi pro grege celebrare tenentur.

4º Ad *visitationem episcopalem*, quotannis instituendam sive in tota diœcesi, sive saltem in notabili parte si diœcesis sit major.

§ II.

De canoniciis.

25. — *Canonici*, sic dicti ex eo quod olim communī *canoni* seu regulæ subjiciebantur, constituunt generale consilium episcopi, et variis adstringuntur obligationibus.

Canonici constituuntur, imprimis ubi habetur sedes episcopalis seu ecclesia cathedralis. Templa quæ aliquando, præter cathedram, collegium habent canonicorum, *collegiata* appellantur.

Canonici sunt, alii *regulares*, qui sub præposito communem vitam adstrictam agunt, et hi nunc pauciores inveniuntur; alii vero *sæculares*, qui seorsim vivunt ex beneficiis vel pensionibus ecclesiasticis, et institutum canonicum servant quoad varia munia in ecclesia obeunda.

26. — q. *Quænam sunt canonicorum præcipue obligations?*

n. Reducuntur ad sequentes:

1º Ad *residentiam*; ita ut quotannis ultra tres menses abesse non possint absque licentia episcopi.

2º Ad *officium divinum* in choro canendum vel psalendum.

3º Ad *missam conventualem* quotidie canendam.

4º Ad *assistantiam episcopi*, id est 1º ad assistendum episcopo solemniter, non vero privatim, celebranti; 2º ad consilium dandum episcopo id postulanti. Episcopus autem, ut possit leges condere vel promulgare, debet, nisi adsit consuetudo contraria, canonicorum capitulum consultare; sed eorum sententiam sequi non tenetur.

5º Ad quædam munera, sede vacante, scilicet :

Capitulum, sede vacante, succedit episcopo in jurisdictionem ordinariam, non vero in delegatam a summo Pontifice.

Capitulum tenetur, intra octo dies, eligere vicarium capitularem, vel existentem confirmare. In Gallia, ait Gury, mos est ut elegantur plures vicarii capitulares; quæ consuetudo Romæ implicitè saltem approbata videtur. Verum, congregatio sacri concilii nuper, die 4^a septembribus anni 1871, omne dubium e medio abstulit per decre-
tum quo declarat 1º quod, juxta concilium Tridentinum, capitulum non nisi unum vicarium capitularem eligere queat, quemadmodum tantum unus est episcopus; 2º quod ille vicarius capitularis sibi adjungere possit unum vel plures provicarios sub ipsius auctoritate et nutu laborantes ac adjuvantes.

Per hanc electionem, regulariter factam, capitulum transmittit vicario capitulari totam qua gaudebat jurisdictionem ordinariam, ita ut hic omnia facere possit quæ ad præsentem diœcesis gubernationem requiruntur; iis exceptis quæ a jure canonico specialiter prohibentur,

v. g. aliquid innovare, jura episcopalia imminuere, indulgentias concedere, titulos inamovibiles conferre, etc. Hæc potestas perdurat usquedum episcopus electus et a Papa institutus, litteras suæ institutionis capitulo ostenderit, et sic possessionem adeptus fuerit.

§ III.

De parochis.

27. — Parochus, ait Gury, semel canonice constitutus, ordinaria gaudet jurisdictione in populum sibi demandatum; et, sine nova approbatione episcopi, jus habet ad omnia munia parochialia obeunda. Nullus ergo clericus, dempto episcopo et ejus vicario generali, sacris quibuslibet fungi in ejus ecclesia aut parochia sine ipsius consensu expresso vel rationabiliter præsumpto, ulla ratione licite potest.

Q. *Quænam sunt parochorum præcipuae obligationes?*

R. Parochi, jure divino, tenentur præcipue ad sequentia: 1º ad residentiam, 2º ad prædicationem, 3º ad orationem, 4º ad visitationem, quemadmodum et de episcopis dictum est, 5º ad sacramentorum administrationem, 6º ad correctionem.

1º Ad *residentiam*. Ad determinandum quanto temporis spatio abesse liceat, quisquis videat statuta diœcesis suæ propria. Juxta statuta diœcesis Brugensis, parochi, quemadmodum et cæteri Ecclesiæ ministri inferiores, indigent licentia sui decani ad absentiam ultra quatuor dies, computatis diebus exitus et redditus; et licentia episcopi ad absentiam ultra hebdomadam. At, in omni casu absentiae, semper sufficienter administrationi parochiæ per alium providendum est.

2º Ad *prædicationem* audientium captui accommodatam; ad quod non sufficit pia lectio, cum lectio non sit prædicatio. Unde, qui aliter facere non valet, ait Gury,

tenetur vel identidem prædicare per alium, vel epis copum de impedimento commonefacere. Graviter ergo peccant parochi qui, absque justa causa, a prædicatione abstinent per tempus *notabile*, i. e., juxta multos, per unum mensem integrum et continuum, vel per tres menses non continuos in anno divisos; contradicente Balle rini, qui asserit quod Tridentini verba spectare videntur ad tres menses continuos potius quam ad tres menses interruptos.

3º Ad *orationem* pro grege instituendam; ad sacrificium pro grege celebrandum, ut supra episcopi; et ad orationem subditos docendam, sive per se sive per alios.

4º Ad *visitationem* parochiæ et præcipue infirmorum; de qua obligatione vide statuta dicecesana.

5º Ad sacramentorum *administrationem*; de qua re vide tractatum *De Sacramentis in genere*.

6º Ad *correctionem* subditorum qui in peccato mortali vel in mortalis periculo versantur, modo spes aliqua emendationis effulgere videatur; ad hanc autem, juxta Gury, tenentur sub gravi, etiam cum periculo vitæ, et probabilius ex justitia.

APPENDIX I.

DE SUCCURSALISTIS MODERNIS.

Licet præsens quæstio proprie ad jus canonicum potius quam ad theologiam pertineat, nobis tamen liceat eam hac appendice comprehendere. Præcipua quæ desuper tradimus, compendiose desumuntur ex præelectionibus juris canonici a R. D. Feye in universitate Lovaniensi.

28. — Succursalistæ *hodierni*, i. e. vi concordatus anni 1801 cum gubernio Gallico instituti, differunt a ceteris succursalistis, juri hujus concordatus non subjectis.

Generatim dicere licet hos posteriores esse quidem veros ecclesiæ cujusdam rectores, sed *curam suam exercentes sub dependentia alterius parochi principalis*; dum succursalitæ moderni, licet quoque considerandi sint ut veri ecclesiæ cujusdam rectores seu parochi, sunt tamen *in exercenda sua cura ab altero parochio independentes, sed amovibiles ad nutum episcopi*. Itaque,

1º Ante concordatum 1801, et etiamnum in regionibus huic non subjectis, de jure et ex auctorum doctrina, ecclesia *succursalis*, ait cardinalis De Luca, est ecclesia filialis, i. e. adjutrix seu membrum alicujus parochiæ, erecta pro commodiore curæ exercitio ac sacramentorum administratione; ita ut cura et jus parochiale ecclesiæ succursalis pertineant ad ecclesiam *matricem* a qua succursalis dependet, et ut hæc ecclesia matrix sola dicatur ecclesia *parochialis*. Unde, rector qui munus suum in ecclesia succursali exercet, habendus est ut *vicarius* ecclesiæ matris; et sic, officium suum exercet, non proprio sed alieno nomine.

2º Post concordatum, in Gallia et regionibus eidem concordato subjectis, ubi nova facta est dioecesum circumscriptio, titulus *succursalistæ* est titulus officii ecclesiastici, ait Lequeux, conferens facultatem regendi populum certi territorii, ordinarie quidem exercendam nomine proprio seu sine ulla dependentia a rectore principali, sed revocabilem ad nutum episcopi.

Hi succursalistæ quandoque vocantur *deservitores*. Sed hoc *deservitorum* nomine potius vocantur ii qui vacantem ecclesiam ad tempus administrant. Succursalistas autem hodiernos nomine *deservitorum* vocari, adscriendum videtur administrationi eorum temporali seu ad nutum episcopi revocabili.

Jam vero, antequam probemus succursalistas hodiernos 1º esse veros pastores, 2º tamen non inamovibles seu non gaudere jure quod est beneficio aut soli

officio parochiali annexum, opportune tradimus historiam erectionis novarum succursalium.

1^o Historia erectionis novarum succursalium.

29. — In *constitutione civili* anni 1790, statuebatur novam esse faciendam circumscriptionem omnium parochiarum, per quam quidem earum numerus valde erat minuendus, erectis tamen pluribus succursalibus ecclesiis, quibus præficiendi erant rectores tamquam parochorum vicarii.

Hæc gubernii dispositio, quæ sane erat illegitima, postea partim legitimata fuit per concordatum anni 1801, quod ferebat: « Episcopi, in sua quiske diœcesi, novas parochias circumscribent; quæ circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit. »

Jam videamus quid, ad executioni mandandum hunc concordati articulum fundamentalem, factum fuerit 1^o a gubernio, 2^o ab auctoritate ecclesiastica. Itaque :

30. — Gubernium edidit *articulos organicos*; quorum ad rem nostram pertinent præcipue sequentes :

Art. 60. Il y aura au moins une paroisse par justice de paix.

Il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger.

Art. 61. Chaque évèque, de concert avec le préfet, règlera le nombre et l'étendue de ces succursales.... avec l'autorisation du gouvernement.

Art. 66. Les curés seront distribués en deux classes.

Le traitement des curés de la 1^{re} classe sera porté à 1,300 francs; celui des curés de la 2^{de} classe, à 1,000 fr.

Art. 68. Les vicaires et desservants seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés... Le montant de ces

pensions et le fruit des oblations formeront leur traitement.

Art. 50. Les curés seront immédiatement soumis aux évêques dans l'exercice de leurs fonctions.

Art. 51. Les vicaires et desservants exercent leur ministère sous la surveillance et la direction des curés.

Ils seront approuvés par l'évêque, et révocables par lui.

Ex his manifestum est 1° gubernium, in his articulis, voluisse succursalistas fore ut olim existebant, quod liquet ex art. 51; 2° rationem cur ita voluerit, fuisse pecuniam: nempe ne, si constituerentur tamquam parochi, dotem ipsis ut parochis largiri deberet, vi art. 14 concordatus. Idcirco, ita restringere voluit numerum parochiarum, art. 60, et inter ipsos etiam parochos distinctionem facere, art. 66.

51. — Videamus jam, ex altera parte, quid fecerit auctoritas ecclesiastica.

S. Sedes reclamavit contra *articulos organicos*; non tamen contra hic supra citatos, excepto art. 61, de quo Caprara 1805 sic: « Il n'est pas moins affligeant de voir les évêques obligés de se concerter avec les préfets pour l'érection des succursales. Eux seuls doivent être juges des besoins spirituels des fidèles. Il est impossible qu'un travail ainsi combiné de deux hommes trop souvent divisés de principes, offre un résultat heureux. Les projets de l'évêque seront contrariés; et, par contre-coup, le bien des fidèles en souffrira. »

Insuper, conditio in qua succursalistæ a parte gubernii ita fuerunt constituti, mutationem subiit. Archiepiscopus Parisiensis, et post ipsum Galliæ episcopi fere omnes, dum succursalistas constituerunt, ulrumque membrum articuli organici 51 non servaverunt. Servarunt quidem secundum membrum, quo succursalistæ erant *moviles ad nutum*

episcopi; non vero primum, quo ponebantur sub inspectione et directione seu regimine parochorum.

Hanc tamen mutationem seu restrictionem non fecerunt contra voluntatem gubernii. Nam archiepiscopus Parisiensis nihil aggrediebatur nisi consulto gubernio, cui gratis simus erat; ex quo factum est ut hoc jus inspectionis et visitationis in desuetudinem brevi abierit. Finaliter gubernium, variis decretis anno 1804 latis, huic rerum ordini annuit. Quapropter asserit Prompsault: « Le clergé ne voulut point reconnaître ce système d'organisation (celui des deux membres de l'article 51 précité). Le gouvernement consentit, non-seulement à ce que les évêques n'y eussent aucun égard, mais encore à ce qu'ils fissent des règlements contraires..... Aujourd'hui les dessertes sont considérées, même par le gouvernement, comme des paroisses d'un ordre inférieur, complètement indépendantes de la cure. » *Quae omnia facta sunt tempore quo Parisiis degebat cardinalis Caprara, legatus apostolicus.*

2º An hi succursalitæ habendi sint ut veri pastores.

52. — Disputatur. Inter illos qui *Negant*, alii, ut Richaudeau, eis aliam qualitatem non adscribent quam eam quæ articulis organicis consona est; alii, inter quos veniunt auctores *Examinis historici et canonici*, tenere videntur succursalistas habere curam actualem, non vero habitualem: ecclesias enim succursales esse parochias, sed quarum cura habitualis seu titulus est penes episcopum, ita ut succursalitæ potius vicarii forent episcopi. *Affirmant* alii, inter quos Lequeux, Houwen, *Mélanges Théologiques*, etc.; et sententiam suam probant sequentibus præcipue argumentis:

- 1º Ex historia succursalistarum superius tradita.
- 2º Quia omnia adsunt requisita ad verum pastoratum. Etenim ad veram parochiam quatuor vulgo conditions requiruntur: 1º locus certis finibus determinatus; 2º po-

pulus ecclesiae adscriptus; 3º rector certus et unicus; 4º qui habeat potestatem propriam ligandi et solvendi in foro interno.

5º Quia, si non essent parochi, de inamovibilitate non potuisset oriri controversia adeo gravis, de qua hic.

4º Quia episcopi eam ipsis qualitatem insinuant in litteris quibus eos constituunt; idque præsertim in Belgio, ubi succursalistæ, jussu episcopi, a decano mittuntur in realem, actualem et corporalem possessionem ecclesiae suæ; ideoque vere instituuntur tamquam rectores proprii.

Hinc affirmat cardinalis Andrea, Romæ, sacerdotes omnes qui in Gallia vocantur deservitores, nulla restrictione facta, considerari ut parochos.

5º An habendi sint ut amovibiles.

55. — Quoque disputatur. Alii tenent eos esse *inamovibiles*; et præcipue fundantur in hoc, quod inamovibilitas sit jus beneficio vel soli officio pastorali annexum.

Alii vero tenent, cum sententia veriori, eos esse ad nutum episcopi *amovibiles*; et contra adversarios sententiam suam probant modo sequenti:

1º Adversariorum argumento sic respondent: 1º fieri posse ut quis sit vere parochus, quin tamen habeat beneficium; nam quatuor conditiones ad veram parochiam, de quibus supra, № 52, nullam mentionem injiciunt beneficii, sed tantum officii. 2º Quamvis fateamur inamovibilitatem esse de natura officii parochialis, hæc tamen ex speciali titulo abesse potest; et hic, titulus specialis, juxta nos, est *pontificia concessio*, ex quo fit ut ab initio hodierna succursalistarum conditio fuerit legitima.

2º Consensum pontificium adfuisse, probatur ex sequentibus:

Id sequitur ex historia superius tradita: nam publice

ita fecerunt episcopi, cum consensu gubernii, præsente Caprara, et nunquam reclamante Sede apostolica.

Deinde, dato non concesso quod post concordatum consensus pontificius non adfuerit, saltem certum videtur ab anno 1843 eam concessionem adesse, ut liquet ex responso s. Sedis ad episcopum Leodiensem, qui petiit an valeat et obliget disciplina qua episcopi post concordatum jurisdictionem conferrent... ad nutum revocabilem? Resp.... « Pontifex benigne annuit, ut in regimine ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a s. Sede apostolica statutum fuerit. »

Verum quidem est adversarios ex hoc responso concludere pontificium consensum non adfuisse *post concordatum*, quia, aiunt, in hoc responso tantum, in verbis *benigne annuit*, datur hæc concessio, quæ proinde antea non existebat. Et inde concludunt omnia quæ post concordatum facta fuerunt, non fuisse legitime facta, et proin succursalistas, a tempore concordatus usque ad annum 1843, jure inamovibilitatis qua ab episcopis destituebantur, mansisse instructos; et consequenter, actus episcoporum, toto hoc tempore, de facto seu materialiter fuisse iniquos.

Sed talis non videtur esse sensus responsi Romani. Explicatio quæ videtur verior, opportunior et melius omnia concilians, est sequens: profecto, dum illa disciplina, juri parum consentanea, post concordatum ut primum induceretur, opus erat permissu Sedis apostolice. Ex hujus igitur benignitate fuit tunc introducta, et ex hujus benignitate item perdurabat. Perdurasset eodem modo, etiam non interveniente ullo rescripto Romano, quamdiu extitissent rationes propter quas eam disciplinam induci probaverat s. Sedes. Jam vero episcopus Leodiensis propter difficultates quas experiebatur, recurrerat Romam; et rescribitur (quod etiam sine rescripto verum fuisset), eadem benignitate semper Papam (non pro prima vice dispensare, sed)

permittere ut *nulla mutatio fiat*, donec aliter a s. Sede..... Quæ verba *nulla mutatio* satis dicunt agi de re quæ jam antea ex eadem s. Sedis indulgentia facta fuerat. Unde, propter graves rationes politicas eam disciplinam Papa primum approbavit; et jam 1843 propter easdem rationes perdurantes permittit banc perdurare.

Hæc sententia confirmatur auctoritate episcoporum Belgii, qui dictum responsum Romanum in nostro sensu intelligunt, ut videre est in eorum postulato ad concilium Vaticanum anni 1870. Vide infra, ad finem N^o 55, 5^o.

Nota. Finaliter, circa *amovibilitatem* animadvertere juvat sequentia :

Instar regulæ generalis dici potest, esse inamovibiles 1^o illos qui sunt parochi ex *beneficio*, 2^o illos qui sunt parochi ex *officio parochiali*. Sunt autem ita inamovibiles, ut amoveri non possint nisi ex causa canonica, i. e. ex causa quæ est in jure canonico descripta.

Attamen adesse potest titulus specialis vi cuius ab hac regula generali recedatur: i. e. titulus specialis vi cuius tum beneficium, tum a fortiori officium parochiale, jure inamovibilitatis spolientur, quin tamen verus parochus quis esse desinat; talis titulus specialis, in præsenti materia succursalistarum, est *consensus pontificius*.

Unde, si adsit hujusmodi titulus, pastor potest ab episcopo amoveri. Ut tamen amoveatur *licite*, non requiritur causa in jure expressa, sed sufficit causa rationalis, justa, ut constat ex petitione episcopi Leodiensis et responso Romano, atque ex principiis generalibus juris canonici. Ergo, relate ad succursalistas nostros, dicit Braschi: « Omnes amovibiles curati, toties quoties amoveri possunt arbitrio episcopi; sed eos amovere non licet sine causa rationabili et justa...: nam et in hoc habenda est ratio justitiæ, ac amovendorum honori consulendum est. »

Ex his omnibus concludendum est, apud nos jam existere triplicem classem parochorum, scilicet: parochos

primarios seu primæ classis et parochos *secundarios* seu secundæ classis, qui etiamnum inamovibiles sunt quemadmodum olim erant, dein *succursalistas* seu parochos tertiaræ classis, qui ad nutum episcopi sunt amovibiles.

APPENDIX II.

DE CLERICORUM PRIVILEGIIS ET BENEFICIS.

54. — Clerici variis gaudent *privilegiis* jure canonico et civili Romano concessis. Verum in Belgio, in Gallia et in compluribus aliis locis, hæc privilegia a potestate civili non amplius agnoscuntur. Unde, jam non restat nisi 1° generatim, privilegium *canonis*, ratione cuius excommunicationem incurront qui in clericum vel monachum manus injuste inferunt, juxta: *Si quis suadente diabolo... ; 2° apud nos, vestigium aliquod privilegii exemptionis a foro laicali*, cum clerici, vi statutorum nostrorum dioeceseos, coram judice laicali se sistere non possint absque licentia episcopi; 5° privilegium exemptionis ab *officiis municipiorum*, et a *militia*; quam exemptionem esse juris divini, ostendere conatur Moulart. De exemptione a militia extat lex civilis Belgica anni 1817, et lex anni 1870, qua non eximuntur qui in monasterio studia ecclesiastica instituunt. Quoad privilegia specialia episcoporum, vide Gury.

55. — Materia de *beneficiis*, ait Gury, etsi fuerit a plerisque theologis fuse tractata, tamen innumeris implicatisque difficultatibus referta est; quæ omnino in Gallia evanuerunt ex quo tempore, mediante concordato inter Pium VII et Gallicum gubernium, beneficia de medio fuere sublata, et commutata cum pensione quotannis a gubernio persolvenda.

Nobis sufficiat desuper tria tradere sequentia :

1º *Beneficium* est jus perpetuum fructus percipiendi ex bonis ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale, Ecclesiæ auctoritate constitutum.

Beneficium est simplex vel duplex. *Simplex*, est illud quod nullam obligationem habet annexam nisi obeundi officia quædam divina, ut canonicatus, capellaniæ, etc. *Duplex* seu *curatum*, est illud quod annexam habet jurisdictionem, administrationem et curam animarum, ut episcopatus, munus parochiale. Dicitur *duplex*, quia duplice oneri subjacet, cum præter recitationem precum omnibus communem, aliquam administrationem habeat.

Nota. Pensio quæ a gubernio in Gallia, Belgio, etc., solvitur episcopis, canoniciis et parochis, cum fuerit in beneficiorum locum suffecta, eorum locum obtinet, ac propterea ut bonum ecclesiasticum spectanda est, ut patet ex variis s. Pœnitentiariæ responsis.

2º *Acquiri* potest beneficium triplici via: 1º per *electionem*, qua clericus a toto capitulo eligitur et a superiore confirmatur; 2º per *præsentationem*, i. e. dum quis a patrono offertur superiori, a quo superiore instituitur si idoneus reperiatur; 3º per *collationem*, dum beneficium solo jure prælati libere datur, nec juri patronatus subest.

In qualibet diœcesi, episcopus est proprius beneficiorum *collator*; nisi, ex legitima præscriptione, tale jus alteri competit. Papa vero est supremus et universalis collator omnium beneficiorum non patronatorum.

Jus *patronatus* duplex est: 1º *ecclesiasticum*, si ex aliquo ecclesiæ titulo ortum sit; 2º *laicum*, si ab aliquo laïco fuerit acquisitum. Patronum constituunt *os, ædificatio, fundus*: scilicet, privilegium seu concessio, ædificatio ecclesiæ, donatio fundi.

Nota. Non licet alicui, saltem generatim, plura possidere beneficia, nisi fuerint simplicia, et ad residentiam non obligent. Quinimo, non possunt simul plura beneficia haberri, etiam ex dispensatione Pontificis, si non adsit

co honestans causa; quia id contra jus naturale est, cum unum sufficiat ad honestam sustentationem, et varia munera plerumque ab uno eodem recte obiri nequeant.

5º Amitti potest beneficium tribus modis: **1º** per mortem beneficiati, quia beneficia personæ tantum conceduntur; **2º** per rationes canonicas, i. e. vel ipso facto, propter enormia quædam crimina, vel per sententiam judicis, propter crimina non tam enormia; **3º** per demissionem spontaneam seu resignationem, i. e. vel tacitam, quæ fit ingressu in religionem, vel expressam, quæ fit coram superiore acceptante.

Nota. Episcopi Belgii in concilio Vaticano postularunt ut hæc sancta synodus concedat quatuor sequentia, statum clericalem spectantia:

1º De judiciis clericorum. « In Belgio non existunt tribunalia ecclesiastica ad formam Tridentini instituta, sed clericorum causæ judicantur sine ullo strepitu judiciali, per episcopum, qui delinquentes coram se vocat, eosque paterne admonet, corripit atque juste sed misericorditer punit. — Postulatur itaque: Ut addatur in decretis de judiciis: Si alicubi omnia paterne fiant, ita ut disciplina ecclesiastica inde nullum damnum patiatur, hanc praxim, mansuetudini Christi conformem, nullo modo improbatam volumus. »

2º De seminariis clericorum. « In Belgio florent seminaria, tum minora pro studiis humaniorum, tum majora pro theologicis disciplinis, quorum alumni ad sacros ordines non admittuntur antequam per longum tempus, annos scilicet tres vel quatuor, in convictu seminarii quasi in novitiatu ordinis ecclesiastici vixerint. — Postulatur itaque: Ut hoc seminariorum regimen approbetur, vel saltem nullo modo improbetur; improbatum ulique videretur si nude præscripta concilii Tridentini de seminariis inculcarentur. »

3º De collatione ecclesiarum parochialium et succursalium.

« **1º** Singulis annis vel bienniis in Belgio instituuntur tum

examina tum concursus, quo convocantur presbyteri qui ad vacantes curas pastorales se disponunt; siveque fit ut hi, non *semel*, ut Tridentinum requirit, sed pluries imo sexties vel decies probentur. Ad curam autem pastoralem quis admittitur, non solum vi concursus, sed insuper, ut dicitur, consideratis considerandis, i. e. attentis testimoniis, per plures annos repetendis, parochorum et decanorum circa mores, pietatem, zelum et prudentiam candidatorum; ita ut sit certitudo omnimoda meritorum promovendi, quod utique menti synodi Tridentinæ est quammaxime conforme. — Postulatur itaque: Ne quid in decretis statuatur quo hæc praxis impediatur; imo, ut videtur, hæc disciplina non parum prodesset aliis dioecesibus.

2º In Belgio, in Gallia, etc., post concordatum anni 1801, per decisionem Gregorii XVI, pastores tertiae classis seu succursalitæ, ibidem declarantur *amovibiles* (vide supra, N° 51), i. e. de una cura pastorali ad aliam transferribiles ad nutum episcopi, etiam non obstante translati voluntate contraria. — Postulatur itaque, quoad ecclesias succursales: Ut decisio a Gregorio XVI data episcopo Leodiensi, circa parochos *succursalistas*, ut vocantur, conservetur et confirmetur. Disciplina hæc, ab annis fere 70 vigens, fuit utilissima et etiamnunc est necessaria..... »

4º *De synodo diœcesana.* « Synodus diœcesana annue celebrari potest et utilissime celebratur in Belgio, dum apices juris non omnino servari debent, nec omnes debent vocari qui curam habent animarum. — Postulatur igitur: Ut decreto de synodo diœcesana hæc addantur: In diœcesibus, in quibus usus invaluit vel induci potest, ut synodus diœcesana quotannis celebretur ab episcopo, vocatis canonicis ecclesiæ cathedralis, decanis christianitatium et examinatoribus synodalibus, hæc agendi ratio servetur. »

CAPUT III.

DE STATU RELIGIOSORUM.

36. — *Prænota.* Præter viam *mandatorum*, per quam omnes homines ad Deum consequendum tendere debent, datur via *consiliorum* seu *specialis* perfectionis spiritualis, quæ est mere consilii, et paucis tantum proponitur a Deo ipso selectis, qui mundo valedicentes, vitam communem in monasteriis ducunt. Duplicem hanc viam ipse Christus docuit variis in locis, v. g.: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; et veni, sequere me.*

Adest etiam tertia quædam via media inter utramque præcedentem, nempe via castitatis, seu *cælibatus* in sæculo ipso servandus.

Hinc classis triplex hominum, ratione mediorum ad Deum consequendum propositorum, statuitur, seu triplex vitæ status datur, scilicet: 1º matrimonii, 2º cœlibatus, 3º vitæ religiosæ. Hinc etiam triplex gradus perfectionis: cœlibatus enim, ut declarat s. Paulus et Tridentinum, perfectior est matrimoniali statu; vita autem religiosa est omnium perfectissima, ut patet. Status sacerdotalis, licet dignitate omnium præstantissimus sit, ratione tamen perfectionis, vitæ religiosæ longe cedit.

37. — Circa status religiosi *originem*, sint sequentia:

1º Ex supra datis Christi verbis deducere licet statum religiosum ab ipso Christo institutum fuisse quoad substantiam, et esse consequenter de jure divino, non quidem præcipiente, sed consulente. Et ita, ab ipsa apostolorum ætate jam vigere cœpit, opere *ascetorum*, qui durioribus regulis se submittebant; quibus ascetis brevi hinc inde fideles adhærentes, cooperunt se a civium societate sub-

ducere et vitam agere solitariam sub certa regula et sub quodam superiore; illique sub titulo seu nomine *anachoretarum, eremitarum, cœnobitarum, monachorum* successive designati sunt. Præcipui auctores fuerunt Paulus eremita, Pacomius, Macarius, Antonius, Hilarion, etc., præcipue in Syria et Palestina.

2º S. Basilius *monachorum* institutum a mera contemplatione ad ministeria spiritualia fidelibus impendenda traduxit. Hoc, ait Scavini, s. Athanasius, sæculo IV, ab oriente in occidentem invexit; et sic, in totam Italiam cæterasque nationes institutio illa permeavit; et hinc pedentim venerunt *benedictini* a s. Benedicto, *dominicanii* a s. Dominico, *franciscani* a s. Francisco, etc.

3º Demum, temporum cursu factum est ut religiosi, qui prius extra urbes et oppida morabantur, in ipsa loca frequentiora inducerentur, ad majus fidelium bonum.

4º Origo autem *monialium* cum ipso religiosorum ortu conjuncta est, ut ex primis Ecclesiæ sæculis constat.

Hisce præmissis, quadruplici articulo agimus 1º de vocatione religiosa; 2º de professione religiosa; 3º de professionis religiosæ effectibus seu de natura status religiosi; 4º de obligationibus religiosorum, vi votorum.

Articulus I.

DE VOCATIONE RELIGIOSA.

38. — q. *An certum est dari vocationem divinam?*

r. *Affirmative.* Certum est dari actum divinæ providentiae quo Deus aliquos præ aliis ad statum excellentiorem et perfectiorem vocat, et simul dotes et gratias ad illum rite exequendum et servandum largitur, præsertim quoad statum ecclesiasticum et religiosum.

Id probatur 1º ex variis Scripturæ locis relative ad sacerdotium, v. g.: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Idem a fortiori dicen-

dum est de vita religiosa, quæ est status perfectior et multo difficilior. Probatur 2º ex unanimi ss. Patrum et theologorum consensu. Probatur 5º ratione theologica: etenim certum est omnia in ordine naturali a Deo gubernari modo singulis entibus proprio; ergo a fortiori in ordine supernaturali. Aliunde, ad statum perfectiorem amplectendum et prosequendum, requiruntur dotes et gratiæ speciales, quæ a solo Deo, supremo dispensatore, concedi possunt.

59. — q. *Quænam sunt signa vocationis religiosæ?*

r. *Generatim loquendo*, seu in providentia ordinaria, duo requiruntur et sufficiunt ad divinam vocationem probandum, scilicet debita aptitudo, et inclinatio.

1º *Aptitudinis* nomine intelligitur idoneitas ad statum religiosum *in genere*, et, in particulari, ad observantiam propriam *tali ordini* qui eligitur. Aptitudo autem illa consistit præsertim in recto judicio, in indole bona, in animo iugo obedientiæ submisso, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum corporis et animi, qui tali generi vitæ repugnant.

2º *Inclinatio* requiritur naturalis et constans, quæ proin non sit frequentibus mutationibus obnoxia, non obstante tamen aliqua præterita tergiversatione ex dæmonis tentationibus vel naturæ repugnantia exorta. Attamen necessarium non est ut inclinatio ex sponteitatem seu propensione magis quam ex persuasione seu intima convictione procedat. Inclinatio autem illa debet esse *recta*, seu debet procedere ex intentione pura, ex mero desiderio suam salutem facilius consequendi, majorem Dei gloriam vel animarum salutem procurandi.

Dixi *generatim loquendo*: quia adsunt evidenteria vocationis signa, nempe 1º divina *revelatio*, qua vocati fuere s. Paulus, s. Aloysius de Gonzaga, s. Stanislaus Kostka, etc.; 2º *inspiratio singularis*, quæ consistit in interno motu

quo quis vehementer ad vitam perfectiorem subito impellitur et quasi attrahitur.

Nota. Quando de alicujus vocatione adest *dubium*, illud excludendum est oratione, examine majori, et consilio superiorum ac præsertim confessarii. Sed, perseverante dubio, ille in statu inferiori remanere tenetur: quia nemo ascendere potest ad statum superiorem, nisi de vocatione divina moraliter certo ipsi constare videatur.

40. — Restat quæstio quoad illos qui sunt vel non sunt vocati.

Q. *An peccat, qui se ad religionem vocatum sentiens, divinæ vocationi non obsequitur?*

R. *Negative per se*, ait Gury, quia divina consilia per se non obligant sub culpa, cum in hoc præcise a præceptis differant. Dixi *per se*, quia, per accidens, non excusatur a levi, ratione periculi salutis cui se exponit; imo, nec a gravi, si putaret se magnum discriimen salutis incurrere in mundi periculis remanendo.

Nota. Parentes vel superiores qui avertunt filios vel subditos a statu religioso, peccant graviter si avertant *injuriouse*, i. e. per minas, vim, fraudes vel preces importunissimas, quia talis injuria esse non potest sine gravi aspirantium damno. Secus autem, si aliquo tempore se opponant, ad constantiam filiorum juniorum probandam, vel ob aliam justam causam.

Q. *Quomodo peccat qui, non vocatus, statum religionis vel clericatus suscipit?*

R. Si defectum vocationis clare noverit, peccat graviter, ob reverentiam sacris ordinibus aut religioni debitam, ob injuriam Deo illatam, et præsertim ob periculum salutis quod ipse incurrit suscipiendo obligationes quibus satisfacere moraliter non poterit, ultiote carens specialibus auxiliis quæ solis a Deo vocatis conceduntur.

Articulus II.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

41. — q. *Quænam conditiones requiruntur ad professionis validitatem?*

r. Tres requiruntur sequentes :

1º *Aptitudo* voventis: scilicet, ut 16^m annum integre compleverit; ut annum integrum novitiatus cum religioso habitu transegerit; ut nullum habeat impedimentum quod substantiale esse censeatur in ordine quem ingreditur.

2º *Consensus* et *acceptatio* expressa vel tacita prælati ordinis, vel capituli ubi id requiritur. Error autem circa substantiam, ex parte tam profitentis quam admittentis, professionem irritam facit.

3º *Libertas* voventis, i. e., ut professio sponte fiat, secluso gravi metu, vel etiam metu reverentiali coniuncto cum precibus importunis saepius repetitis, blanditiis, imperio, aut gravi offensione vel indignatione diu continua consanguineorum.

q. *Quænam circa annum novitiatus specialiter notare juvat?*

r. Specialiter notanda sunt sequentia :

1º De valore requiritur annus integer, et *absque interruptione* in novitiatu transactus.

2º *Interrumpi* censetur, 1º quoties novitius egreditur e monasterio sine licentia, cum animo non revertendi, etiamsi statim revertatur; 2º quoties dimititur absolute a superioribus, et deinde iterum admittitur; 3º si discedat privata auctoritate, ut ingrediatur aliam domum vel aliam provinciam, etiam ejusdem ordinis.

5º *Non interrupitur*, 1º si novitius ægrotet in domo, etiam notabili tempore, licet exercitii novitiorum adesse minime possit; 2º si, violentia coactus, e domo discedat, et postea redeat; 3º si, accepta licentia, brevi tem-

pore divertat ad parentes, vel alios, sanitatis recuperandæ aut negotiorum agendorum gratia; 4º si falsa accusatione dimitatur, et postea, cognita veritate, rursum admittatur; 5º si iter agat jussus a suis superioribus, quia tunc sub eorum dependentia remanet.

42. — q. *Quinam sunt validæ professionis effectus?*

R. Præcipui effectus qui jure communi tribuuntur professioni *solemni*, sunt septem sequentes, juxta De Brandere: hæc professio

1º Obligat profitentem ad servanda tum vota, ut N° 46 et seqq. dicitur, tum regulam et statuta (saltem in sensu quo dicimus N° 44, in quaestione 5^a).

2º Ligat religionem professo, et hunc religioni, nisi forte, causa perfectionis, ad rigidorem ordinem transire cupiat.

3º Ipso jure exstinguit omnia vota in sæculo missa.

4º Matrimonium nondum consummatum dissolvit, contrahendum vero dirimit.

5º Relaxat irregularitatem, ortam ex defectu natalium, ad recipiendos sacros ordines et beneficia ecclesiastica, exceptis prælaturis et dignitatibus.

6º Inducit incapacitatem dominii, amissionem seu vacationem beneficiorum, si quæ professus obtinebat.

7º Communicat professo omnia privilegia regularibus et ordini concessa.

Dixi professioni *solemni*. An autem et quousquè competant illi effectus institutis votorum simplicium a s. Sede approbatis, eruendum est ex eorum constitutionibus et approbatione.

Quod vero spectat domos religiosas, virorum vel seminarum, in quibus emittuntur vota simplicia ab episcopo approbata, ad cognoscendos professionis effectus, pariter inspicienda est earum regula et approbationis tenor. Interim, præcipuos colliges tum hic infra, articulo IV, re-

lative ad tria vota; tum in tractatu *De Matrimonio*, relative ad matrimonium, ad debitum conjugale, etc.

Articulus III.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

43. — q. *Quid est status religiosus proprie dictus?*

r. Est stabile vitæ institutum ab Ecclesia seu Papa approbatum, pro fidelibus qui certa sub regula, in communi vivendi modo, tendere volunt ad perfectionem per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae.

In hac definitione tria inveniuntur notatu digna, scilicet:

Dico 1º *stabile vitæ institutum... per vota perpetua*. Requiritur enim ut emittantur et ab Ecclesia acceptentur vota perpetua seu quibus religiosus se in perpetuum Deo consecret; hæcque perpetuitas est conditio sine qua non religionis proprie dictæ; et ita, institutum religiosum in quo temporanea tantum sunt vota, non est nisi religio improprie dicta.

Dico 2º *ab Ecclesia seu Papa approbatum*. Ergo, ut institutum religiosum, in quo vota sunt quidem perpetua, constitutat religionem proprie dictam, necessario requiritur ut tamquam tale a Papa fuerit approbatum; neque ad hoc sufficit approbatio episcopalis. Olim quidem singulo episcopo pro sua dioecesi competebat hujusmodi facultas; sed a tempore concilii Later. IV, ad novæ religionis institutionem requiritur s. Sedis approbatio quoad regulas et quoad institutum.

In præsenti Ecclesiæ disciplina, Papa dupli modo hanc approbationem concedit, scilicet vel ut in domo religiosa emittantur vota *solemnia*, vel quandoque ut ibi emittantur vota tantum *simplicia*. Status enim religiosus, ut N° 57 diximus, est institutionis divinæ quoad substantiam; sed, quod spectat ejus accidentalia, Christus ea Ecclesiæ determinationi reliquit, quemadmodum eidem de-

terminationi commisit accidentalia sacramentorum, *salva eorum substantia*, ut ait Trid.; sicque sunt institutionis humanæ. Hujusmodi accidentalia respiciunt tum modum in instituto religioso vota emittendi, solemniter scilicet vel simpliciter, tum modum in eo vivendi seu ejus regulam, tum alias circumstantias quas excogitarunt et constituerunt homines, quasque proposuerunt Ecclesiæ, ab ea recognoscendas atque approbandas. Hinc sequitur, quod s. Sedes 1º in religionem proprie dictam admittere possit vota non solum solemnia, sed etiam simplicia; sicque societas Jesu est religio proprie dicta, non tantum pro patribus qui ibidem emiserunt vota secunda seu solemnia, sed etiam pro ejus scholaribus qui, post duos probacionis annos, ibidem emittunt vota prima seu dumtaxat simplicia; 2º consequenter, quemadmodum *De Votis* dictum est, dispensare valeat in religiosorum votis, tam solemnibus quam simplicibus.

Hæc igitur vota simplicia, a s. Sede approbata, constituunt veros religiosos, i. e. veras personas ecclesiasticas, quæ nomine clericorum comprehenduntur in materia favorabili seu in legibus favorabilibus; sub hoc tamen discrimine, inter ipsos et inter solemniter professos, quod non gaudeant exemptione aut certis privilegiis jure canonico solum in favorem solemniter professorum collatis.

Siquidem ad religionem proprie dictam requiratur approbatio Papæ, sequitur quod innumeræ domus illæ religiosæ quæ nonnisi episcopalem habent approbationem, non sint veri nominis religiones; consequenter quod viri vel feminæ in ejusmodi domo profitentes ac tria vota religiosa emittentes, nuncupari non possint religiosi vel moniales, et quod proinde non tantum non gaudeant privilegiis solemniter professorum, sed insuper generatim non comprehenduntur nomine clericorum in favorabilibus, quo gaudent veri religiosi simpliciter professi. His tamen non obstantibus, ejusmodi domus seu instituta sunt certo loci

religiosi, auctoritate ecclesiastica constituti; et eorum membra, etsi non nisi improprie sub nomine religiosorum aut monialium veniant, nihilominus coram Deo in rei veritate tales sunt iisdemque meritis gaudere possunt, siquidem eamdem sui abnegationem Deo facere possint et ut plurimum faciant.

Ex dictis sequitur quod, in statu religioso late sumpto, tres distingui possint classes: 1º veri religiosi solemniter professi, 2º veri religiosi simpliciter professi, 3º religiosi improprie dicti, qui pariter legitimam in Ecclesia existentiam habent, quum illa ab auctoritate ecclesiastica seu episcopali fuerit approbata et instituta. Quapropter, pleraque quæ in præsenti tractatu dicuntur de religiosis in genere, et huic tertiae classi applicanda sunt.

Dico 3º *qui... tendere volunt ad perfectionem*: nam religiosus, vi suæ professionis, tenetur progredi seu tendere, saltem aliquo modo, ad perfectionem specialem seu religiosam. Licet enim hæc perfectio generatim non sit de præcepto, sed tantum de consilio, attamen, qui statum religiosum seu statum perfectionis per professionem suscepit, tenetur velle servare suum statum. Unde, non obligatur religiosus actu esse perfectus, sed perfectioni studere.

44. — Circa hanc *perfectionem* inquiruntur quinque sequentia:

q. In quo consistit 1º *essentialis perfectio christiana hujus vitæ*, 2º *perfectio specialis religiosorum*?

r. 1º Perfectio *essentialis* consistit in *charitate*, juxta: *Plenitudo legis est dilectio. Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Dein, unaquæque res perfecta est, quando fini suo conjungitur: atqui homo conjungitur suo fini, i. e. Deo, per *charitatem*, juxta: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

2º Perfectio *specialis* religiosorum, quæ paucis tantum

a Deo selectis proponitur, juxta: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus*, consistit in observantia trium consiliorum evangelicorum, voto firmitatorum: prosecutio enim hujus specialis perfectionis est finis proprius et primarius status religiosi.

Q. *Quibus mediis tenetur religiosus tendere ad perfectionem?*

R. Tendere tenetur, tum *primario* per medium essentiale, quod cum ipso fine status religiosi fere confunditur, scilicet per observantiam trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiae; tum *secundario*, per medium accidentale, nempe per observantiam regulæ ordinis propriae. Verum regula plerumque a votis vix discernitur, quippe quæ, pro maxima sua parte, votorum est applicatio et aptatio ad finem specialem cujusque religionis.

Q. *An regula et constitutiones regularium obligant sub peccato?*

R. 1º *Affirmative* in duplice casu: 1º, ut ordinarie contingit, in punctis quæ spectant materiam trium votorum, i. e. in materia paupertatis, castitatis, aut in aliquo regulæ punto si illud a superiore legitime præcipiatur; tuncque obligant sub gravi vel levi, prout materia transgressionis est gravis vel levis: patet enim vola obligare sub peccato; 2º quoque extra votorum materiam, in illis ordinibus religiosis quorum regula aut constitutiones expresse declarant se obligare sub peccato, in quo casu et ipsa regula aut constitutiones sub voto cadere censentur; hoc tamen valde raro occurrit. Unde, sepositis his casibus, dicendum est:

2º In plerisque ordinibus, extra materiam votorum, regula ac constitutiones *per se* non obligant sub peccato, nequidem veniali; idque judicandum est ex verbis expressis, ex circumstantiis, et ex communi interpretatione in ordine recepta. Ratio est, quia habentur, non ut præcepta, sed ut mera consilia ad perfectionem conducentia; et aliunde

religiosus, votum obedientiæ emittens, nullatenus se ideo voto astrinxit, saltem regulariter loquendo, ad observandas ordinis regulam et constitutiones, sed tantum ad obediendum superiori in iis quæ legitime præcipit, quod proin solum religiosus vovisse censem. Deficiente autem præcepto, transgrediens talem regulam aut constitutiones non committit peccatum inobedientiæ.

Dixi *per se*, nam transgressio raro omni culpa vacat per accidens, seu ob causas extrinsecas, scilicet ratione negligentiae, pigritiae, concupiscentiae, scandali, etc.

Q. Quandonam ergo religiosus graviter peccat contra obligationem tendendi ad perfectionem?

R. Cum Gury, 1º si saepè sæpius in materia gravi infringat *vota*, ultiote media essentialia ad perfectionem consequendam; 2º si *regulam*, etiam non obligantem sub peccato, infringat ex contemptu formali, i. e. ex animo non subjaciendi illi aut superioribus suis, vel eam ut inanem habendo. Non vero adest contemptus formalis, si eam infringat ex concupiscentia, vel quia putat eam non esse sibi necessariam ad salutem, vel quia judicat eam non præcipi sub gravi.

Q. Sed an peccat graviter contra obligationem perfectio-
nis, religiosus qui intendit servare tantum illa quæ, sive
in materia votorum sive vi forte cuiusdam regulæ, obligant
sub gravi, et simul intendit nullatenus curare de obligantibus
sub levi?

R. Juxta sententiam communiores et probabiliorem,
Negative per se: quia eo ipso quod religiosus vult adim-
plere plura quæ, respectu sui, obligant sub gravi, jam
tendit ad perfectionem, cum observare intendat illa quæ
respectu aliorum non obligant, sed sunt meri consilii.
Dixi *per se*: nam ordinarie a gravi non excusatur per
accidens, v. g. ratione periculi graviter transgrediendi
vota, grave damnum inferendi religioni quoad discipli-
nam, etc.

43. — Jam, per modum appendicis, quædam subjungimus quoad *clausuram*.

Q. *Quomodo et quare introducta fuit clausura?*

R. *Clausura*, quæ ad essentiam religionis non pertinet, cum diu fuerit non de præcepto sed tantum de consilio, subinde jure et consuetudine fuit introducta in ordinibus religiosis proprie dictis, ad majorem castitatis et disciplinæ custodiam, tum pro monialibus, tum pro viris; cum hoc discrimine quod strictius obliget clausura monialium quam religiosorum.

Res hic duplici sub respectu considerari potest: 1º quoad egressum ex clausura, 2º quoad ingressum extraneorum intra clausuram.

1º Quoad *egressum*.

Viri religiosi egredi non possunt absque licentia superioris. Id prohibetur *ordinarie* sub gravi. Dico *ordinarie*, nam probabilius, juxta Scavini, culpam venialem non excedit si id fiat tantum semel aut iterum, secluso scandalo, contemptu, aut nisi fiat de nocte.

Moniales subjacent excommunicationi Papæ simpliciter reservatae (vide *De Censuris*, N° 25, 6º) si e clausura exeant alio modo quam juxta formam a Pio V datam, i. e. nisi exeant gravissima de causa, a superiore et episcopo approbata, v. g. in casu belli imminentis, epidemiarum aut gravis infirmitatis; vel etiam ex recte præsumpta hujusmodi approbatione, si tempus eam peti non sinat, v. g. in casu domus ruinæ, incendii, inundationis.

2º Quoad *ingressum extraneorum* in clausuram 1º viorum, 2º monialium.

Ingredientes clausuram *virorum* religiosorum, vel sunt viri vel sunt feminæ. Quoad *viros* ingredientes, nulla est prohibitio generalis. Si regula domus id in particuliari non prohibeat, superiori tamen incumbit curare ut id absque incommodo fiat. Quoad *feminas* ingredientes, illæ, simul et superiores aliive eas admittentes (vide *De*

Censuris, N° 25, 7°) subjacent excommunicationi Papæ simpliciter reservatæ.

Ingredientes clausuram *monialium*, eidem excommunicationi (vide *De Censuris*, N° 25, 6°) subjacent 1° quicumque hanc violent clausuram, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, i. e. si absque legitima ingrediantur licentia, quæ concedi potest ob veram necessitatem, ob monasterii utilitatem, quod saepius locum habet quoad medicos, operarios, etc.; 2° pariter illi qui eos introducunt vel admittunt.

Nota. An moniales in Gallia et Belgio, a tempore perturbationis anni 1793, adhuc teneantur ad clausuram et horas canonicas, vide tractatum *De Justitia*, N° 27, ad *Notam*.

Articulus IV.

DE OBLIGATIONIBUS VOTORUM RELIGIOSORUM.

46. — q. *Quænam bona religiosus vi votorum Deo dicat?*

r. Religiosus Deo offert et consecrat 1° bona externa, quibus se spoliat per votum paupertatis; 2° corpus, cuius voluptatibus renuntiat per votum castitatis; 3° animam, seu mentem et voluntatem, quam tradit superiori moderandam per votum obedientiæ.

Votum paupertatis est certo præstans, cum per illud religiosus abdicet hujus mundi divitias; sed præstantius est votum castitatis, cum per illud valeat bonis intrinsecis adeoque sibi magis adhærentibus, i. e. corporis seu sensuum voluptatibus; præstantissimum vero est votum obedientiæ, cum per illud renuntiet bonis maxime sibi intrinsecis et excellentissimis, i. e. menti et voluntati.

§ I.

De voto paupertatis.

Prænotandum est quod, relative ad proprietatem, trilicis generis actus a persona religiosa ponи possint:

1º actus qui ratione sui sunt *injusti*, i. e. contrarii iustitiae commutativae, v. g. furtum; 2º actus qui ratione voti sunt *invalidi*; 3 actus qui ratione voti sunt *illiciti*, etsi validi sint; ut ex infra dicendis patebit.

In tractatu *De Justitia*, de dominio religiosorum, N° 24 et seqq., res examinatur tum quoad religiosos propri vel improprie dictos, tum quoad jus commune vel Gallicum. Juxta illa, compendiose hic tradimus sequentia:

47. — 1º Quoad religiosos voto *solemni* paupertatis ligatos.

Jure communi. Non possunt, sive licite sive valide, nomine proprio seu personaliter rem quamlibet pretio aestimabilem possidere, nec quoad dominium, nec quoad usum aut usumfructum, ut ex Tridentino constat. Hinc, inhabiles sunt ad quemlibet actum proprietatis, nomine proprio exercendum circa ullam rem, sive monasterii, sive parentum, sive externorum, v. g. per acceptationem, donationem, venditionem, commodatum, mutuum, usum, mutationem, ameliorationem, etc.

Dico nomine proprio seu personaliter: nam talia agere valet et potest religiosus nomine monasterii, seu de licentia superioris; etenim communitas, nisi obstant ejus constitutiones, bona acquirere et possidere potest, tum per se, tum per subditos; et inde axioma: *Quidquid monachus acquirit, non sibi sed monasterio acquirit.*

Jure Gallico. Codex civilis non agnoscit vota solemnia, sed tantum simplicia et quidem ad quinque annos duratura, licet vota perpetua non prohibeat; et consequenter religiosos propri dictos, ratione proprietatis, re non admittit, cum statuat eos plenum bonorum suorum dominium servare. Quare, juxta hanc legislationem, quae ex concessione s. Sedis applicatur in Gallia, et probabilius quoque in Belgio, pro monialibus, non vero pro viris, ra-

tioinandum est ac pro religiosis qui voto tantum simplici ligantur.

48. — 2^o Quoad religiosos ligatos voto paupertatis *simplici* approbato ab episcopo.

Distinguendum est inter validitatem et liceitatem, scilicet :

Validi sunt proprietatis actus a tali religioso positi; et sic, valide potest quidquid nomine proprio acquirere et de eo quomodocumque disponere.

Quod spectat *liceitatem*, videndum est an votum istud simplex fuerit absolutum ac perpetuum, vel non. Itaque,

1^o Si fuerit absolutum et perpetuum, tali religioso non plus licet, saltem generatim loquendo, quam religiosis solemniter professis, quibus hujusmodi voto aequiparatur.

2^o Si non fuerit absolutum et perpetuum, sed emissum *juxta domus cuiusdam regulas*, 1^o licite servat dominium directum bonorum suorum; 2^o circa ea licite, de consensu tamen superioris, exercet omnes actus quos permittunt regulæ istae particulares.

Dico de *consensu superioris*: nam in omni casu excluditur, ut dicitur, *usus juris*, i. e. usus rei liber et independens a voluntate superioris. Ille enim usus ab omni religioso, etiam impropte dicto, abdicari debet; quia, *juxta responsum Romanum*, anno 1817, « capacitas ad bona acquirenda, cum potestate libera et independenti utendi, fruendi, disponendi, omnino pugnat cum substantia paupertatis religiosæ qualis ab Ecclesia exigitur. » (*)

(*) Les communautés religieuses, au point de vue de la législation civile, ont le droit d'exister. Pour exister et continuer leur existence, elles ont absolument besoin d'un second droit, le droit de *propriété*, en vertu duquel les religieux puissent acquérir des biens, en user librement, et les transmettre à leur décès.

Tria jam inquiruntur, scilicet: 1^o circa varios actus relative ad votum paupertatis positos; 2^o circa gravitatem materiae in his actibus; 3^o circa licentiam superioris. De his dicimus in triplici N^o seq.

La loi civile met à la disposition des religieux différents moyens de réaliser dans leurs mains le droit de propriété. Ces moyens sont spécialement les quatre suivants: 1^o la personnalisation civile concédée à un ordre religieux, 2^o la constitution d'une société civile entre les religieux d'un ordre, 3^o la constitution d'un acte d'association entre les membres d'une communauté, 4^o la possession des biens par chaque religieux en nom personnel.

— 1^o *La personnalisation civile* est un acte en vertu duquel un établissement quelconque est considéré civilement et moralement comme s'il était une personne vivante; l'établissement devient un être moral distinct des individus qui le composent, ayant une existence propre, des droits particuliers, acquérant, possédant pour lui des biens immobilisés en ses mains, biens qui, au décès des individus, ne passent pas à leurs héritiers, et s'appellent, en conséquence, biens de *main-mortu*. Civilement parlant, il n'y a que le pouvoir législatif qui puisse accorder la faveur de la personnalisation civile. Sous le droit romain, elle était accordée à toutes les communautés religieuses. Sous l'empire du code civil français et de notre législation moderne, cette faveur est accordée aux administrations des biens de l'État, de la province, de la commune, des bureaux de bienfaisance des fabriques d'église, etc.; mais elle est soustraite à toutes les communautés religieuses, les seules congrégations hospitalières exceptées. Conséquemment ce premier moyen de propriété est devenu chez nous à peu près sans application pour les maisons religieuses. Mais il leur reste encore deux autres modes de propriété *collective*, d'après notre législation, savoir le contrat de société et le contrat d'association. Faisons préalablement quelques observations sur la nature de ces deux contrats.

En dehors des différents contrats de *mariage*, dont nous avons parlé ailleurs, on distingue les deux contrats suivants de propriété *collective*: le contrat de *société* et le contrat ou acte d'*association*. On forme une *société*, si les membres qui la composent, ont pour but le lucre matériel, c'est-à-dire, appréciable en argent, et si ce lucre doit servir exclusivement au profit des membres; tandis qu'on ne forme qu'une simple *association*, si le but est autre que celui que nous venons d'énoncer. Les biens mis en commun dans une société ou une association, constituent ce qu'on appelle propriété *collective*.

Ainsi, la *société*, d'après l'art. 1832 du code civil, est un contrat par lequel deux ou plusieurs personnes conviennent de mettre quelque chose en commun, dans la vue de partager le bénéfice qui pourra en résulter. La société est donc une concentration de forces ou de richesses dans le

49. — q. *Enumera varios actus magis occurrentes in quibus religiosus, tum proprie tum impropte dictus, contra votum paupertatis peccat, si eos absque superioris licentia ponat.*

r. Ex Gury sint decem sequentes :

1° Si quid accipiat, donet, vendat, etc., juxta dicta, N° 47.

but de créer d'autres richesses au profit des associés. D'après cela, deux conditions sont nécessaires au contrat de société proprement dite: 1^o le but de créer d'autres bénéfices ou richesses; 2^o le but de faire servir ces richesses exclusivement au profit des associés, et non au profit d'autrui. Faute de l'une ou de l'autre de ces deux conditions, ce n'est plus le contrat de société, c'est former le contrat de simple association.

Ainsi, on forme une simple *association*, lorsque, faute de la première condition, ou but de lucre matériel, la concentration de forces ou de richesses a pour but la production exclusive d'avantages moraux ou intellectuels, par exemple dans les communautés religieuses, dans les associations ou cercles littéraires. Il en serait de même si, faute de la seconde condition, la concentration de forces ou de richesses avait pour but de faire servir ces richesses au profit d'autres personnes que les associés, comme cela a lieu dans les œuvres de charité, par exemple dans l'œuvre des conférences de Saint-Vincent-de-Paul, etc.

Relativement à la propriété collective qui existe sous le contrat de société et sous celui d'association, il y a, d'après M. Tielemans, cette différence entre l'association et la société, que, « dans l'association, les bénéfices, comme les mises, restent toujours à la communauté, sans appartenir en particulier à aucun de ses membres, ceux-ci n'ayant pour ainsi dire que la jouissance viagère. » De là les deux conséquences suivantes: 1^o lorsque l'un des membres cesse de faire partie de l'association, les biens continuent à appartenir exclusivement et collectivement aux associés restants; 2^o dès le jour de leur entrée dans l'association, les nouveaux membres deviennent les copropriétaires collectifs de ceux qui s'y trouvaient déjà: en effet, un associé est propriétaire par indivis des biens communs, en tant qu'associé et coopérant au but de l'association; mais, dès qu'il cesse d'être associé, la propriété n'a plus raison d'être pour lui, il perd la qualité qui lui y donnait droit. Choses qui n'existent nullement sous le contrat de société.

Puisque le code civil ne donne aucune disposition particulière concernant les communautés ordinaires ou les simples associations, il en faut conclure que le titre *des sociétés* doit leur être appliqué en tout ce qui n'est pas incompatible avec leur essence, avec ce qui les différencie des sociétés. A son défaut, c'est l'équité et ce principe *que tout ce qui n'est pas défendu est permis*, qu'il faut consulter, car la liberté des stipulations est complète tant qu'aucune loi ne la restreint, dit M. Jacobs.

2º Si rem in usum suum obtentam, in alium usum expendat; vel eam ultra limites temporis a superiori præfixi servet; vel eam subducat liberæ dispositioni superioris, v. g. eam occultando.

3º Si ex rebus ad usum suum concessis, alteri donet ea quæ parcus vivendo sibi subtrahit; exceptis, ait Lig.,

— 2º La constitution d'une *société civile*, ou *contrat de société* entre religieux. Vis-à-vis de la loi civile, les religieux sont de simples citoyens. Tous les citoyens sont égaux devant la loi; et tous, conséquemment, ont le droit de former des sociétés civiles, les religieux aussi bien que les laïcs, puisque la loi ne reconnaît pas aux biens d'une communauté religieuse le caractère d'une personne morale, mais qu'elle accorde à chaque religieux, comme à tout autre citoyen, le droit d'aliéner ses biens et d'en disposer librement.

Mais, puisque les communautés religieuses ne pourraient avoir recours au contrat de société que pour autant qu'elles seraient constituées dans un but de *lucre matériel*, ce qui n'est pas le cas pour la plupart d'entre elles, elles peuvent, à défaut de contrat de société, recourir au contrat de simple association.

— 5º La constitution d'un *acte d'association* entre religieux. La Constitution belge de 1830 déclare, art. 19, que les Belges ont le droit de *s'assembler*; et art. 20, qu'ils ont le droit de *s'associer*. Elle distingue donc le simple droit de se réunir ou *s'assembler*, droit dont l'exercice présente quelque chose d'accidentel et de temporaire, du droit plus large de *s'associer*, d'une manière durable et permanente. Or, la liberté d'association suppose nécessairement la propriété collective; car, pour qu'une association puisse exister, et exister d'une manière permanente, il faut qu'elle puisse posséder en commun, qu'elle jouisse de la propriété collective. Le nier, c'est rendre la liberté d'association irréalisable; ce n'est pas seulement supprimer les couvents, c'est encore anéantir toutes les autres associations qui existent néanmoins légalement en Belgique.

Ainsi l'on voit que les nombreuses associations de tout genre et de toute couleur, qui pullulent en Belgique, sont propriétaires soit d'un local, soit de riches collections, soit de meubles et de certains fonds en caisse. Or, à chaque instant de nouveaux membres entrent dans ces associations, et des membres anciens en sortent, sans qu'ils réclament une part dans les deniers sociaux, et sans qu'ils contestent aux membres restants la qualité de copropriétaires de ces deniers sociaux.

L'article constitutionnel qui accorde la liberté d'association, est général, et doit par conséquent être applicable à toutes sortes d'associations. Il garantit donc les associations qui ont simplement un but moral ou intellectuel, comme sont les sociétés de bienfaisance; les sociétés politiques,

suis pitantiis quæ limitate ei tribuuntur, ut ova, carnes, etc., nisi superior id expresse vetuerit.

4º Si res curæ suæ commissas, culpabiliter sinat perire, amitti, deteriorari, etc.

tenues soit par les loges maçonniques, soit par les catholiques; les sociétés d'agrément et les cercles littéraires. Cette liberté d'association, de même que la propriété collective qui en est le corollaire indispensable, existe donc pour les associations religieuses ou ordres religieux, aussi bien qu'elle existe pour les autres citoyens. La nier aux religieux, ainsi qu'a semblé le faire la cour d'appel de Bruxelles en 1861, et ainsi que le font les adversaires des couvents en Belgique, c'est violer la Constitution, c'est supprimer du même coup, à moins de se servir de deux poids et de deux mesures, toutes les autres associations.

— 4º Reste un quatrième moyen, c'est-à-dire, la possession par chaque religieux *individuellement* ou *en nom personnel* des biens dont la communauté a la jouissance. Quoi qu'en dise M. Orts, qui, dans le but de détruire les ordres religieux, a publié un ouvrage dans lequel, parmi grand nombre d'erreurs, il prétend refuser aux religieux le droit de propriété individuelle, parce que la qualité de religieux constitue une présomption d'incapacité; que le religieux fait vœu de pauvreté, en vertu de quoi il ne peut posséder; et que, lorsqu'il acquiert ou reçoit, c'est pour la communauté; il n'en n'est et n'en restera pas moins évident que le religieux peut posséder individuellement, à l'égal de tous les autres citoyens.

On comprend que, sous ce régime de propriété *individuelle*, les biens dépendants d'un établissement religieux, qui en a la jouissance, ne forment pas un tout indivis, mais qu'ils sont considérés comme formant autant de parts distinctes qu'il y a de religieux propriétaires. Aussi, à la mort de chaque religieux propriétaire, la portion de biens qu'il possède en propre, passerait à ses héritiers naturels, si de son vivant il n'avait pas pris là-dessus de dispositions particulières; et ainsi la maison périodiquement morcelée, se trouverait dans l'impuissance de soutenir et transmettre longtemps son existence. C'est donc dans le but d'exclure ses héritiers, et de contribuer à la durée de l'existence de la maison, que chaque religieux propriétaire place, par donation entre vifs ou par testament, sur la tête d'un seul et même religieux ou sur quelques-uns, la portion de biens dont il est propriétaire. Ce religieux, devenu légataire universel, assure à son tour la totalité de ces biens, en les passant par testament à un autre religieux qui promet le plus de longévité; celui-ci, plus tard, en fait autant à l'égard d'un autre, et ainsi de suite.

Mais ce mode est précaire et sujet à de graves inconvénients: d'abord il est possible que le religieux quitte l'ordre et emporte le riche héritage sur lequel comptait la maison; il est possible que le testament fait en fa-

5º Si quid pro communitate emat, quin superioris licentiam præsumere possit; quod rarum est.

6º Si apud extraneos edat aut bibat; quod tamen culpam levem non excedit.

veur de la maison, soit attaqué par les héritiers du défunt, et que ceux-ci parviennent à le faire annuler par les tribunaux; enfin, et c'est ce qu'il y a de plus grave, à chaque mutation de ces biens sur une autre tête, le religieux, ou plutôt la maison, a à payer au fisc les droits de mutation: droits énormes et montant à 10 pour 100, atteignant même, y compris les frais nécessaires, à 14 pour 100; frais qui, après un certain nombre d'années et de mutations, finissent par absorber le capital primitif.

En résumé, des quatre moyens sus-mentionnés, mis à la disposition des maisons religieuses, le *premier*, ou la personification civile, entre tous le plus favorable pour la stabilité des maisons religieuses, est devenu à peu près sans application sous les législations modernes. Quant au *second* moyen, ou la constitution d'une société civile, il est évident qu'il ne pourra être invoqué que par les maisons religieuses qui peuvent faire valoir un but de lucre, comme sont les maisons qui dirigent un pensionnat, un collège, un hospice de vieillards, etc. Encore ne rencontreront-elles pas rarement des entraves de la part de l'autorité civile, peu favorable sinon hostile à ces institutions, qui cherchera à leur contester pareil but.

Le *troisième*, le moyen constitutionnel, ou la constitution d'une association religieuse, semble présenter le plus de garantie en Belgique, puisqu'il repose sous l'égide de la Constitution belge. Il est vrai que ceux qui ont juré la ruine de nos ordres religieux, prétendent que la propriété collective n'est pas attachée aux associations religieuses, quoique cependant ils l'admettent pour toutes les autres associations non religieuses; mais il est peu probable que le pouvoir civil ose jamais adopter et sanctionner pareille monstruosité inconstitutionnelle.

Le *quatrième*, ou la propriété individuelle, à défaut des autres moyens, peut toujours être adopté, malgré les inconvénients auxquels il est sujet.

Notre siècle, dit Montalembert, a contre les ordres religieux les mêmes préventions, les mêmes haines que le moyen-âge contre les Juifs. Gouvernements absolus et peuples en révolution ne s'entendent que pour les dépouiller et les proscrire. En France et en Belgique, en Autriche et en Italie, en Espagne et en Portugal, en Pologne et dans les Principautés Danubiennes, en Suisse et en Grèce, au Mexique et dans les républiques de l'Amérique méridionale, leur existence est menacée, ou leur ruine est accomplie. Au nom des idées modernes, on leur refuse à la fois le bénéfice du droit nouveau et les garanties de l'ancien, sous prétexte que celui-ci ne compte plus, que l'autre n'a pas été fait pour eux.

7º Si, iter agens, ad alia loca divertat extra rectam viam, ad res curiosas videndas; nisi forte valde brevis sit distantia, et nullæ aut admodum modicæ expensæ fieri debeant; nisi in casu particulari licentia superioris ex gravitate causæ merito præsumi possit. Secus enim, peccaret tum contra paupertatem, tum etiam contra obedientiam.

8º Si disponat de operibus manualibus a se confectis; vel de honorariis quæ pro missis vel pro aliis ministeriis spiritualibus accepit.

9º Si ab extraneo accipiat pecuniam in pia opera ad libitum impendendam; dico *ad libitum*, nam secus foret, si religiosus sit tantum quasi commissarius donatoris, i. e. si donator determinet tale opus pium in specie, v. g. talem pauperem, talem ecclesiam, etc.

10. Si absque justa ratione recuset ea quæ monasterio vel sibi gratuito donantur vel debentur, quia sic actum proprietatis ponit.

Non peccat vero contra votum paupertatis, in duobus casibus sequentibus :

1º Si propria manuscripta servet aut alio transferat; quia habentur ut aliquid spirituale, cum sint partus ingenii. Item de sanctorum reliquiis dicendum videtur.

2º Si aliquid acceptet vel donet sub conditione licentiae obtainendæ; quia actus reipsa suspenditur.

50. — Q. *Quænam materia censenda est gravis in violatione voti paupertatis?*

R. Distinguendum est inter peccata quæ sunt contra justitiam et consequenter simul contra religionem, et peccata quæ sunt contra solam religionem seu votum paupertatis.

1º Si sint contra *justitiam et religionem*.

Disputatur. Varii dicunt eam tantum materiam gravem esse quæ requiritur in furtis filiorum familias ad pec-

catum mortale constituendum, nempe materiam circiter duplo majorem ac in furtis apud extraneos commissis.

Sed juxta Lig. et Gury, probabilius gravis dicenda est materia quæ gravis censetur in furtis apud extraneos commissis, i. e. 1º materia 5 francorum in monasteriis mediocriter opulentis, cum hæc monasteria æquiparentur dominis privatis sat opulentis; 2º materia paulo major, in monasteriis opulentis; et 3º materia adhuc major, tum si religiosus res monasterii in proprium usum usurpet vel aliis ejusdem communitatis donet, ac si in extraneos easdem res erogaret, quia in eadem domo remanent; tum in esculentis et poculentis, ut de famulis, in tractatu *De Justitia*, N° 110, dictum est.

2º Si sint contra solam religionem.

Inter doctores non plane constat. Nihilominus probabilius videtur resolutio sequens:

Generatim, ad materiam gravem requiritur quantitas major quam in casu præcedenti.

Imo requiritur quantitas multo major (juxta varios sextuplo major seu circiter 50 franci) si religiosus accipiat bona ab extraneis in alios eroganda, quia tunc multo minor est actus proprietatis quam si hæc in proprium usum retineret.

Quinimo materia non fit gravis, seu peccatum veniale non excedet, in tribus casibus sequentibus: 1º si religiosus rem aliquam communitatis, v. g. librum, clam accipiat seu mutuet ad usum proprium, etiam diuturnum, non autem perpetuum, v. g. rem occultando; 2º si communitatis rem mutuo cedat extraneis, modo sit certus de restituzione facienda, nec tali mutuo communitati grave damnum inferatur, v. g. ex eo quod careat usu rei hic et nunc multum necessariæ; 3º a fortiori, si communitatis rem mutuo cedat aliis religiosis ejusdem monasterii.

51. — q. *Quænam circa licentiam superioris notare juvat?*

r. Desuper tria teneantur sequentia :

1º Triplex distinguitur superioris licentia, scilicet: expressa, tacita, et præsumpta. Igitur 1º certo sufficit, ut patet, licentia *expressa*. 2º Sufficit licentia *tacita*, etiamsi superior adiri possit: quia tacita, utpote contenta in alio, existit de facto, vel saltem ex circumstantiis prudenter judicatur existere; dum licentia *præsumpta* non supponitur de facto existere, sed tantum ex litura si peteretur. Attamen 3º sufficit licentia *præsumpta*, quando superior adiri nequit et urget necessitas.

2º Si superior tibi religioso dederit licentiam rem aliquam determinatam habendi, adhuc valet, etiamsi ipse ab officio discesserit.

3º Si tu religiosus licentiam habeas dandi aliquid quibuslibet, Caius, ejusdem communitatis, habet eo ipso facultatem acceptandi, quia dare et accipere sunt correlativa, et proinde licentia ad unum censemur etiam esse ad alterum.

§ II.

De voto castitatis.

52. — q. *Quotuplex et quale est objectum voti castitatis?*

r. Votum *castitatis* duplex habet objectum, scilicet : 1º abstinentiam ab illis quæ sexto et nono decalogi præcepto prohibentur, i. e. a luxuriæ peccatis externis et internis, quæ lege naturali et divina omnibus prohibentur; 2º abstinentiam insuper ab illis quæ in legitimo matrimonio licita fieri possunt; ita ut matrimonii usus nuptis licitus, jam religioso fiat illicitus.

q. *Quale ergo est religiosi peccatum contra primam vel secundam abstinentiam commissum?*

r. Religiosus peccans contra primam abstinentiam, pec-

cat dupli peccato, scilicet contra virtutem castitatis et religionis; peccans vero contra secundam abstinentiam, peccat unico peccato contra solam virtutem religionis.

Ex his intelligitur quod votum castitatis latius pateat quam virtus castitatis, cum quandoque violari possit votum quin violetur ipsa virtus, v. g. si quis, voto simplici religionis ligatus, absque dispensatione validum contraheret matrimonium, eoque indiscriminatim uteretur.

q. *Quantum contra religionem peccatum committit religiosus violans primam abstinentiam?*

r. In peccatis contra primam abstinentiam seu in peccatis luxuriæ, eadem est gravitas contra votum ac contra castitatem; i. e. si peccatum aliquod sit grave vel leve contra castitatem, simul est grave vel leve contra religionem.

§ III.

De voto obedientiæ.

55. — q. *Ad quid religiosus, emittens votum obedientiæ, se obligare censemur?*

r. Prout ex supra dictis intelligitur, religiosus ille se obligare censemur ad obediendum, non in quibuscumque rebus quæ a superiore jubentur, sed in illis tantum quæ a superiore *legitime* præcipiuntur.

q. *Quandonam superior præcipit legitime?*

r. Legitime præcipit superior, si *inhibeat juxta regulam et constitutiones ordinis*.

Dico 1° si *inhibeat*; unde contra votum non peccat religiosus non præstans ea quæ a superiore tantum *suantur*; quod ex ejus verbis, modo loquendi aut variis rerum adjunctis colligendum est.

Dico 2° *juxta regulam*..... Itaque religiosus obediare non tenetur, si superior præcipiat, non *juxta* sed *extra* vel contra vel supra regulam. Jubet *extra* regulam, si præ-

cipiat rem plane otiosam seu impertinentem; atqui ad inutile nemo tenetur. Jubet *contra* regulam, si præcipiat rem evidenter illicitam; atqui votum nequit esse vinculum iniquitatis. Jubet *supra* regulam, si præcipiat ea quæ sunt physice vel moraliter impossibilia; atqui ad impossibile nemo tenetur. Sunt autem moraliter impossibilia ea quæ religiosus sine gravi suo damno adimplere non potest, v. g. exercere magnas macerationes, inservire prælantibus, pestiferis, nisi sint pestiferi ejusdem ordinis; atqui, in talibus obedire non tenetur, quia actus heroici, sicuti non cadunt sub præcepto, sic quoque generatim non cadunt sub voto; nisi religiosus tales vel similes actus expresse vovisset, quod in quibusdam ordinibus religiosis locum habet.

Dico 5º juxta *regulam et constitutiones*, i. e. non tantum in rebus quæ in regula vel in constitutionibus continentur *expresse*, sed etiam quæ continentur *implicite*. Verum in regula vel constitutionibus implicite contineri censentur, non tantum statuta legitime condita ad regulæ et constitutionum observationem, sed insuper quidquid pertinet ad officia communilitatis rite obeunda, vel ad rectam communilitatis administrationem; ac proinde in illis rebus superiori obedire tenetur religiosus.

54. — Jam superest triplex quæstio: 1º quomodo differat votum obedientiæ solemne a simplici; 2º quomodo differat votum obedientiæ a virtute obedientiæ; 3º quandonam religiosus peccet mortaliter contra votum obedientiæ.

Q. *Quanam sunt præcipuae differentiae inter effectus a voto obedientiæ solemni et simplici productos?*

R. Votum solemne obedientiæ a voto *simplici* ordinario seu approbatione non papali sed episcopali stipato, differt præsertim in duobus:

1º Quod, in simplici, dispensatio multo facilius obti-

neri possit quam in solemnī, cum illud nonnisi a Papa et gravissima de causa solvi possit.

2º Ut suprā de religiosis proprie et impropriē dictis notatum est, votum simplex obligationem religiosi sine superioris licentia contractam, reddit illicitam quidem, sed non invalidam, licet superior eam quandoque irritare valeat; votum autem solemnē talem obligationem reddit invalidam, seu religiosi voluntatem auctoritati superioris ita obstringit ut ille absque hac licentia nullam amplius obligationem, neque naturalem neque civilem, valide contrahere valeat.

q. *Quomodo differt votum obedientiae a virtute obedientiae?*

r. *Votum obedientiae a virtute obedientiae differt praeципue in hoc, quod votum respiciat tantum actus externos, i. e. executionem externam mandati superioris; virtus vero respiciat actus tum externos, tum internos seu internam animae submissionem.*

Ex hoc intelligitur, 1º virtutem obedientiae latius patere quam votum obedientiae; et 2º religiosum, per inobedientiam externam, duplex committere peccatum, scilicet, contra virtutem obedientiae et contra religionem; et per inobedientiam pure internam, eum peccare non contra votum sed tantum contra virtutem obedientiae.

Idem existit discriumen inter votum paupertatis et virtutem paupertatis. Idem variū extendere volunt ad votum castitatis et virtutem castitatis; sed ex dictis supra, satis intelligitur quod hoc non videatur posse admitti.

q. *Quandonam religiosus contra votum obedientiae peccat graviter?*

r. Peccat *graviter*, juxta Gury, in tribus casibus sequentibus:

1º Quando recusat obedire superiori præcipienti in virtute sanctae obedientiae, vel in nomine Christi, aut per alias similes formulas; quæ tamen rarissime a superiore sunt adhibendæ.

2º Quando superiori, absque ejusmodi formulis præcipienti respondet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam*, aut aliud simile quod contemptum formalem auctoritatis præcipientis redoleat.

3º Per accidens, quando ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, sive subditorum sive saecularium, aut aliud grave incommodum.

In cæteris casibus, inobedientia peccatum veniale non excedit. Cum autem tres dati casus peccati mortalis raro accidant, communiter peccata religiosorum contra obedientiam nonnisi ut venialia reputanda sunt. Multo rarius adhuc peccata in solam obedientiæ virtutem commissa, mortalia peccata sunt.

Nota 1º. Nomine *superioris* veniunt, non tantum supremus superior ordinis vel domus, sed etiam sub eo præpositi ex superioris parte præcipientes, cum tunc eadem sit auctoritas quæ mandatum injungit.

Nota 2º. Episcopi Belgii concilio Vaticano exposuerunt quod, præter monasteria stricte dicta, existant in Belgio quasi innumeræ, et quidem in singula dioecesi ducentæ vel trecentæ, piæ tum virorum tum seminarum familiæ quæ quibusvis operibus zeli et charitatis in proximum occupantur. Tales domus passim reguntur, aiunt, juxta spiritum ss. canonum in illis quæ spectant ad novitiatum, separationem a profanis, spiritum paupertatis, etc.; sed illas reducere ad apices juris et submittere congregationi Romanæ est impossibile. — Itaque a concilio Vaticano postularunt: Ut auctoritas episcopi sit et maneat in omnia monasteria fratrum laicorum et sororum, ita quidem ut ad episcopum recurratur pro omni administratione spirituali et temporali.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Sextuplici capite agimus 1º de sacramentorum natura,
2º de materia et forma, 3º de effectibus, 4º de ministro,
5º de subjecto, 6º de cæremoniis et sacramentalibus.

CAPUT I.

DE SACRAMENTORUM NATURA.

Dicimus de sacramentorum definitione, existentia et numero, ordine, divisione.

Prænota. Tripliciter sumitur vox *sacramentum*: 1º pro re sacra et occulta seu pro mysterio, v. g. apud s. Paulum: *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ*; 2º pro omni signo rei sacræ, v. g. apud eundem s. Paulum: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia*, i. e. matrimonium primævum fuit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; 3º proprio sensu, prout hic agitur, pro signo sensibili ad hominum sanctificationem divinitus instituto.

1. — q. *Quid est sacramentum, in genere sumptum?*

r. Sacramentum *in genere* seu sub veteri et nova lege consideratum, est signum sensibile, divinitus institutum, ad significandam vel procurandam gratiam.

Q. *Quid est speciatim sacramentum veteris legis?*

R. Est signum sensibile, divinitus institutum, præcipue ad significandam gratiam per Christum dandam.

Sacmenta veteris legis *conferebant* quidem quamdam gratiam seu sanctitatem, scilicet imperfectam et legalem, consistentem in aggregatione ad populum Dei, in externa aliqua consecratione vel expiatione; sed illa gratia, illa sanctitas imperfecta *significabat*, præfigurabat gratiam seu sanctitatem perfectam, i. e. gratiam sanctificantem, per Christum dandam. De sacramentis veteris legis, agimus infra, N^os 21 et 22.

Q. *Quid est sacramentum novæ legis?*

R. Est signum sensibile, a Christo permanenter institutum, ad significandam et conferendam homini gratiam.

Dico 1º signum *sensibile*, i. e. sensu aliquo perceptibile, prout sunt v. g. aqua et ablutio in baptisme, externa manifestatio contritionis in pœnitentia, species consecratæ in Eucharistia.

Dico 2º *a Christo institutum*. Etenim, ait Franzelin, sicut sacramenta novæ legis sunt instrumenta Dei et Christi ad hominum sanctificationem, ita solus Deus sanctificator potestate *auctoritatis* independente, Christus redemptor secundum humanitatem potestate *excellentiae* sacramentorum eorumdem institutor credi debet; idque tenendum est hoc sensu, ut Christus ipse per se, dum visibilis versabatur in terris, sacramenta omnia novæ legis instituisse intelligatur, non vero mediate tantum et auctoritate apostolis attributa.

Dico 3º institutum *permanenter*, i. e. quamdiu permanebit forma religionis christianæ pro qua institutum est, ut patet in sacramentis veteris legis.

Dico 4º *ad significandam et conferendam gratiam*. Alia autem est gratia seu res sacra quam significat, et alia quam producit hoc signum sensibile. Itaque:

Q. *Quasnam gratias significat signum hoc sensibile?*

R. Sacramentum est signum non unius sed trium rerum seu gratiarum, scilicet est signum 1º demonstrativum gratiae quam etiam confert; 2º commemorativum Christi passionis, quae nobis gratiam meruit; 3º pronosticum futuræ gloriæ, ultimi sanctificationis finis, juxta canticum: *O sacrum convivium, in quo... recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Q. *Quasnam gratias producit signum hoc sensibile?*

R. Duplex est gratia seu res sacra quam *producit* hoc signum, scilicet 1º gratia, tum sanctificans tum sacramentalis; 2º character, in sacramentis characteristicis.

Sacmenta autem novæ legis relationem habent tum ad sacramenta veteris legis, tum ad bona cœlestia. Hanc relationem exponit Franzelin modo sequenti:

Sicut universim Ecclesia novi Testamenti media est inter œconomiam mosaïcam tamquam umbram præfigurantem, et inter Jerusalem cœlestem tamquam finalem perfectionem, ita nominatum hæc duplex relatio obtinet in sacramentis. Sacmenta enim vetera in synagoga mosaïca typi sunt et promissiones sacramentorum novorum in Ecclesia Christi; hæc autem nova sacramenta sunt pignora et præparations ad bona æterna in Ecclesia cœlesti, ubi res ipsa sacramentis significata manet sine signis, et nihil jam est in figura sed omnia sunt in veritate.

Unde, œconomia antiqua se habet ad Ecclesiam Christi, sicut Ecclesia Christi in terris se habet ad Ecclesiam cœlestem. Sicut enim synagoga mosaïca erat poedagogia et præparatio ad Ecclesiam Christi in terris, ita Ecclesia ad Jerusalem cœlestem est præparatio, ipsa media inter umbram veterem et consummationem futuram in patria. Hinc, ipse Paulus, ad Hebr. X, distinguit umbram in veteri Testamento, imaginem in novo Testamento, et res ipsas in cœlo, ita ut per umbram ad imaginem, et per imaginem ad rerum possessionem plenam humanum genus

deducatur. Si igitur comparetur novum Testamentum cum veteri, se habet ut corpus ad umbram; si conferatur cum consummatione in patria, vicissim se habet ut imago ad res ipsas.

Nota 1º. Ex dictis intelligitur quod a ratione sacramenti excludenda sint sequentia: 1º transitus maris rubri, manna, serpens æneus, immolatio Isaac, etc.: quia, licet rem aliquam spiritualem figurarent, non erant tamen quid stabile a tota religione frequentandum; 2º sacrificium, quod ordinatur ad Deo cultum exhibendum, sacramentum vero, ad hominis sanctificationem; 3º martyrium, quod non est institutum a Deo, sed ab inimicis fidei; 4º sacramentalia, de quibus vide infra, N° 41.

Nota 2º. Veram sacramenti notionem perverterunt protestantes. Admittunt quidem sacramentum esse signum externum, sacrum ritum et cæremoniam; sed id quod ei intrinsecum est et quasi ejus animam constituit, rejiciunt: efficaciam scilicet seu vim sanctificandi, quam soli fidei tribuendam esse contendunt. Quapropter variæ quas tradiderunt sacramenti definitiones, fere reduci possunt ad hanc: *Sacramentum est ritus et signum divinitus institutum ad excitandam fidem vel ad dignoscendos Christi fideles.*

2. — Sacraenta novæ legis aliis perficiuntur et aliis componuntur.

q. *Quibusnam sacramenta perficiuntur?*

r. *Perficiuntur tribus, juxta concilium Florentinum, « 1º rebus, tamquam materia; 2º verbis, tamquam forma; 3º persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum unum si desit, non conficitur sacramentum. »*

Non autem semper necessario requiritur *subjectum suscipiens*, ut patet in conficienda Eucharistia.

Q. Quibusnam sacramenta componuntur?

R. Componuntur seu constant iisdem rebus, verbis quibus perficiuntur; excepta Eucharistia, quam ne et vino perficitur quidem, sed iisdem non componi, cum sit sacramentum permanens, quod ex rebus transversus componi non potest.

Sed sacramenta non constant *persona ministrorum*, licet persona ministri ejusque intentio necessaria, tantum, perficiuntur ad sacramentum perficiendum, non tamen quae diuntur compositionem sacramenti, sed sunt quidam regula instrumentum extrinsecum, scilicet causa instrumentalis illius.

Hinc recte ait Franzelin: Si in sacramentis ratio physica signorum spectetur, sacramenta veteris Testamenti merito dicuntur constitisse solum rebus quibusdassive actionibus, comparate ad sacramenta novi Testamenti minus expressae significationis. Sacramenta autem novi Testamenti omnia conficiuntur et constant duplice parte signi: una, quae est res vel actio minus determinatae significationis; altera, quae est vel proprie vel saltem virtualiter verbum determinans expressius significationem: unde aptissime dicuntur confici *rebus tamquam materia et verbis tamquam forma*.

Itaque sacramenta novae legis, pergit idem auctor, utpote non amplius umbra, sed ipsa imago rerum, signis clarioribus constituuntur, praesertim quoad significationem principem quae non jam est futurorum sed significationis praesentis. Unde omnia constant non solis rebus et actionibus symbolicis adumbrantibus, ut illa vetera, sed simul etiam verbis significantibus et consecrantibus. Esse autem signa sacramentalia novi Testamenti ita instituta in rebus et verbis, demonstratur inspectione ipsius ritus essentialis in singulis, ut partim in Scripturis ipsis describitur, partim in apostolica traditione innotescit. Ritus enim qui universalis et constanti ecclesiarum catholicarum consentione tamquam necessarius ad valorem sacramenti observatur et

creditur, sine dubio ut essentialis a Christo apostolis, ab apostolis Ecclesiae consignatus est. Jam vero, quamvis propter obscuritatem consensus in usu et doctrina de nonnullis partibus rituum sacramentalium, dubium esse possit, utrum sint essentiales ad valorem, ut in suis locis videbitur; constat tamen universaliter usu et doctrina de partibus certo essentialibus ita, ut omnia sacramenta novi Testamenti confici intelligentur rebus et verbis, quae proprie vel saltem virtualiter et æquipolenter verba sint. In quinque quidem sacramentis pars hæc ultraque est prorsus manifesta; in sacramento vero pœnitentiæ et matrimonii non de veritate ipsa partis utriusque, sed potius de modo, quo in iis *res ac verba* se habeant, potest esse aliqua dubitatio.

5. — q. *Quænam sunt novæ legis sacramenta?*

r. De fide est quod existant numero septem: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Uncio, Ordo, Matrimonium. Id autem probatur triplici argumento:

Probatur 1º s. Scriptura, quæ passim de singulo sacramento loquitur, ut in singulis tractatibus videre est.

Probatur 2º traditione: nam, ut ait Franzelin, septem esse novæ legis sacramenta proprie dicta, ecclesiarum christianarum (non exceptis communionibus orientis vetusto schismate ab Ecclesia catholica divulsis) professio est unanimis; hæc autem unanimitas plane demonstrat, septenarium hunc numerum ab ipso Ecclesiæ Conditore fuisse institutum, et per apostolos traditum.

Probatur 3º ratione congruentiae: etenim *congruus* est septenarius ille numerus, quia respondet ad omnes vitæ spiritualis necessitates, sive in individuis, sive in communitate seu Ecclesia. Nam, in vita *naturali*, homo individuus nascitur, roboratur, alitur, si in morbum incidat medicina sanatur, et sublatis morbi reliquis perfectæ incolumitali restituitur; humana vero societas propagari de-

bet et legitimo regimine gubernari: ita in vita *spirituali*, homo *nasci*, *roborari*, *ali*, *sanari*, *reconvalescere*, Ecclesia vero *propagari* et *regi* debet: patet autem septuplum hanc effectum spiritualem per septem sacramenta produci.

4. — q. *Quotuplex et qualis distinguitur ordo sacramentorum inter se?*

r. Distinguitur quadruplex: ordo 1º relationis, 2º dignitatis, 3º necessitatis, 4º prioritatis seu usus.

1º Ordo *relationis*, i. e. juxta relationem quam habent sacramenta ad vitam spiritualem, comparatam cum vita naturali, est ordo N° præcedenti datus, seu 1º baptismus, 2º confirmatio, etc.

2º Ordine *dignitatis*, inter cætera supereminet Eucharistia, in qua Christus ipse continetur, et ad quam velut ad centrum cætera omnia referuntur. Quoad cætera, confirmatio et ordo sunt aliis digniora ob excellentiam ministri conferentis; et baptismus est aliis dignius ob excellentiam effectuum.

3º Ordine *necessitatis*, alia sunt necessaria necessitate *medii*, scilicet baptismus, qui est janua Ecclesiæ et cœli; et poenitentia, pro iis qui post baptismum in peccato mortali versantur. Alia sunt necessaria necessitate *præcepti*, i. e. cætera omnia, ultimis duobus exceptis, quæ non sunt necessaria pro privatis, sed tantum pro communitate.

4º Ordo *prioritatis* in sacramentis recipiendis, alius est observandus proeorum valore, et sic solus baptismus cætera præire debet; alius servandus est pro liceitate, et sic confirmatio præire debet ordinem, ordo inferior superiorum, in relapso poenitentia Eucharistiam, etc.

5. — q. *Quomodo dividuntur sacramenta novæ legis?*

r. 1º In sacramenta *vivorum* vel *mortuorum*, prout ex primaria sua institutione producunt gratiam sanctificantem

secundam, i. e. quæ de justo facit justiorem; vel *primam*, i. e. quæ de injusto facit justum.

2º In *imprimentia* vel non *imprimentia* characterem in anima. Characteristica sunt baptismus, confirmatio et ordo.

3º In *necessaria* vel *libera*, ut N° precedenti dictum est.

4º In *formata* vel *informia*, prout gratiam producunt dum suscipiuntur; vel, intercedente obice, effectum suum hic et nunc non producunt. *Informia* autem subdividuntur in *reviviscentia* et non *reviviscentia*, juxta dicenda infra, N° 18.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA.

Tripli paragrapho dicimus 1º de materiæ et formæ natura, 2º de earum mutatione, 3º de iteratione, in dubio de earum validitate.

§ I.

De natura materiæ et formæ.

6. — q. *Quid est sacramentorum materia?*

r. *Materia* est res sensibilis vel actio quæ adhibetur ad esse sacramentale determinandum; v. g. in baptismo aqua, ablutio.

q. *Quotuplex distinguitur materia?*

r. Duplex distinguitur materia: remota et proxima. *Remota* est ipsa res considerata in se, v. g. aqua in baptismo; *proxima* est applicatio rei, ad esse sacramentale constituendum, v. g. ablutio in baptismo.

q. *Quid est forma?*

r. *Forma* est id quod determinat materiam ad esse sacramentale constituendum; idque ordinarie consistit in verbis ministri. Dico *ordinarie*, quia, in matrimonio, con-

sistere potest in contrahentium nutibus aut aliis signis externis.

Supra, N° 1º, dictum est Christum per seipsum seu immediate instituisse omnia novae legis sacramenta. Jam vero exurgit quæstio de modo quo Christus, singulum sacramentum instituens, determinaverit materiam et formam in eo adhibendas: utrum scilicet Christus eas determinaverit, ut dicitur, *in specie*, an vero tantum *in genere*. Determinatio *in specie* est illa, qua materia et forma designantur eo modo prout in quotidiano usu vitæ humanæ intelligitur; v. g. si, pro baptismi materia, designetur aqua naturalis, et pro forma, talia verba quoad substantiam seu quoad sensum determinata. Determinatio autem *in genere* est illa, qua pro materia et forma determinatur adhibendum esse signum aliquod sensibile et vocale, ita ut Ecclesiæ competit ex hujusmodi rebus et verbis eligere res et verba quæ sibi magis convenient.

Q. Quomodo ergo Christus, *sacmenta instituens*, determinavit materiam et formam adhibendas?

R. Imprimis, certum est Christum eas determinasse aliquo saltem modo. Cum enim sacramenta, ait Franzelin, signa gratiæ sint ex *institutione*, materia et forma, utpote partes essentiales ex quibus ratio signi componitur, ab ipso sacramentorum institutore determinatae sunt sin minus in infima semper specie, saltem intra eam latitudinem, ut significatio ab institutore intenta semper maneat integra.

Hinc, 1º Christum eas determinasse *in specie*, certum est pro baptismo et Eucharistia; item communius teneatur pro pœnitentia, extrema-unctione et matrimonio. Sed 2º quoad confirmationem et præsertim quoad sacramentum ordinis, non constat utrum in specie an vero in genere Christus materiam et formam determinaverit; ratio autem præcipua cur varii, contra alios, teneant pro determinatione generica tantum, est, quia Ecclesia græca

non eosdem adhibet ritus quos adhibet Ecclesia latina, et quia latina non omnes eosdem adhibet quos adhibuit olim.

Q. Da tria principia fundamentalia circa usum materiae et formae in sacramentorum administratione seu confectione.

R. 1^m Principium. Ad sacramentorum confectionem licitam, extra casum necessitatis, saltem regulariter, requiritur ut materia et forma sint moraliter certae. Ratio est, quia non licet uti probabilitate ubi agitur de valore sacramenti, nisi urgeat necessitas: probabilitas enim periculum invaliditatis non removet.

Dico 1^o extra casum *necessitatis*. Hujusmodi autem *necessitas* vix in aliis sacramentis locum habere potest quam in baptismō et pœnitentia.

Dico 2^o *saltem regulariter*: nam ubi agitur v. g. de dispositione necessaria ad sacramentum pœnitentiae, de hac sacramenti materia vix aliud quam prudens quoddam ac probabile judicium haberī potest.

2^m Principium. Ad sacramentorum confectionem validam, requiritur ut materia et forma uniantur seu applicantur ab eodem ministro, et erga idem subjectum. Ratio est, quia, si unus materiam et alter formam poneret, verba formae non verificarentur; minister enim qui v. g. diceret: *Ego te baptizo*, dum alter effunderet aquam, falsum proferret, siquidem non baptizaret.

3^m Principium. Ad sacramentorum confectionem validam, requiritur inter materiam et formam quædam simultas, i. e. ut eodem tempore adhibeantur.

Duplex autem distinguitur simultas: physica et moralis.

Physica requiritur pro Eucharistia, quia consecrationis verba *hic* et *hoc* denotant materiam esse præsentem.

Sed simultas *moralis* variam admittit latitudinem, nunc minorem nunc majorem, pro singuli sacramenti natura. Sic, latitudinem *majorem* admittunt sacramenta pœnitentiae et matrimonii: quia pœnitentia instituta est per modum

judicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen; et quia matrimonium habet rationem contractus, in quo sufficit ut consensus unius ponatur dum consensus alterius adhuc moraliter perseverat. Latitudinem vero *minorem* admittunt confirmatio, extrema-unctio, ordo, et præcipue baptismus.

§ II.

De mutatione materiae et formæ.

8. — q. *Quotuplex distinguitur mutatio materiae et formæ?*

r. Distinguitur duplex, tum in materia tum in forma: mutatio *substantialis* vel *accidentalis*.

q. *Quænam mutatio dicitur substantialis vel accidentalis?*

r. Mutatio est *substantialis* in materia, si hæc eadem dici non possit, juxta hominum usum et æstimationem, ac ea quæ a Christo determinata est, v. g. in baptismo si adhibetur vinum loco aquæ; in forma vero, si sensus verborum a Christo intentus in aliud mutetur, v. g. in baptismo si dicatur: *mundo loco baptizo*.

Mutatio *accidentalis* in materia, est ea quæ versatur tantum circa rei qualitatem, v. g. si in baptismo adhibetur aqua non benedicta aut minus munda; in forma vero, ea quæ verborum sensum non mutat, v. g. si loco *baptizo* dicatur *abluo*.

9. — Quoad mutationem *formæ* inquiruntur duo sequentia:

q. *Quotupli modo effici potest mutatio formæ?*

r. Hujusmodi mutatio fieri potest septem modis, juxta versiculos:

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.

Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Quoad sextum modum seu *corrumpere verba*, animadvertisendum est, quod mutatio multo facilius sit substan-

tialis si fiat in principio quam in fine verborum, v. g. dicendo: *Matris loco Patris*, quia in initio potius quam in fine residet radix seu verborum significatio.

Q. *Quum forma, ex facta mutatione, habere possit sensum vel certo falso, vel æquivocum, vel verum, inquiritur an circa validitatem aliquid faciat intentio ministri?*

R. 1º Si sensus sit *falsus*, intentio ministri formam non convalidat.

2º Si sensus sit *æquivocus*, i. e. si adsit sensus duplex, unus falsus et unus legitimus, forma est invalida vel valida, prout minister intendit sensum falso vel legitimum.

3º Si sensus sit *verus*, mutatio non est nisi accidentalis, et intentio ministri formam essentialiter validam invalidare non potest. Attamen, si falso putaret minister hanc mutationem esse essentialem, sacramentum regulariter non conficeret, non quidem ratione formæ quæ de se est valida, sed defectu intentionis faciendi id quod facit Ecclesia.

Q. *Quænam sunt itaque duo principia circa mutationem materiae vel formæ?*

R. 1º *Principium.* Si mutatio sit *substantialis*, 1º sacramentum invalidat, quia non amplius adest idem ritus; consequenter 2º si voluntarie fiat, constituit peccatum grave contra religionem, contra charitatem, et contra justitiam si ministro cura animarum incumbat ex officio.

2º *Principium.* Si mutatio sit *accidentalis*, 1º per se sacramentum non invalidat; attamen 2º per se constituit peccatum contra religionem, grave vel leve, prout mutatio est notabilis vel non; imo nullum est peccatum, si mutatio fiat ex justa causa, vel si a culpa excusat ignorantia, v. g. in laïco baptizante, non vero in obstretrice, vel in sacerdote sacramenta ex officio conferente, cum hi callere debeant ea quæ sunt sui officii.

§ III.

De iteratione sacramenti in dubio de valore.

10. — q. *In dubio de alicujus sacramenti valore an illud iterare licet?*

r. Si exurgat dubium circa valorem materiæ vel formæ in alicujus sacramenti collatione, videndum an istud dubium sit prudens vel non. Si non sit prudens, sacramenta iterari non possunt; si sit prudens, iterari vel possunt vel debent. Igitur,

1º Si dubium non sit prudens, sacramenta iterari non possunt; idque prohibetur sub gravi, quia, prorsus inutili iteratione sacramenti, ei gravis injuria irrogatur.

2º Si dubium sit prudens, sacramenta sub conditione iterari 1º possunt, tum ne suscipiens fructu sacramenti privetur, tum quia per appositionem conditionis satis prospicitur honori sacramenti; imo 2º debent, quoties id postulat religio vel charitæ vel justitia, i. e. quoties ex religione vel ex charitate vel ex justitia administrari debuissent.

Circa hujusmodi dubium practice notare juvat sequentia:

Facilius *judicatur prudens*, dubium quod versatur circa sacramenta magis necessaria, illaque proin facilius repetenda sunt, scilicet baptismus et ordo. Sic quoque, in dubio de prolatione absolutionis, facilius repetenda est forma si pœnitens versetur in statu peccati mortalis quam si in statu peccati venialis, ubi ei communio absque absolutione permitti potuisset.

Quum autem sacramenta baptismi et matrimonii non raro sint iteranda in casu ubi conjuges hæretici ad fidem convertuntur, facile continget iterandum fore baptismum, non vero matrimonium: ad iterationem enim baptismi sufficit ut adsit dubium, non quidem grave, sed prudens ac rationabile circa validitatem prioris baptismi; dum

ad iterationem matrimonii, ex variis decisionibus Romanis constat quod non sufficiat simplex dubium circa prioris matrimonii valorem, sed probabilitas requiratur tanta ut morali certitudini æquivaleat, seu requiratur ut de prioris matrimonii invaliditate constet: non enim absque magno incommodo peteretur novus consensus ab ejusmodi nuptiis, qui illum quandoque libenter denegarent. Igitur in hoc casu, Ecclesia *stat pro valore actus*, quemadmodum et vult ut reddatur debitum conjugale in dubio de valore matrimonii. Vide *De Baptismo*, N° 22.

Prudens non judicatur dubium, saltem regulariter, in tribus casibus sequentibus: 1º si minister dubitet leviter nesciatque cur timeat; 2º si solum non recordetur reflexe se verba formæ protulisse, tuncque *per se* graviter peccat si formam iteret: sic v. g. in missa, si post consecrationem dubium oriatur de formæ debita prolatione vel totali omissione, nihil repetere licet, quia, cum hæc omittere non soleat quis, judicandum est ex communiter contingentibus; secus tamen, si valde probabiliter dubitet, ut loquitur rubrica; 3º si unum vel alterum verbum formæ ter vel quater repetat; ubi *per se* quoque graviter peccat. Bis dixi *per se*, nam practice, scrupulosi, qui formam vel quædam verba repetunt, plerumque a peccato gravi, imo sæpe a levi excusandi sunt, quia, nimiis agitati scrupulis, sine advertentia ad irreverentiam, stulte ita agunt.

CAPUT III.

DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

De fide est, post Tridentinum, sacramenta novæ legis producere effectus suos, scilicet gratiam et characterem, et quidem ex opere operato non ponentibus obicem. Sic contra protestantes, docentes sacramenta instituta non

esse nisi ad excitandam vel enutriendam fidem, nec aliud efficere quam illud quod efficit evangelii prædicatio.

Quintuplici paragrapgo statuimus 1º quinam sint hi effectus, 2º quomodo, et 3º quandonam sacramenta hos effectus producant; addimus 4º de obice, 5º de effectibus sacramentorum ante adventum Christi.

§ I.

Quinam sint sacramentorum effectus.

11. — q. *Quinam sunt sacramentorum effectus?*

r. Duplex distinguitur effectus, secundarius et primarius.

Effectus secundarius est *character*, qui est tantum baptismo, confirmationi et ordini proprius.

Effectus primarius est *gratia*. Duplex autem est illa gratia: 1º confertur gratia *habitualis* seu *sanctificans*, sive prima sive secunda; atque simul cum gratia sanctificante infunduntur vel saltem augentur habitus virtutum supernaturalium atque dona Spiritus sancti: scilicet infunduntur, si producatur gratia prima; augentur vero, si producatur secunda; 2º conseruntur gratiae *actuales* seu *sacramentales*.

Jam inquiritur de duplice hoc effectu sacramentali, seu de charactere et gratia.

12. — q. *Quid est character sacramentalis?*

r. Est quædam qualitas animæ impressa, seu signum spirituale et indelibile animæ impressum, quo homo ab aliis distinguitur, et idoneus fit ad nonnulla quæ sunt cultus divini: nimirum, in baptismo, fit idoneus ad cætera sacramenta suscipienda vel ministranda; in confirmatione, ad fidem Christi profitendam; in ordine, ad munia ministerii clericalis rite obeunda. Igitur, quemadmodum in civilibus distinguitur triplex hominum status seu classis, scilicet 1º simplices cives, 2º milites ad defendendum, 3º magistratus

ad gubernandum, sic, in spiritualibus, character baptismi efficit simplices fideles; confirmationis, milites Christi; ordinis, rectores Ecclesiae Christi.

Cum autem character sit indelebilis, ideo remanet in altera vita, in beatis quidem ad gloriam, in damnatis vero ad ignominiam.

De veritate seu existentia hujus characteris, sequentia tradit Franzelin: Praeter effectum gratiae omnibus sacramentis communem, esse alterum tribus proprium, quo in anima imprimunt characterem, i. e. signum quoddam spirituale et indeleibile, doctrina est cuius origo apostolica demonstratur tum ex nota universitatis et consensionis plane constantis, pluribus saltem sœculis antequam prima novatorum negatio audiretur, tum ex continua serie testificationis, in Ecclesia occidentali et orientali, usque ad ætatem apostolicam nunc generalioribus nunc distinctioribus lineamentis consignatae.

Itaque, licet inter catholicos libere disputetur de characteris *natura*, nulla tamen existit controversia de characteris *existentia*, quippe quæ adversus hæreticos negantes est a Tridentino definita.

15. — q. Quamnam gratiam sanctificantem producunt sacramenta 1º mortuorum, 2º vivorum?

n. 1º Sacraenta *mortuorum*, i. e. baptismus et pœnitentia, *per se* seu ex primaria sua institutione causant gratiam sanctificantem *primam*, seu quæ ex injusto facit justum.

Dico *per se*: nam per accidens causant *secundam*, seu quæ de justo facit justiorem, tunc nempe cum recipiuntur ab homine jam justo, i. e. non tantum ab illo qui non habet nisi venialia, sed etiam ab illo qui reus erat mortaliū de quibus ante receptionem fuit perfecte contritus; idque non solum in pœnitentia sed etiam in baptimate adulti contingere potest.

2º Sacraenta *vivorum*, i. e. quinque reliqua, *per se* seu

ex primaria sua institutione causant gratiam sanctificantem secundam.

Dico *per se*: nam per accidens causant *primam*, tunc nempe cum recipiuntur ab illo qui, vel ignorans se esse in mortali, vel sciens quidem sed falso credens se habere contritionem perfectam, ea recipit cum sola attritione; tunc enim per accidens, seu mediante charitate vi sacramenti infusa in subjecto obicem non apponente, de attrito fit contritus, et sic recipit gratiam primam; sacramenta enim semper gratiam conferunt non ponentibus obicem, atqui obex non ponitur ab illo qui est in bona fide, ut hic in casu. Hoc certum est de extrema-unctione, quum hoc sacramentum sit completivum pœnitentiæ, et quum s. Jacobus de eo speciatim dicat: *Si in peccatis sit, remittentur ei*; idque pariter admittitur de aliis vivorum sacramentis, cum eadem videatur esse ratio.

Dico *cum sola attritione*. Itaque, ut sacramentum vivorum sic primam gratiam conferre possit, requiritur saltem attritio, sine qua peccatum destrui nequit. Sed sola attritio sufficit, quia, si requireretur contritio perfecta, peccator semper justificatus ad tale sacramentum accederet, sique vivorum sacramenta nunquam primam gratiam conferre valerent, quod tamen, juxta statim dicta, conferre certo valent.

14. — q. *An illa gratia sanctificans, sive prima sive secunda, que est omnibus sacramentis communis, habet proprietates seu effectus particulares et singulo sacramento proprios?*

r. *Affirmative*, quia singula sacramenta instituta sunt ad finem specialem, et efficiunt id quod significant. Porro, diversæ sunt significaciones singuli sacramenti: hæc enim gratia sanctificans seu habitualis, est, in baptismo, *regenerativa*; in confirmatione, *roboretiva* et *augmentativa*; in Eucharistia, *nutritiva* et *utiliva*; in pœnitentia, *reparativa*;

in extrema-unctione, *pleniū sanativa*; in ordine, *ministrativa*; in matrimonio, *unitiva animorum et refrænativa concupiscentiæ*.

Quæ dicta sunt de gratia sanctificante, quoque intelligenda sunt de gratiis *sacramentalibus*, scilicet quod singulum sacramentum confert gratias sacramentales convenientes fini particulari ad quem institutum est.

Q. *An supradictæ gratiæ, tum sanctificans tum sacramentalis, majores sunt in uno quam in alio sacramento?*

R. Sacraenta distingui possunt vel specie, v. g. baptismus et confirmatio; vel solo numero, v. g. duo baptismi. Jam vero, 1º sacramenta *specie* distincta, conferunt de se, seu supposita æquali dispositione, gratias inæquales; 2º sacramenta solo *numero* distincta, conferunt, ex opere operato, gratias æquales æqualiter dispositis, et gratias inæquales inæqualiter dispositis.

§ II.

De modo quo sacramenta effectus suos producant.

13. — Q. *Quomodo sacramenta novæ legis supradictos effectus producunt?*

R. De fide est quod effectus suos producant ex opere operato, non ponentibus obicem; sed libere disputatur an illos producant tantum moraliter, an insuper physice.

Dico 1º *producunt*, non quidem ut causæ principales, hoc enim solius est Dei; sed ut causæ *instrumentales*: sacramenta enim Ecclesia exhibet ut instrumenta Dei ad homines sanctificandos.

Hinc recte dicit Franzelin: Ut supernaturalis dignitas et ex ea *modus* intelligatur quo sacramenta non solum sunt conditio necessaria sed vera causa collationis gratiæ, tenendum est principium, quod sacramenta, dum fiunt, sunt moraliter actiones Christi redemptoris et summi sacer-

dotis, quas passionis suæ fructum singulis applicandum ipse primum instituit, et per ministros sua auctoritate fungentes jugiter exequitur.

Dico. 2º ex opere *operato*. Notandum est, modum producendi gratiam esse duplicem: ex opere *operatoris* et ex opere *operato*.

Gratia producitur ex opere *operatoris*, quando Deus eam dat intuitu fidei, dispositionis et modi perfecti quo opus ponitur; v. g. si quis, extra sacramentum, eliceat actum charitatis perfectæ et sic remissionem peccatorum et gratiam sanctificantem obtineat. Dicitur obtainere gratiam ex opere *operatoris*, quia Deus ad eam donandam movetur opere pœnitentis. Verbo, opus *operatoris* generativum est operatio actusque meritorius, quo ipse operans sibi vel alteri aliquid meretur aut impetrat.

Gratia producitur ex opere *operato*, quando confertur *necessario*, vi operis externi sacramentalis, i. e. virtute conjunctionis formæ cum materia, et applicationis utriusque ad suscipientem; ita ut fides, spes et charitas sint quidem dispositiones seu conditiones sine qua non ad gratiam obtainendam, minime vero illius causæ effectivæ. Sic, siccitas in ligno, non est causa efficiens combustonis, sed est conditio sine qua non, seu est mere removens prohibens; ita quoque, licet Christus, dum curabat infirmos, requireret fidem in iis quos sanare volebat, sanitas tamen, non fide ipsorum, sed virtute Christi efficiebatur; et ideo supra in responso additur: *non ponentibus obicem*. Aliis verbis, opus *operatorum* intelligitur non subjectiva operatio, sed objective ipsum opus editum per se, quin ratio habeatur meriti hominis qui operatur et qui propriis actibus aut opus ponit aut ejus redditur particeps. Ergo, in sacramentis, opus *operatorum* est ipsum visibile signum sacramentale valide positum.

Dico 3º *moraliter an physice*. Est celebris controversia, salva fide, inter theologos agitata, de modo causandi

effectus, utrum nimirum sacramenta causet gratiam influxu effectivo *physico*, sicut ignis producit calorem; an vero tantum influxu effectivo *moralis*, sicut vox ducis, nomine principis clamans et imperans militibus ut in hostes irruant, est causa pugnae.

Thomistae, cum Suarez, etc., qui tenent causalitatem *physicam*, dicunt quod sacramenta, ut divinæ omnipotentiæ instrumenta, realiter producant effectus in anima suscipientis, virtute supernaturali a Deo sibi communicata et per modum actionis transeuntis sibi indita.

Lessius, cum multis, inter quos Franzelin, qui tenent causalitatem tantum *moraalem*, dicunt sic: sacramenta non sunt quidem nuda signa seu conditiones, quibus positis Deus gratiam infundat; sed sunt veræ causæ morales, possidentes in se excellentiam qua Deum ad producendam gratiam movent: continent enim pretium gratiæ, i. e. meritum Christi, quod ipse singulis sacramentis attribuit, ut per ea nobis gratia conferatur; et sic, sunt *moraliter* actiones ipsius Christi.

Haec sententia de sola efficacia morali videtur conformior Scripturæ ac ss. Patrum locutioni de dignitate et efficacia sacramentorum: per eam enim facile explicatur doctrina catholica, dum altera e contra intelligentiam dogmatis non juvat, sed potius obscurat.

§ III.

Quandonam sacramenta effectus producant.

16. — Sacramenta recipi possunt 1º valide sed infructuose; 2º valide et fructuose. Desuper jam statuuntur tria equentia:

1º Sacramenta effectus suos non producunt antequam realiter suscipientur. Unde, si sacramenta *in voto* tantum fuerint accepta, nec characterem producunt, nec gratiam ex opere operato; ex opere operantis tamen quosdam

producunt effectus gratiæ, minores quidem quam si realiter susciperentur, majores tamen quam conserrentur in supposito quod absit omnis relatio ad sacramenta.

2º *Characterem* producunt sacramenta characteristica statim ac valide, licet insfructuose, recipiuntur.

3º *Quoad gratiam*, 1º dicendum est, sacramenta nuliam gratiam producere eo momento quo recipiuntur *valide* quidem, sed *insfructuose* propter obicem accidentalem; sed ea gratiam conferre eo momento quo reviviscent. 2º Si autem recipientur *valide et fructuose*, distinguendum est inter gratiam sanctificantem et gratias sacramentales: gratia *sanctificans* producitur statim; quod vero spectat gratias *sacramentales*, statim acquiritur jus ad eas, sed postea adultis realiter concedentur, quando erunt necessariae vel utiles ad finem sacramenti consequendum, modo jus illud per peccatum non amittatur, vel receptioni non ponatur obex.

§ IV.

De obice et reviviscentia sacramentorum.

17. — q. *Quid est sacramentorum obex?*

r. *Obex* est obstaculum impediens vel sacramentum vel sacramenti effectum primarium seu gratiam. Hinc ille dicitur, in sacramentorum receptione, *ponere obicem* qui fingit seu simulat se habere rem quæ ad sacramenti alicujus valorem vel fructum requiritur et quæ revera deest. Et proinde soli adulti obicem proprie *ponere* possunt.

q. *Quotuplex distinguitur obex?*

r. Ex definitione intelligitur quod distinguitur duplex: 1º obex *essentialis* seu obex *sacramenti*, scilicet qui reddit sacramentum invalidum, ut v. g. defectus contritionis seu attritionis in suscipiente sacramentum penitentiæ; 2º obex *accidentalis* seu obex *gratiæ*, scilicet qui reddit sacramentum informe, i. e. qui sacramentum, validum quidem,

reddit infructuosum, ut v. g. affectus ad peccatum mortale in suscipiente baptismum vel aliquod sacramentum vivorum. Igitur,

1º Obex *essentialis* seu obex *sacramenti* est inaptitudo ad ipsum sacramentum suscipiendum. Hujusmodi inaptitudo oritur v. g. ex defectu characteris baptismalis quoad omnia reliqua sacramenta; ex charactere jam recepto quoad sacramenta characterem imprimentia; ex sexu femineo quoad ordinem; ex sanitate corporis quoad extremamunctionem; ex impedimentis dirimentibus quoad matrimonium. Sic pariter ejusmodi inaptitudinem constituit defectus necessariae voluntatis et intentionis sacramentum suscipiendi; et in suscipiente sacramentum pœnitentiae, defectus hujus sacramenti materiæ, puta defectus cujuscumque peccati post baptismum commissi, vel defectus contritionis seu attritionis de peccatis commissis.

Hæc de obice essentiali sufficient; et, in sequentibus, de eo vix quidpiam addendum superest.

2º Obex *accidentalis* seu obex *gratiæ*, ad quam efficiendam sacramenta instituta sunt, est animæ dispositio mala, repugnans infusioni gratiæ, seu est animæ indispositio ad gratiam recipiendam, scilicet sive ad recipiendam gratiam primam, sive ad recipiendam gratiam secundam, proportionatam juxta recipientis dispositionem. Etenim, dicta illa indispositio seu obex ille gratiæ non est præcise idem relative ad omnia sacramenta, sed diversus esse potest prout afficit sacramenta mortuorum vel vivorum. Itaque,

Dico 1º *sive ad recipiendam gratiam primam*. Etenim in sacramentis mortuorum, quæ per se seu ex fine proprio instituta sunt ad remissionem peccatorum adeoque ad conferendam gratiam primam, obex non consistit quidem in statu peccati, bene vero in *impœnitentia de peccato mortali commisso*. Ergo, dispositio necessaria ad removendum obicem efficitur *actibus pœnitentie*, ad quos

requiritur fides, spes et voluntas pervenienti ad gratiam Dei, supernaturalis detestatio peccati commissi cum voluntate servandi legem Dei. Vide supra, N° 43.

Dico 2º *sive ad recipiendam gratiam secundam*. In sacramentis autem vivorum, quæ per se instituta sunt ad conferendam gratiam secundam, obex consistit in *conscientia status peccati mortalis*; proindeque dispositio *per se* necessaria removens obicem, est status gratiæ. Dico *per se*: nam per accidens, si adsit non quidem *conscientia status peccati mortalis*, sed simpliciter *status peccati mortalis*, in casu N° 43 memorato (ubi dicimus: 2º sacramenta vivorum.....), suscipiens tunc non ponit obicem, adeoque hæc sacramenta per accidens causant gratiam primam, suscipientemque sanctificant.

Dico 5º *proportionatam juxta recipientis dispositionem*, seu, ut ait Tridentinum, *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem*; non quidem hoc sensu, quod dispositio aliqua, præ alia melior, habeat rationem *meriti* cui debeatur grata abundantior; sed eo sensu, quod dispositio rationem habeat *conditionis sine qua non*, cui sacramenta ex opere operato conferunt gratiam secundam, plus minusve abundantem.

Q. *Quantum peccat ille qui, in sacramentorum receptione ponit seu non removet obicem, tum essentialium tum accidentialeum?*

R. Si hujusmodi obicem vere et *positive* ponat, i. e. vel si scienter et voluntarie sacramentum recipere intendat cum obice sacramenti, vel si sacramentum mortuorum recipiat cum impenitentia de peccato mortali commisso, vel si sacramentum vivorum recipiat cum conscientia status peccati mortalis, committit peccatum mortale sacrilegii, quia sacramentum reddit vel nullum vel inane seu informe.

18. — Q. *In quonam consistit sacramentorum reviviscentia?*

R. Consistit in hoc, quod sacramentum informe, i. e. valide sed infructuose susceptum, remoto obice, in susci-

piente gratiam producat. Hi enim sacramenti effectus remanebant in acceptione divina, et sic, propter obicem, hærebant suspensi; sed, remoto obice, applicari debent.

Patet, hic non agi de sacramentis propter obicem essentialem invalidis, cum non possint iterum vivere seu reviviscere quæ nunquam vixerunt.

Q. Quænam sacramenta possunt esse propter obicem accidentalem informia?

R. Probabilius omnia. Negant quidem varii cum Biluart de pœnitentia, quia contritio est hujus sacramenti materia; atqui, inquiunt, si contritio sit insufficiens, invalidum est sacramentum; si sufficiens, validum est sacramentum, et peccata statim remittit. *Affirmat* tamen ut probabilius Lig. cum Lugo et aliis, quia dari potest certus gradus inferior dispositionis qui satis sit ad sacramenti materiam, non tamen ad actualem justificationem sufficiat; ut in duplice casu seq.: 1º si quis, duplicitis peccati reus, ex invincibili oblivione alterius tantum doleat, et hoc solum confiteatur; 2º si quis ex ignorantia invincibili crederet, non esse peccatum grave accedere ad confirmationem sine dolore de omnibus, dum tamen dolor adest de aliquo.

Q. An sacramenta informia reviviscere possunt?

R. *Affirmativa*, 1º videtur certa pro baptismo, ob characterem et baptismi necessitatem; 2º est multo probabilius pro confirmatione et ordine, ob characterem, quæ sacramenta proin iterari non possunt; 3º est probabilis pro extrema-unctione et matrimonio, licet non imprimant characterem in quo virtualiter remaneant: quia hæc sacramenta, stante eodem morbo vel eodem conjugio, iterari non possunt. Item, juxta Gury et Lig., probabilis est pro pœnitentia, non vero pro Eucharistia.

Q. Qualis dispositio in subjecto requiritur ut hæc sacramenta informia reviviscant?

R. Requiritur ea dispositio quæ deerat et cuius absentia

causavit obicem effectui sacramenti. Ergo sufficit altritio pro reviviscentia baptismi, extremæ-unctionis et pœnitentiæ. Requiritur contritio perfecta, vel altritio cum confessione pro cæteris sacramentis, i. e. confirmationis, ordinis et matrimonii.

§ V.

De sacramentis ante adventum Christi.

19. — q. *Quinam status generis humani distingui solent?*

r. Quatuor, scilicet status innocentiae, naturæ, veteris legis, novæ legis.

1º Status *innocentiae* fuit a creatione Adami usque ad ejus lapsum.

2º Status *naturæ* fuit a lapsu Adami usque ad legem mosaïcam; imo pro aliis, extra populum israëliticum et proselytas, usque ad legem Evangelii.

Hic status dicitur *naturæ*, quia sub ipso homines regabantur magna ex parte præceptis *naturalibus*; existebant tamen sub eo quedam præcepta divina positiva, non quidem in tabulis scripta, sed traditione ab Adamo ad posteros derivata. Non ergo ita vocatur quasi sub ipso homines regerentur solis præceptis *naturalibus*, tum sine gratia aut revelatione aut ulla lege positiva divina, tum sine præceptis *supernaturalibus* fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, etc.

3º Status *veteris legis* fuit a lege mosaïca ad legem novam, pro populo israëlitico et proselytis.

4º Status *novæ legis* seu Evangelii, est a Christo usque ad finem mundi.

20. — q. *An in tribus prioribus statibus fuerunt sacramenta?*

r. 1º In statu *innocentiae*, Negative, quia tunc non vi-

detur homo indiguisse sensibili adminiculo ut ad invisibilia se converteret.

2º In statu *naturæ*, fuit saltem unum sacramentum pro parvulis, scilicet remedium aliquod ad tollendum peccatum originale; licet præcise non constet quodnam fuerit hoc remedium, cum Scriptura desuper sileat.

Attamen convenientiunt auctores illud constitisse vel in quadam *cæremonia*, vel in *circumcisione*. Verosimilius autem erat cæremonia quædam externa indeterminata, v. g. aliquæ preces, aliqua benedictio, qua parentes vel alii quibus parvolorum cura incumbebat, protestarentur in venturum Messiam; hocque vocatur remedium *commune*. Postmodum autem, adveniente circumcisione, remedium *in particulari* determinatum est ad circumcitionem pro masculis octo dierum; sed remedium commune relinquebatur tum pro masculis periclitantibus ante octavum diem, tum pro puellis, tum pro gentibus. Ita communius docetur post Augustinum et Thomam.

3º In statu *veteris legis*, præter remedium contra peccatum originale, Thomas enumerat tria sacramentorum genera: 1º consecrationem sacerdotum et aliorum ministrorum, 2º esum agni paschalis, 3º quasdam lustrationes quibus Iudei ab immunditiis legalibus purgabantur.

Dicit autem Augustinus quod sacramenta novæ legis præ sacramentis legis veteris sint virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora et numero pauciora.

21. — Q. *Quosnam effectus producebant circumcisione et remedium commune?*

R. 1º In omnibus, tam parvulis quam adultis, producebant sanctitatem imperfectam seu externam, quatenus suscipientes aggregabant ecclesiæ tunc existenti.

2º Adultis, gratiam et remissionem peccati originalis probabilius non conferebant, nisi habentibus fidem et dilectionem Dei. Cæterum, jam mundatos a peccato origi-

nali, circumcisio sanctificabat eodem modo quo id præstabant reliqua veteris legis sacramenta.

3º Parvulis ratione non gaudentibus dabatur gratia et remissio peccati originalis, ex speciali Dei providentia et promissione, ob necessitatem parvolorum; ita ut hæc sacramenta hos effectus non producerent ex opere operato, sed probabilius tantum essent conditio sine qua non; qua conditione posita, Deus effectus producebat, eodem modo sicut aspectus serpentis ænei sanabat læsos a serpentibus ignitis.

Hinc igitur docemur, ex una parte, infantes utique absque actu proprio et citra suum proprium opus operantis justificatos fuisse in susceptione hujus sacramenti; et ex altera parte, hoc tamen sacramentum, teste Paulo, censendum non esse nisi inter *infirma et egena elementa*, et proin nullius valoris ad justitiam conferendam; quam tamen justitiam tum ex fide collatam significabat, tum in novo Testamento per sacramenta alia efficaciora conferendam præfigurabat.

Ex dictis intelligitur jam ratio et veritas trium sequentium:

1º In lege *naturæ*, constitutio externa totius populi Dei erat minus aspectabilis, mutua membrorum connexio laxior, atque totus cultus externus minus determinatus. Tunc ergo, ad susceptionem infantium inter membra hujus populi fidelium, qui sub capite Christo adhuc futuro jam prima promissione reparatoris in paradyso institutus erat, sufficiebat ritus religiosus quivis de se aptus ad rationem signi. Nihil ergo mirum quod in Scriptura et traditione non inveniatur determinatum sacramentum hoc legis naturæ.

2º Sub lege autem *veteri*, ex institutione Dei et fœdere inito cum Abraham, populus Dei *peculiaris* præformatus est, et deinceps multiplicibus legibus ac ritibus ad cultum Dei externum pertinentibus constitutus est per ministerium Moysis. Tunc ergo, lege Dei ordinaria, posteri

Abrahæ in populum Dei, juxta promissionem Adamo factam, generatim spectatum, adoptari non poterant, nisi per adoptionem in populum *peculiarem* juxta foedus abrahamiticum et institutionem mosaicam. Atqui, adoptio in hunc populum peculiarem, pro masculis, fieri non potuit nisi per circumcisionem; ergo pro his, lege ordinaria, circumcisione erat signum determinatum et sacramentum adoptionis in populum Dei, ac proinde in ea infantes justificabantur.

5º Nihilominus, sub eadem lege *veteri*, tum pro aliis nationibus, tum pro feminis israëliticis pro quibus positiva lex divina nullum signum peculiare determinabat, ipsum sacramentum legis naturæ porro perseverabat. Præterea, nihil videtur obstitisse quominus pueri ipsi israëlitici, si periculum mortis immineret ante diem octavum circumcisioni determinatum, vel etiam alia ratione, ut v. g. in deserto (Josue V), circumcisione differenda esset, possent extra ordinem aggregari populo Dei per idem sacramentum legis naturæ.

22. — q. *Quosnam effectus producebant reliqua veteris legis sacramenta?*

r. Distinguendum est inter gratiam seu sanctitatem *legalem*, et gratiam *sanctificantem*.

Quoad gratiam seu sanctitatem *legalem*, consistentem in aliqua consecratione vel expiatione, illam vere conferebant.

Quoad gratiam *sanctificantem*, 1º illam quidem primarie præfigurabant per Christum dandam; 2º ex *opere operantis*, conducebant ad illam a Deo obtainendam, cum Judæi per sacramenta, æque ac per alias actiones meritorias, hanc mereri et impetrare possent; sed 3º eam non conferebant ex *opere operato*, juxta s. Paulum qui ea vocat *infirma et egena elementa*; et juxta concilium Florent. dicens: *Illa non causabant gratiam; sed eam tantum per passionem Christi dandam præfigurabant.*

CAPUT IV.

DE SACRAMENTORUM MINISTRO.

25. — q. *Quisnam dicitur sacramentorum minister?*

r. *Minister sacramentorum est ille qui secundario, i. e. nomine Christi ministri principalis cuius vicem gerit, actionem sacramentalem peragit.*

q. *Quisnam sacramentorum minister esse potest?*

r. *De lege Dei ordinaria, solus homo viator ratione utens, id esse potest.*

Dico de lege ordinaria, nam nihil impedit quominus, Deo dispensante, angeli vel animæ corpore solutæ, in assumpto corpore, sacramenta extraordinarie ministrent, ut v. g. leguntur sancti Eucharistiam ab angelis accepisse.

Attamen non omnis homo viator ratione utens est omnium sacramentorum minister, sed ille tantum quem Christus designavit. Perperam igitur docet Lutherus, ordinariam sacramenta conficiendi et administrandi facultatem competere cuilibet christiano, non exclusis pueris et mulieribus; hæc autem doctrina a Tridentino damnata fuit.

q. *Quotuplex distinguitur et subdistinguitur minister?*

r. *Distinguitur duplex: minister solemnitatis et minister necessitatis, prout ad sacramentum aliquod ministrandum fuit specialiter consecratus, vel ad id non fuit consecratus, sed mere pro necessitate deputatus. Sic, v. g. pro baptismo, minister solemnitatis est sacerdos et diaconus; et minister necessitatis est quisvis homo.*

Minister solemnitatis, aliis est ordinarius, et aliis extraordinarius, prout consecratus est ad ministrandum aliquod sacramentum potestate ordinaria, vel potestate delegata

pro casibus extraordinariis. Sic, v. g. pro baptismo, minister ordinarius est sacerdos; et minister extraordinarius est diaconus, ex commissione episcopi vel parochi.

Nota. Nemo sibimet ipsi sacramentum ministrare potest, excepto sacramento Eucharistiae, et matrimonii in sententia quæ docet contrahentes esse ministros. Igitur, his duobus sacramentis exceptis, semper distinguitur inter sacramentorum ministrum et subjectum seu suscipientem.

Jam dupli articulo inquirimus 1º de requisitis in ministro ad sacramentorum administrationem; 2º de officio ministri in eorum administratione.

Articulus I.

DE REQUISITIS AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM.

Tripli paragrapho agimus 1º de attentione, 2º de intentione, 3º de fide et probitate ministri.

§ I.

De attentione ministri.

24. — q. *An in ministro requiritur attentio, ad sacramenti collationem 1º validam, 2º licitam?*

r. 1º Ad validitatem collationis sacramentorum, non requiritur alia attentio nisi ea quæ ad essentiales conditiones, ad sacramenti valorem ponendas, rigorose sufficit. Possunt igitur valide ministrari sacramenta etiam a ministro distracto seu de aliis negotiis simul cogitante.

Ratio est, quia moralitas actus, non ab attentione, sed ab intentione agentis procedit. Insuper, attentio sæpe a voluntate hominis non pendet; Christus autem conditionem aliquando impossibilem in ministro sacramentorum requirere non potuit.

2º Ad *liceitatem* collationis, requiritur attentio talis, ut absit omnis voluntaria distractio. Ratio est, quia reverentia sacramento debita exigit ut cum attentione tractetur.

Voluntaria autem *distractio* ordinarie peccatum veniale non excedit, juxta communem sententiam; excepto periculo in forma graviter errandi, et excepta probabilius Eucharistia, in cuius confectione omnis voluntaria distractio peccatum mortale communius reputatur, ob majorem sacramenti dignitatem. Hoc tamen de Eucharistia varii cum Lacroix non improbabiliter negant.

§ II.

De intentione ministri.

25. — q. *An in ministro sacramentum conferente aliqua necessario requiritur intentio?*

r. Protestantes docent nullam requiri intentionem ad sacramenti valorem; ita ut, juxta ipsos, valeat sacramentum collatum ab ebrioso, dormiente, etc.

Sed de fide est, ex Tridentino, ad sacramenti valorem requiri in ministro aliquam intentionem. Ratio præcipua est, quia, sine intentione, actio sacramentalis ministri, seu applicatio materiæ et formæ, non determinatur ad esse sacramentale.

Antequam definiamus quænam in specie esse debeat hæc intentio, prænotamus, intentionem dupliciter spectari posse: 1º ratione *objecti in quod fertur*, seu *quidnam intendere* seu facere velle debeat minister; 2º ratione *modi quo fertur in objectum*, seu *quomodo* hoc intendere debeat. Duo itaque inquirenda sunt: 1º quænam requiratur vel sufficiat intentio ratione *objecti*; 2º quænam ratione *modi*; quibus addimus 3º quid de intentione *conditionata* censendum sit. De his itaque triplex sit numerus sequens.

26. — De intentione spectata ratione *objecti*.

Q. *Quotuplex et quænam fingi potest hujusmodi intentio?*

R. *Triplex fingi potest : 1º intentio quæ ad valorem sacramenti requiritur et sufficit; 2º alia quæ non sufficit; 3º alia quæ quidem non requiritur.* Igitur :

1º Requiritur et sufficit intentio faciendi id quod Christus instituit, seu, ut loquitur Tridentinum, intentio faciendi id quod facit Ecclesia.

Intellige semper: modo intentio sit sufficienter *determinata* ad certam materiam et personam, ut ex ipsis formis sacramentorum palet, v. g.: *Hoc (materia) est corpus meum. Ego te (persona) baptizo;* nam absque hujusmodi determinatione, *materia* remaneret in statu indifferentiæ, a qua erui et ad sacramentum determinari debet per ministri intentionem; et *personæ* nulla applicatio fieret, cum effectus sacramenti applicari debeant, non in genere, sed tali subjecto; et sic, valide baptizas illum quem putas masculum, dum est femina; illum quem putas Petrum, dum est Joannes, etc.: quia intentio tua fertur in personam præsentem, quæcumque illa sit.

2º Non sufficit intentio mere *externa*, seu qua minister solum intendit ponere actum externum, intus dicens: *non volo facere quod facit Ecclesia;* talis enim nihil aliud efficit quam fingere se velle facere quod facit Ecclesia.

3º Non requiritur ulla ex intentionibus sequentibus :

Nec *1º* intentio faciendi quod facit Ecclesia *Romana*; sed sufficit ut generaliter velit facere quod facit vera Christi Ecclesia, etiamsi ex errore putaret suam ecclesiam heterodoxam esse veram Ecclesiam; et sic, certo valet baptismus collatus ab hæreticis, qui Ecclesiam Romanam non putant esse veram Ecclesiam.

Nec *2º* intentio explicita *conficiendi sacramentum*, nec *3º producendi effectum sacramentalem.* Talis intentio, etsi laudabilis sit, tamen non est necessaria, modo adsit, saltem implicite, intentio faciendi quod facit Ecclesia ; ut

patet ex eo, quod Ecclesia ut validum habeat baptismum debite collatum a pagano, judæo aut hæretico: hi enim nullum intendunt sacramentum aut ejus effectum, quippe quæ vel ignorant vel negant.

27. — De intentione, ratione *modi* quo fertur in objectum.

Q. *Quotuplex et quænam distinguitur hujusmodi intentio?*

R. Supradicta intentio, scilicet faciendi quod facit Ecclesia, quadruplici modo potest concipi: potest enim esse actualis, vel virtualis, vel habitualis, vel interpretativa (vide definitiones, N° 11, *De Actibus Humanis, De voluntario*). Iterum, ex his, 1º alia est quæ ad sacramenti valorem requiritur et sufficit; 2º alia quæ quidem non requiritur; 3º alia quæ non sufficit. Igitur:

1º *Requiritur et sufficit* intentio *virtualis*, quia satis influit in actionem ministri, ut vere humana et delibera-ta dici possit.

2º *Non requiritur* intentio *actualis*, quia hæc, etsi optima et desiranda, est sæpe impossibilis, saltem morali-ter.

3º *Non sufficit* intentio *habitualis*, nec *interpretativa*, quia ad actum humanum requiritur intentio quæ aliqua ratione actu existat in animo. Jam vero, nec intentio habitualis, nec interpretativa ulla ratione actu in animo existunt: non prima, quia nec actu a voluntate elicetur, nec, aliquando elicita, in aliquo effectu vel in serie actionum actu perdurat; non secunda, quia nec actu elicetur, nec unquam actu elicita fuit, sed tantum eliceretur si ejus cognitio in mentem veniret.

28. — De intentione *conditionata*.

Tria inquiruntur: an conditionata sacramenti collatio sit valida, quandonam sit licita, imo quandonam obligatoria.

Q. An sacramenti conditionata collatio est valida?

R. Apposita conditio esse potest vel de futuro, vel de praesenti aut praeterito; v. g. te abservo si cras restituiris; te baptizo si vivis, si baptismum non receperis. Itaque:

Conditio de *futuro* invalidat sacramentum, quia talis conditio, suspendens intentionem ministri, impedit ne forma materiae applicetur hic et nunc; neque applicetur postea, purificata conditio, cum tunc materia et forma jam adesse desierint: excepto probabiliter matrimonio, in sententia contrahentes esse ministros, ut in tractatu *De Matrimonio* dicetur.

Conditio de *praesenti* aut *praeterito* sacramentum reddit validum vel invalidum, prout hic et nunc conditio verificatur vel non; si enim verificetur, intentio conditio-nata transit in absolutam; si autem non verificetur conditio, intentio est nulla.

Q. Quandonam hujusmodi collatio est licita?

*R. Collatio sacramenti, sub conditione de *praesenti* aut *praeterito*, licita est si gravis adsit causa; quia sic consultur simul tum reverentiae sacramenti, tum bono eorum qui ad sacramentum accedunt.*

Q. Quandonam hujusmodi collatio est obligatoria?

*R. Collatio sub conditione de *praesenti* aut *praeterito* est obligatoria, 1º in dubio an sacramenta characteristica valide fuerint collata; 2º si adsit magna necessitas sacramentum aliquod administrandi, et simul non adsit nisi materia dubia.*

Nota. Dum apponitur conditio, communissime docetur sufficere ut mente concipiatur, nec necesse esse eam verbis exprimere, nisi hoc a rubrica prescribatur, ut v. g. prescribitur pro baptismo, praecipue si publice conferatur, ne adstantes credant baptismum absolute iterari. Sed quia non desunt, addit Lig., auctores aliqui qui tenent, licet parum probabiliter, valorem sacramenti

non pendere ab intentione ministri, sed tantum ab ipsa collatione sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

§ III.

De fide et probitate ministri.

Duo inquiruntur, scilicet an fides et probitas in ministro requirantur 1º ad validitatem, 2º ad licitatem sacramentorum.

29. — q. *An valida sunt sacramenta absque ministri fide aut probitate collata?*

Prænota. Duplex desuper notandus est error: 1º s. Cypriani et quorumdam, qui rebaptizabant, quia contendeant sacramenta sine fide, i. e. ab infidelibus, hæreticis et schismaticis collata, esse invalida; 2º donatistarum, wiclefistarum, etc., qui invalida dicebant sacramenta collata a quocumque ministro in statu peccati mortalis existente. Jam vero,

r. Certum est, ad sacramentorum valorem non requiri fidem, nec probitatem seu statum gratiæ, ut constat ex variis decisionibus, ex praxi et perpetua traditione Ecclesiæ, quæ baptizatos ab hæreticis aut improbis, rebaptizari nunquam voluit. Non enim requiri *fidem* in ministro, ex Tridentino, est de fide quoad baptismum; et fidei proximum quoad reliqua sacramenta; item non requiri *probitatem*, ex Tridentino, est de fide. Horum omnium ratio est, quod sacramenta operentur, non fide vel meritis ministri, sed virtute divina, ex meritis Christi, quæ aliena malitia impediri non possunt.

Ministri sacramentorum, ait Franzelin, sunt causæ ministeriales effectus sacramentalis (transsubstantiationis in sacramento permanente, et gratiæ in sacramentis reliquis); non tamen alio influxu nisi quatenus, legatione pro Christo

fungentes, vicaria potestate ponunt actionem sacramentalis, quæ ex divina institutione per merita Christi suam dignitatem habet et virtutem ad producendum effectum. Ex hac ratione virtutis in sacramentis, simul juncta natura potestatis pertinentis ad dona gratis data, consequitur veritas catholica, quod sacramentorum valor et effectus a fide ac sanctitate ministri non pendent.

Itaque, ex doctrina apostolica certo constat, neque sacramenta in sua dignitate suaque virtute pendere a fide meritoque dispensantibus, neque potestatem ministerialem fidei et merito ipsius ministri alligatam esse; sed hanc potestatem esse simpliciter donum gratis datum. Unde, ut ait Nicolaus I in responsione ad Bulg., mali bona ministrando se tantummodo laedunt; et cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat.

50. — q. *An licita sunt sacramenta absque ministri fide aut probitate collata?*

r. Sit regula sequens: *Qui, sibi conscient peccati mortalis, sine debita pœnitentia sacramentum conficit, commitit peccatum mortale sacrilegii, saltem si, ut minister ad hoc consecratus, sacramentum conficiat solemniter, i. e. cum integro ritu ab Ecclesia præscripto.* Ratio est, quia minister, fide vel probitate destitutus, gravem injuriam infert Deo et Christo, tum quia sancta indigne tractat, tum quia, Christum repræsentans, ipse sanctus non est.

Dico 1º *qui sibi conscient:* unde, ministrans excusari potest ob ignorantiam, si nempe citra culparum gravem ignoret se esse in peccato mortali; vel si, ex imperfectione actus, ad illum statum non reflectat.

Dico 2º *sine debita pœnitentia,* excepto solo casu urgentis gravis necessitatis, ubi tempus non suppetit ullum pœnitentiæ actum præmittendi; tunc enim, rigorose loquendo, a mortali excusari potest. Non autem, in simili

necessitate a mortali excusantur illi ministri qui ex officio sacramenta ministrare debent, et proin casus necessitatis facile prævidere possunt: hi enim, speciali obligatione, in statu gratiæ habituali permanere tenentur; tales autem sunt, saltem ordinarie, omnes qui curam animarum habent, ut parochi, vicarii, nosocomiorum directores, etc.

Q. *Sed quæstio est quænam hic requiratur pœnitentia?*

R. Distinguendum est inter Eucharistiam et alia sacramenta.

Ante missam celebrandam, tenetur sacerdos ad confessionem, nisi urgeat necessitas et desit copia confessarii; quia, ex præcepto Tridentino, omnes fideles rei culpæ gravis, communioni confessionem præmittere debent.

Ante aliorum sacramentorum confectionem, probabilius sufficit contritio, quia nulla lege ad confessionem tenetur hujusmodi minister; excepto casu ubi ipsi de sua contritione moraliter non constat.

Dico 5º *sacramentum conficit*. Unde, non peccat mortaliter 1º confessarius qui in mortali quidem confessionem audit, sed non absolvit: quia hac sola auditione non conficit sacramentum; 2º parochus assistens matrimonio, cum moraliter certo ipse non sit sacramenti minister; idque a fortiori obtinet, dum nuda præsentia sua matrimonio mixto assistit.

Q. *Hic autem inquiritur an sacramenta confientibus assimilandi sint, ministri, in statu peccati mortalis, 1º qui communionem distribuunt, 2º qui Eucharistiam tangunt vel deferunt, 3º qui alias functiones sacras exercent?*

R. 1º Quoad eos qui communionem distribuunt, disputatur. Lig. sententiam quæ docet adesse peccatum tantum veniale, in priori libro habebat ut probabilem cum Lugo et aliis. Sed in *Quæstionibus reformatis* eam non amplius ut probabilem tenet: nam, licet ipse distribuens non agat ut causa efficax in confiendo sacramento, est tamen

illius dispensator ad id specialiter consecratus; ac gravissimum obit ministerium, quod immediate sanctificationi animæ cooperatur.

Attamen, probabilius tantum unicum peccatum mortale committit qui, unica vice, pluribus Eucharistiam ministrat: quia unicam actionem moralem ponit, cum singulæ hæ distributiones rationem habeant unius convivii; dum e contra, juxta Lig. (in opere recentiori), probabilius tot peccata committeret quot pœnitentes absolveret, quia singula absolutio est actio moralis completa.

2º Quoad illos qui Eucharistiam tangunt vel deferunt, est triplex sententia probabilis: 1ª *Negat* eos peccare mortaliter, eamque non improbabilem dicit Lig.; 2ª cum Billuart, dicit tangentes peccare mortaliter, non vero deferentes, seu tangentes tantum mediate; 3ª, quæ est probabilior et quam Lig. dicit valde probabilem, *Affirmat* eos omnes peccare mortaliter.

5º Quoad illos qui alias præter prædictas functiones sacras exercent, communiter et probabilius tenetur, ait Gury, eos non peccare mortaliter: nam omnia alia ordinum exercitia non videntur sub gravi exigere sanctitatem, quia non sunt proxime ordinata ad animæ sanctificationem.

Dico 4º *saltem si consecratus... conficiat solemniter*. Nam disputatur an idem dicendum sit, si deficiat consecratio vel solemnitas. Igitur:

1º Si deficiat *consecratio*. In casu sunt v. g. laicus baptizans, vel contrahentes matrimonium, in sententia ipsos esse ministros. Licet probabilis sit sententia quæ tenet eos peccare mortaliter, non minus probabilis, ait Gury, videtur sententia *Negans*. Ratio est, quia obligatio, in ministro, habendi sanctitatem, non oritur præcise ex ipsa sanctitate Christi et sacramenti secundum se, sed ex ministri consecratione in ordine ad sacramenta conferenda.

2º Si in ministro consecrato deficiat sola *solemnitas*,

v. g. si sacerdos in necessitate baptizet non solemniter, idem est ac in casu præcedenti. Unde dicit Gury eum probabiliter non peccare mortaliter: quia, licet sit consecratus seu deputatus ad sacramenta ministranda, non agit tamen ut consecratus, sed tantum ut laïcus, ex charitate, ad succurrendum proximo in necessitate versanti.

Notamus tamen quod, in utroque casu, sententia *Afirmans* seu quæ tenet illos omnes peccare mortaliter, sancto Lig., in posteriori opere, videatur probabilior.

Articulus II.

DE OFFICIO MINISTRI IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.

Duplici paragrapho dicimus quoad obligationem 1º sacramenta ministrandi, 2º ea aliquando denegandi.

§ I.

De obligatione sacramenta ministrandi.

31. — Ministri sacramentorum alii sunt animarum pastores, alii non sunt pastores.

Q. *Quinam hic vocantur animarum pastores?*

R. Juxta Gury, animarum *pastores* hic vocantur illi qui, ex officio, seu titulo speciali jurisdictionis, tum ordinariæ tum delegatæ, aliquam partem oivilis Christi pascere debent. Dico 1º *ordinariæ*: quales sunt episcopi, parochi, prælati regularium. Dico 2º *delegatæ*: quales sunt parochorum coadjutores et vicarii, vel regularium superiores sub prælato; hi enim omnes curam animarum habent, non quidem nomine proprio, sed nomine sui parochi vel prælati seu tamquam ipsum repræsentantes.

Cæteri autem, sive sacerdotes, sive laïci relative ad baptismum, animarum pastores non censemur.

Q. Quoad obligationem sacramenta ministrandi, quænam est primum regula generalis?

R. Regula generalis est, quod sacramenta sub gravi administranda sint quoties rationabiliter petuntur.

Ad id enim teneri possunt ex *charitate*, in necessitate proximi, illi qui non sunt animarum pastores. Ad id et quidem ex *justitia* tenentur subditis animarum pastores; nam, animarum curam suscipiendo, ad id se obligarunt tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt.

Jam autem, ad determinandum quandonam *petantur rationabiliter* vel non, distinguendum est utrum adsit vel non adsit proximi specialis necessitas. Itaque:

52. — Q. Si non adsit specialis necessitas, an et quantum peccat sacramentum ministrare denegans?

R. Patet quod illis qui non sunt pastores, nulla detur obligatio sacramenta ministrandi, cum illi ad hoc teneri non possint nisi ex charitate, quæ, nulla occurrente necessitate, non obligat.

Quoad animarum *pastores*, sacramenta ministrare denegantes,

1º Peccant graviter, in triplici casu: *1º* si ministerium suum absque ratione sæpius denegent; *2º* si se morosos et difficiles sæpius præbeant, et sic videantur fideles a sacramentis detergere, quod idem est ac si ipsis ea denegarent; *3º* saltem generatim, si confessiones excipere nolint nisi paucis diebus intra mensem determinatis, quia causa sunt cur fideles in statu peccati mortalis diu remaneant et a sacramentis deterreantur.

2º Peccant tantum leviter, in duplice casu: *1º* si uni aut alteri, vel eidem semel aut iterum petenti, denegant sacramentum pœnitentiæ vel Eucharistiae, quia da-

mnum illud facile reparari potest, ita ut subditus ideo non censeatur graviter invitus; 2º non est adeo rigorosa obligatio confessiones excipiendi in parocho qui idoneos habet vicarios; attamen debet fidelibus ipsum nominatim requirentibus satisfacere, nisi sit impeditus, aut pœnitentes libenter alium confessarium sint adituri.

5º *Nullomodo* peccant, si subditus irrationabiliter petat, ut facile cum scrupulosis vel certis devotulis contingere potest.

53. — q. *Si adsit specialis necessitas, quænam sacramenta ministrare tenetur minister?*

r. Videndum est quanta sit hæc proximi necessitas, et an ministro ex sacramenti collatione immineat vel non immineat periculum vitæ. Unde duplex distingui potest casus sequens:

1º Si ministro *non immineat* periculum vitæ:

Quædam sacramenta conferre tenetur, ex charitate, proximo in periculo mortis versanti, scilicet: 1º quilibet homo debet baptismum non baptizato; 2º quilibet sacerdos baptizato qui dein peccare potuit, debet pœnitentiam, Eucharistiam, et extremam-unctionem, si nempe deficiat alius cui ratione officii id potius incumbit. Quanta sit in ministro non animarum pastore obligatio dandi extremam-unctionem, vide *De Extrema-Uncione*, N° 15. A fortiori, et quidem insuper ex justitia, ad id tenentur animarum pastores.

2º Si ministro *immineat* periculum vitæ:

Ministri *non pastores* tenentur, ex charitate, proximo in necessitate *extrema* versanti, administrare sacramenta absolute necessaria ad salutem, i. e. tum baptismum, tum pœnitentiam, vel extremam-unctionem in casu quo ille, qui supponitur gravis peccati reus, nullo modo confiteri queat; cum sola hæc sacramenta sint ad salutem absolute necessaria.

Ministri *pastores* tenentur proximo, non solum in extrema, sed etiam in *gravi* necessitate versanti, admi-

nistrare praefata sacramenta; sed probabilius, juxta Lig. et Gury, non tenentur ad alia sacramenta, cum illa non tantæ sint necessitatis, ut minister teneatur, ea ministrandi causa, prodere vitam.

Attamen, ut supradicta obligatio vere urgeat in ministro, pastore vel non pastore, requiritur *moralis certitudo* de proximi necessitate et de administrationis successu. Unde non urget, si tantum adsit *probabilitas*, tum 1º de proximi *necessitate*, si v. g. probabiliter præsumas eum esse baptizatum, vel eum non esse in statu peccati mortaloris, vel eum facile sibi subvenire posse per contritionem perfectam; tum 2º de administrationis *successu*, qualis non esset si v. g. minister probabiliter perire debeat antequam præfatum necessitatis sacramentum complete administrare possit, puta in incendio, etc.

Nota. Ut minister sacramenta administrare possit et debeat, requiritur ut habeat notitiam sufficientem de dispositione suscipientis, i. e., juxta Dens, notitiam talem qua prudenter judicare vel merito præsumere possit suscipientem dispository esse ad sacramentum digne suscipiendum; hoc enim exigit officium fidelis dispensatoris mysteriorum Dei.

Non tamen æqualis requiritur notitia pro omnibus sacramentis. In pœnitentia, accurasier præ cæteris notitia habenda est, cum minister ibi sit judex, et dispositio pœnitentis sit pars essentialis sacramenti. In ordine, debet episcopo constare de vocatione, virtutibus et scientia ordinandi. In matrimonio, debet parochus per interrogations et proclamationes securum se reddere de libertate jungendorum aliquisque requisitis. Pro baptismo adulti, requiritur judicium prudens de sufficienti instructione et recta intentione.

In cæteris vero sacramentis, quilibet exterius reverenter accedens, præsumitur bene dispositus, nisi contrarium constet aut merito præsumatur.

§ II.

Quoad obligationem sacramenta denegandi.

34. — Peccator, suscepturus sacramenta, 1º potest esse peccator publicus, vel notorius, vel occultus; 2º potest sacramenta petere publice vel occulte.

Q. *Quisnam peccator vocatur publicus vel notorius vel occultus?*

R. *Peccator publicus*, ait Gury, dicitur ille cuius crimen vel pessima vita communiter agnoscitur. Quod si infamia ejus nondum venerit quidem in communem notitiam, sed ita tamen cognoscatur, ut celari jam amplius non possit, dicitur peccator *notorius*. Si vero absit periculum ne indignitas nota fiat, peccator *occultus* nuncupatur.

Q. *Quisnam peccator petere censetur occulte vel publice?*

R. *Peccator petens occulte*, dicitur ille qui reperitur solus cum ministro, vel cum aliis paucis, nullius fere momenti, ut sunt pueruli, etc.; secus, *publice* petere censetur.

35. — Q. *Quodnam est principium generale quoad obligationem sacramenta denegandi?*

R. *Principium generale* est, quod *minister tenetur, per se loquendo, et sub gravi, sacramenta denegare indignis*. Ratio est, quia lex naturalis obligat dispensatorem ad bona Domini fideliter et juxta ejus voluntatem dispensanda; porro, voluntas certa Christi est, ut sacramenta non conferantur indignis, juxta: *Nolite dare sanctum canibus, neque miltatis margaritas vestras ante porcos.*

Ex hoc principio generali sequuntur hæ tres regulæ speciales:

1º *Regula.* Peccatori *publico*, sive *occulte* sive *publice* petenti, denegandum est sacramentum; ut v. g. in ca-

sibus in pastorali Brug. expressis (Vide tractatum *De Eucaristia*, N° 56). Admittitur tamen species exceptionis pro matrimonio contrahendo a peccatore publico, cui parochus, ex concessione superioris, licite assistere potest.

2^a Regula. Peccatori *occulto* aliter noto quam ex confessione, et sacramentum *occulte* petenti, pariter negandum est sacramentum. Haec regula semper obtinet in duobus sacramentis: 1^o in poenitentia, cum ejus administratio, seu absolutio data vel negata, sit secreta; 2^o in ordine, cum hoc sacramentum facile sine petentis infamia negari possit, scilicet, ob defectum vocationis vel alias ob causas quae indignitatem non produnt seu famam non laedunt.

3^a Regula. In principio generali dictum est *per se loquendo*: nam ab hoc excipitur regula sequens: peccatori vere *occulto*, *publice* petenti, non sunt deneganda pleraque sacramenta. Ratio deducitur ex incommodis quae sequentur ex sacramenti denegatione: orinentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia; et praesertim, fideles, in suspicionem adducti ne a sacramentis arcerentur, ab ipsis recederent. Id insuper confirmatur ex rituali Romano.

Dictum est *pleraque* sacramenta. Nam 1^o excipitur *ordo*, a quo etiam cum infamia repelli debent indigni *occulti*, ob bonum Ecclesiae cuius officium est arcere ministros indignos. 2^o Excipitur quandoque *matrimonium*, cum illud sacramentum in praesenti materia quid habeat speciale, suo loco explicandum.

Nota 1^o. Peccatori *occulto* probabilius, juxta Gury, æquiperantur sequentes: 1^o peccator cuius crimen est quidem publicum in alio loco, sed non in loco in quo publice sacramentum petit; 2^o peccator cuius crimen est tantum *notorium*, imo etiamsi ejus crimen a plerisque praesentibus notum sit, quamdiu non est simpliciter publicum. Et proin illis publice petentibus non est denegandum sacramentum.

Nota 2º. Nunquam licet administrationem sacramenti *simulare*, ne indigno conferatur; ut patet ex damnatione ab Innocentio IX, et quia talis simulatio est mendacium sacrilegum, redundans in gravem injuriam sacramenti et ipsius Christi. Sic, non licet, sub gravi, hostiam non consecratam præbere v. g. suo complici; nec celebranti qui in mortali versatur, simulare consecrationem, cum Innocentius III declarerat gravius peccare qui simulat celebrationem missæ quam qui in mortali celebrat; nec licet, sine intentione absolvendi, proferre verba absolutionis supra indispositum.

CAPUT V.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

56. — q. *Quisnam dicitur sacramentorum subjectum?*

r. Sacramentorum *subjectum* dicitur ille qui ea suscipit et capax est eorum effectus.

q. *Quisnam generatim esse potest sacramentorum subjectum?*

r. Id generatim est solus homo viator. Ratio est, 1º voluntas Christi; 2º ordo providentiae divinæ, juxta quam solus homo viator est capax gratiæ tum primæ tum secundæ; cuiusmodi non sunt beati nec animæ purgantes, quibus jam determinata est mensura gloriæ respondens gratiæ quam in vita mortali habuerunt; nec a fortiori damnati, utpote a Deo in æternum reprobati.

Non tamen omnis homo viator est capax cuiuslibet sacramenti suscipiendi. Sic, non baptizatus incapax est omnium aliorum sacramentorum; infantes ratione nondum utentes, vel perpetuo amentes, incapaces sunt sacramentorum poenitentiae, extremæ-unctionis et matrimonii; mulieres, sacramenti ordinis.

Q. *Quisnam ergo in specie est subjectum singuli sacramenti?*

R. Singuli sacramenti subjectum capax, est sequens : *baptismi* capax est homo nondum baptizatus; *confirmationis*, baptizatus nondum confirmatus; *Eucharistiæ*, baptizatus; *pœnitentiæ*, post baptismum lapsus in peccatum; *extremæ-unctionis*, baptizatus, ratione saltem aliquando usus, periculose infirmus, qui nondum in eodem illo periculo suscepit unctionem; *ordinis*, baptizatus, masculus, nondum illo ordine insignitus; *matrimonii*, baptizatus, habilis ad contractum matrimonialem.

Jam dicendum est de requisitis 1º ad validam, 2º ad licitam sacramentorum receptionem.

§ I.

De requisitis ut subjectum capax sacramenta valide recipiat.

Quæstio hic non est de *infantibus* aut *perpetuo amen-tibus*; nihil enim in his requiritur ut valide recipiant sacramenta quorum sunt capaces, i. e. baptismum, confirmationem, Eucharistiam et ordinem; ut patet ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ ipsis post baptismum ministrabat, et ecclesiæ orientalis, quæ ipsis adhuc ministrat sacramenta confirmationis et Eucharistiæ. Unde tantum agitur de *adultis*.

57. — Q. *Quidnam requiritur ut subjectum, quod supponitur aliunde capax, sacramenta recipiat valide?*

R. In adultis, ad valide recipienda sacramenta quorum sunt capaces, si Eucharistiam excipias, requiritur aliqua *intentio* seu *voluntas* sacramentum suscipiendi; quia non est conveniens ut adultus sanctificetur quin velit. Insuper, requiritur, in sacramento *pœnitentiæ*, *contritio* et *confessio*; in matrimonio, *consensus* necessarius.

Dixi si *Eucharistiam excipias*: Eucharistia enim, cum

jam sit sacramentum, a suscipientis voluntate non pendet, et etiam invito confertur valide, licet infructuose.

Q. Qualis esse debet intentio quæ hic requiritur?

R. Ad petitum respondemus tum in genere tum in specie:

In genere. Non tam activa requiritur intentio seu voluntas in recipiente, quam requiritur in conferente sacramentum: nam minister conferens agere debet modo humano, et proin necesse est ut habeat intentionem saltem *virtualem*; cum autem collatio sacramenti sit quædam donatio et beneficium, ad acceptandum plerumque sufficit in recipiente intentio magis remissa, scilicet ea quæ in sequentibus determinatur in specie.

Igitur *in specie*:

1º Requiritur intentio seu voluntas saltem *virtualis*, in matrimonio, quia id percipitur ratione contractus; et in pœnitentia, quia actus pœnitentis pro materia proxima hujus sacramenti requiruntur. Attamen practice, in casu necessitatis, pœnitentia administranda est etiamsi supponatur adesse in recipiente intentio tantum *interpretativa*, quia sacramenta propter homines.

2º Speculatively, sufficit intentio *habitualis*, in baptismo et ordine; practice tamen, in ordine requiritur intentio saltem *virtualis*.

3º Sufficit *interpretativa*, certo in extrema-unctione, et probabiliter etiam in confirmatione.

Q. An, præter supradictam intentionem, ad sacramenti validitatem, in subjecto non requiritur fides, probitas vel attentio?

R. 1º Negative generatim. Etenim, non requiritur *fides* nec *probitas*, ut constat tum ratione, quia sacramenta non perficiuntur hominis justitia, sed virtute Dei; tum praxi Ecclesiæ, quæ nunquam permisit iterum baptizari vel ordinari hæreticos aut improbos rite baptizatos vel

ordinatos. Excipe tamen poenitentiam, quia contritio vera esse non potest sine fide et probitate.

2º Non requiritur *attentio*. Si enim non requiratur in conferente, a fortiori non requiritur in suscipiente; dein, actus humanus non procedit ab attentione, bene vero a voluntate seu intentione. Proin, non est cur inquietentur hi qui, v. g. tempore absolutionis, fuerunt distracti.

§ II.

De requisitis ad licitam et fructuosam sacramentorum receptionem.

38. — q. *Quænam principaliora requiruntur ad licitam et fructuosam sacramentorum receptionem?*

Prænota. Dixi quænam *principaliora*: nam hic non agimus nisi de requisitis in genere seu de *generalibus* requisitis. Quoad ea quæ in specie ad licitam singuli sacramenti susceptionem requiruntur, vide de singulo sacramento, suo loco.

r. Distinguendum est inter sacramenta vivorum et mortuorum.

1º Ad licite et fructuose recipienda sacramenta vivorum valida, requiritur in recipiente status gratiæ; quia a Christo, ex primaria sua institutione, ordinata sunt ad conferendam, non primam, sed secundam gratiam. Conformiter ad dicta supra de ministro, hic status gratiæ procurandus est per confessionem, si agatur de recipienda Eucharistia; et per confessionem perfectam, imo practice, potius per confessionem, si agatur de recipiendis aliis vivorum sacramentis. Qui vero in mortali recipit, peccat mortaliter, et quidem gravius quam ille qui in mortali ministrat.

2º Ad licite et fructuose recipienda sacramenta *mortuorum*, requiruntur, in adultis, actus fidei, spei, et attritionis

de peccatis; imo haec, ut supra dictum est, in sacramento pœnitentiae requiruntur ad valorem, quia ad dispositionem pœnitentis pertinent.

59. — *Q. An licet petere vel suscipere sacramenta a malo ministro?*

R. *1º Non peccat petens vel suscipiens, quamdiu ei moraliter non constat de improbitate ministri. Ad hanc autem certitudinem moralem inducendam, non sufficiunt vani rumores aut suspiciones, quæ sæpe fallunt; imo, nec sufficit peccatum grave pridie commissum, cum hodie ille supponi debeat emendatus.*

2º In casu quo de hac improbitate moraliter constet, 1º peccat, si petat vel suscipiat sine proportionata causa seu necessitate; quia charitas exigit ut impediamus ministri peccatum quod facile impedire possumus; 2º non peccat, si petat vel suscipiat ex proportionata causa seu necessitate: tunc enim non tenemur, cum magno incommodo, ex jure nostro cedere ad liberum ministri peccatum impedendum, siveque, ministri peccatum simpliciter permittimus, non vero sumus ejus peccati causa.

Tanto major requiritur, in petente vel suscipiente, causa seu necessitas, quanto major est ministri indignitas, vel magis timetur aliorum offendio. Hinc, major requiritur causa si ministraturus sit *vitandus*, quam si sit simpliciter *toleratus*; et major requiritur si sit toleratus, quam si sit simpliciter indignus ob statum peccati mortalis. Inde, tres statuuntur casus in quibus, deficiente ministro digniori, non peccat petens vel suscipiens, prout petit a vitando, vel a tolerato, vel ab indigno. Itaque,

Q. Quandonam et quænam sacramenta in casu necessitatis petere et suscipere licet a vitando?

R. *A vitando, vel etiam a publicis haereticis aut schismaticis, si adsit necessitas extrema, licet petere aut suscipere sacramenta sequentia:*

1º Baptismum, ut patet;

2º Pœnitentiam, quia Ecclesia prohibitionem cum tali communicandi, ad hunc casum non extendit. Si non possibilis sit pœnitentia, potest, deficiente pœnitentia, id quod pœnitentiæ sacramentum supplere debet; et sic, si minister vitandus non det absolutionem, vel si absolutio ab ipso data moribundo, v. g. sensibus destituto, sit dubie valida, potest extremam-unctionem, quia possibile est quod talis moribundus sit tantum attritus, et per extremam-unctionem fiat contritus;

3º Eucharistiam, saltem probabiliter juxta Suarez et varios, quia præceptum divinum Eucharistiam in mortis articulo sumendi, prævalere debet præcepto ecclesiastico, et quia Eucharistia est necessitatis vel utilitatis tantæ, ut non sit verosimile voluisse Ecclesiam filios suos privare tali beneficio in extremo hoc articulo;

4º Assistentiam matrimonialem.

Q. *An sacramenta petere et suscipere licet a ministro censurato tolerato qui supponatur versari in statu gratiæ?*

R. *Affirmative*, etiam absque causa, juxta sententiam quam Lig. dicit veriorem et probabiliorem, quia concilium Constantiense absolute concessit fidelibus privilegium communicandi cum toleratis. — Quum autem hoc privilegium solis fidelibus non vero censuratis faveat, sequitur talem ministrum sacramenta ministrare licite, si sit a fidelibus requisitus; illicite et quidem sub pena irregularitatis, si non requisitus.

Q. *An sacramenta petere et suscipere licet a ministro ob peccatum mortale indigno, si alius minister desit?*

R. *Affirmative*, si militet justa et proportionata causa; secus, non licet, tum ob reverentiam sacramenti tum ex charitate erga proximum. Causa autem ista esse potest minor vel esse debet major, prout sacramentum petitur aut recipitur a ministro indigno cui administratio incumbit vel non incumbit ex officio. Si ex officio, puta a parte pro-

prii parochi vel ejus vicarii, sufficit causa rationabilis, v. g. quia parochianus sacramenta pro more christiano suscipere desiderat. Si non ex officio, requiritur et sufficit causa paulo gravior, v. g. jubilæus lucrandus, confessio vel communionio annua, communionio quater in anno instituenda, vel ne diu in statu peccati mortalis permanere quis teneatur, etc.

Nota. Fieri potest ut nulla causa sit sufficiens, puta si adsit periculum perversionis, vel si receptio sacramenti involvat professionem hæresis vel schismatis, ut v. g. s. Hermenegildus merito recusavit Eucharistiam recipere ab episcopo ariano, cum ejus pater hoc exigeret in signum professionis arianæ.

CAPUT VI.

DE CÆREMONIIS ET DE SACRAMENTALIBUS.

§ I.

De sacramentorum cæremoniis.

40. — q. *Quotuplex et quisnam distinguitur ritus sacramentalis?*

r. *Ritus sacramentalis est duplex: substantialis et accidentalis.*

Ritus *substantialis* consistit in actionibus quibus enuntiatur sacramentorum forma et applicatur materia, et proin ille est qui sacramentorum substantiam ingreditur.

Ritus *accidentalis* ille est qui sacramenti substantiam non attingit, et qui communiter nomine *cæremoniarum* venit; qualia sunt luminaria, vestes, signa crucis, exorcismi, preces, cantus, etc., in sacramentorum administratione adhibita.

q. *Quenam, relate ad sacramentorum atque cultus divini cæremonias, adnotare juvat?*

r. Apte statuuntur tria sequentia, scilicet 1º relate ad Ecclesiæ in cæremonias instituendas potestatem, 2º relate

ad cæremoniarum utilitatem, 5º relate ad earum obligationem. Dicimus itaque:

1º Ecclesiam habere potestatem eas instituendi et adhibendi. Id probatur contra hæreticos, præsertim protestantes hodiernos, in cæremonias insane furentes: nam 1º id potuit synagoga, ergo a fortiori id potest Ecclesia, cuius synagoga erat tantum figura; 2º id potest societas civilis, ergo id potest Ecclesia; 5º probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ semper tali potestate usa est, ut patet ex ss. patribus, et ex antiquissimis tum græcis tum latinis ritualibus. Quare, merito Tridentinum ait: « Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispositione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret quæ, suscipientium utilitati vel ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. »

2º Utilem esse cæremoniarum usum. Nam 1º serviunt ad majestatem et reverentiam sacramentis et cultui conciliandam, quam nude exhibita non haberent; 2º serviunt ad hominum instructionem et devotionem, cum homo per externa et sensibilia ad spiritualia erigi solet, ut patet experientia s. Augustini, testantis se, ante conversionem, per cantum ecclesiasticum sæpius usque ad lacrymas commotum fuisse; 5º sunt actus religiosi, qui quamdam efficiaciam coram Deo, præcipue ex opere operantis, habent.

5º Peccare ministrum qui præscriptas cæremonias absque justa causa voluntarie non observat, ut patet ex Tridentino. Hoc autem peccatum est de se leve vel grave, prout cæremoniæ violatae levis vel gravis momenti sunt.

Nota. Ecclesia, in sacramentis et aliis officiis divinis, utitur idiomate diverso a vulgari, scilicet latino, græco, vel armenico: quæ linguae apud populos non amplius a vulgo adhibentur. Protestantes, cum teneant sacramenta et cultum præcipue valere ad excitandam fidem, dicunt necessarium esse usum linguæ vulgo intelligibilis seu vernaculæ. Sed Ecclesia rite talēm usum prohibuit, 1º quia

usus linguae nobilioris, non secus ac sacrarum vestium, majorem conciliat reverentiam; 2º præsertim, quia destrueretur uniformitas, quæ ob prodigiosam linguarum vulgarium multitudinem impossibilis foret: existunt enim in universo terrarum orbe, juxta computationem aliquibus abhinc annis factam, 2525, imo, juxta recentiorem anni 1874, 5642 linguae viventes.

§ II.

De sacramentalibus.

44. — q. *Quid intelligitur per sacramentalia?*

r. *Sacramentalia* sunt res aut actiones, extra sacramentorum administrationem ab Ecclesia institutæ et adhibitæ, ad producendos quosdam effectus præsertim spirituales. Tales sunt v. g. aqua benedicta, Ecclesiæ preces.

q. *Quare ita vocantur?*

r. Vocantur *sacramentalia*, quia quamdam cum sacramentis similitudinem habent: sunt enim res sensibiles et sacrae, ad hominum sanctificationem institutæ. Sed differunt a sacramentis in eo præsertim, quod institutæ non fuerint a Christo, et quod gratiam non producant ex se seu ex opere operato.

q. *Quænam distinguuntur sacramentalium species?*

r. Saeramentalia communiter reducuntur ad sex genera, sequenti versu contenta: *orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

Orans, i. e. Ecclesiæ orationes, præsertim publicæ, v. g. rogationes. *Tinctus*, i. e. usus aquæ benedictæ. *Edens*, i. e. commestio panis benedicti, vel aliarum rerum benedictarum. *Confessus*, i. e. publica confessio seu *confiteor*, in missa et in breviario. *Dans*, i. e. eleemosyna, vel alia opera misericordiae corporalis et spiritualis, ab Ecclesia specialiter præscripta, v. g. in quadragesi-

ma, in publica necessitate. *Benedicēns*, i. e. variæ benedictiones ab Ecclesiæ ministris factæ.

Inter benedictiones, aliæ sunt *papales*, seu Papæ reservatæ, v. g. benedictio *Agnus Dei*. Aliæ sunt *episcopales*, v. g. benedictiones vel consecrationes ecclesiarum, altarium, calicum, campanarum, etc., quæ in pontificali reperiuntur. Aliæ sunt *sacerdotales*, v. g. benedictiones aquæ, cinerum, domus, personarum, etc., quæ in missali et pastorali inveniuntur.

Q. *Quisnam est sacramentalium valor?*

R. Sacramentalia valent ad producendos effectus ad quos instituta sunt. Ad id valent, non quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, idque partim ex precibus Ecclesiæ, partim ex opere seu devotione operantium, tum ministri tum subjecti.

Q. *Quinam sunt præcipui sacramentalium effectus?*

R. Sunt præsertim quinque sequentes :

1º Excitatio piorum motuum gratiæ.

2º Remissio peccatorum venialium; quæ fit, non quidem immediate sicuti locum habet in sacramentis, sed *mediate*, i. e. mediantibus his piis motibus quibus homo excitatur ad contritionem, et sic remissionem obtinet.

3º Remissio pœnæ temporalis, tum per modum indulgentiæ si sacramentalibus quædam annexa sit, tum per modum operis satisfactorii.

4º Repressio vel effugatio dæmonis; idque non tantum per modum impetrationis, sed etiam per modum imperii, ex peculiari potestate Ecclesiæ a Christo data adversus dæmonem, quæ per exorcismos exercetur. Hic effectus non est infallibilis: a Deo enim potest impediri ob causam privatam vel publicam.

5º Sanitas corporalis, vel aliud simile temporale beneficium. Id autem obtinetur, aliquando directe, aliquando tantum indirecte, seu removendo prohibens, scilicet coercendo dæmonis potestatem, etc.

TRACTATUS

DE BAPTISMO.

Baptismus jure merito, inter reliqua sacramenta, primo loco ponitur, cum sit primum, non quidem dignitate, sed necessitate et ordine receptionis. Nam est nativitas spiritualis, seu principium illius vitæ spiritualis qua homo christianus crescere debet *in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi;* est janua qua introitum in *regnum Dei*, i. e. tum in Ecclesiam militantem hic in terris, ad participandum reliqua sacramenta, tum postea in Ecclesiam cum Christo in cœlis triumphantem.

Præcipuae baptismi figuræ fuerunt arca Noë, columna nubis, transitus maris rubri, circumeisio, baptisma Joannis, et præsertim baptisma Christi in Jordane.

Quintuplici capite dicimus 1º de baptismi institutione, effectibus et necessitate, 2º de materia et forma, 3º de ministro, 4º de subjecto, 5º de solemnitatibus accessoriis.

CAPUT I.

DE EJUS INSTITUTIONE, EFFECTIBUS ET NECESSITATE.

1. — q. *Quid est sacramentum baptismi?*

r. Est sacramentum a Christo institutum, in quo, per ablutionem externam corporis et invocationem sanctissimæ Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur.

q. *Quandonam Christus sacramentum baptismi instituit?*

r. Communius et probabilius quidem docetur Christum illud instituisse, saltem ante suam passionem, nimis quando a Joanne baptizatus est in Jordane; sed certum est hoc sacramentum obligare cœpisse tantum post Christi passionem et resurrectionem.

Dico 1º *ante suam passionem*. Id probatur, 1º quia apostoli sacramentum ordinis et Eucharistiae acceperunt ante passionem, nempe in cœna; atqui, si tunc nondum fuissent baptizati, sequeretur quod ante baptismata hæc sacramenta recepissent ad quæ, saltem de lege Dei ordinaria, erant incapaces; 2º quia ante passionem, teste Scriptura, Christi discipuli baptizabant, non quidem baptismate Joannis, sed baptismate Christi. Imo varii tenent Christum suis manibus baptizasse matrem suam, et postea apostolos.

Dico 2º *in Jordane*, ubi Christus determinavit 1º baptismi materiam, scilicet aquam, quam contactu suo sanctificavit; 2º formam, nam aderat Pater in voce, Filius in carne, Spiritus sanctus in specie columbæ; 3º præcipuum effectum, nempe apertio[n]em cœli.

2. — q. *Quinam sunt baptismi effectus?*

r. Juxta dicta *De Sacramentis in genere*, effectus secundarius est *character*, quo baptizatus fit idoneus ad cætera sacramenta suscipienda et ministranda; effectus primarius est *gratia*. Hæc gratia est duplex: 1º gratia sanctificans, cui adduntur habitus virtutum et dona Spiritus sancti; 2º gratiæ sacramentales.

q. *Quænam est hæc gratia sanctificans prout est baptismi propria?*

r. Hæc gratia sanctificans, prout est baptismi propria, est *regenerativa* seu operans integrum hominis interioris renovationem; idque operatur per duplum effectum sequentem:

1º Per remissionem peccati originalis, et peccatorum actualium, si quæ adsint;

2º Per remissionem totalis pœnæ æternæ et temporalis, peccatis debitæ; ut probatur tum Scriptura, juxta quam dicimus per baptismum *renasci* et similes fieri *infantibus modo genitis*; tum conciliis; tum praxi Ecclesiæ, quæ baptizatis nulla unquam opera laboriosa et satisfactoria imposuit.

3. — q. *Quanta est baptismi necessitas?*

r. Baptismi necessitatem negant varii qui peccatum originale non agnoscent, præsertim pelagiani, sociniani, rationalistæ. Et ideo, in America, in Anglia et aliis regionibus, multæ proles absque salutis lavacro relinquuntur.

Sed de fide est, baptismum ad salutem esse necessarium, tum necessitate *præcepti*, tum necessitate *medii*.

Dico 1º necessitate *præcepti*. Datur enim, ut ait Schouuppe, baptismi recipiendi obligatio, orta ex præcepto quod Christus tulit, cum apostolos ad docendum et baptizandum mitteret. Hæc autem lex proxime atque actu obligare cœpit post sufficientem Evangelii prædicationem, quæ vario tempore pro variis gentibus contigisse censenda est.

Dico 2º necessitate *medii*. Baptismus igitur in re vel in voto, omnibus necessarius est necessitate medii ad salutem. Id probatur, 1º Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*; 2º ex Tridentino: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium esse ad salutem, anathema sit*. Dicitur *in re*, i. e. baptismus aquæ seu baptismi sacramentum; dicitur *vel in voto*, i. e. baptismus flaminis vel sanguinis, qui sacramenti baptismi vices supplent.

4. — q. *Quotuplex est ergo sacramentum baptismi?*

r. Unicum tantum est baptismi sacramentum, quod vocatur baptismus *in re*, et est baptismus ordinarius seu

baptismus aquæ; *juxta verba s. Pauli: Unus Deus, una fides, unum baptismum;* et symboli apostolorum: *Confiteor unum baptismum.* Attamen si hic baptismus sit impossibilis, suppleri potest per baptismum flaminis vel sanguinis, qui plerumque vocantur baptismi *in voto.* Inde, triplex vulgo distinguitur baptismus, scilicet baptismus fluminis, baptismus flaminis et baptismus sanguinis.

Q. Quid est baptismus flaminis et sanguinis?

R. Baptismus flaminis est non baptizati votum seu desiderium, saltem implicitum, sacramenti baptismi, coniunctum cum contritione perfecta seu cum actu charitatis perfectæ.

Hoc autem desiderium non necessario consistit in reali cupidine baptismi aquæ, qui aliquando a desiderante ignorari potest, sed potius consistit in prompta voluntate ea omnia præstandi quæ a Deo præcipiuntur; haecque voluntas continetur in actu charitatis perfectæ. Itaque baptismus ille consistit re ipsa in conversione ad Deum per charitatem perfectam, quæ continet baptismi aquæ suscipiendi votum, tum explicitum tum implicitum, prout hujus baptismi notio adest vel non adest præsens menti illius qui sic ad Deum convertitur.

Baptismus sanguinis est martyrium a non baptizato tolleratum pro fide aut pro alia virtute christiana.

Q. Quare baptismata fluminis, flaminis et sanguinis ita vocantur?

R. Baptisma fluminis sic vocatur ob aquam; *flaminis,* a flamine, afflatu seu virtute Spiritus sancti, cuius est movere animum ad diligendum Deum et dolendum de peccatis; *sanguinis,* quia martyrium ordinarie fit cum sanguinis effusione.

Q. An et qualis in his tribus baptismis requiritur contritio?

R. In baptismo fluminis, requiritur in adultis attritio. In baptismo flaminis, ut ex ejus definitione palet, requiritur

contritio perfecta. In baptismo *sanguinis*, requiritur in adultis attritio, in qua implicite continetur votum baptisci.

Q. *In quonam* convenientiunt *hi tres baptismi?*

R. Convenient in effectu principalis, scilicet in infusione gratiae remissivae peccatorum.

Id probatur, pro baptismo *flaminis*, 1º ex Scriptura: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo;* 2º ex Tridentino: *Quæ translatio sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest.*

Id probatur, pro baptismo *sanguinis*, 1º ex Scriptura: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam;* 2º ex praxi Ecclesiæ, quæ declarat quod injuriam faciat martyri qui orat pro martyre; et quæ de ss. Innocentibus canit: *Non loquendo sed moriendo confessi sunt.*

Q. *In quibusnam* *hi tres baptismi* discrepant *quoad effectus?*

R. Discrepant 1º *quoad modum conferendi effectus*, scilicet: baptismus fluminis effectus producit ex opere operato; *flaminis*, ex opere operantis; *sanguinis*, in infantibus, quasi ex opere operato, et in adultis, quasi ex opere operato et simul etiam ex opere operantis.

Discrepant 2º *quoad effectus quosdam speciales*, scilicet: baptismus fluminis confert gratias sacramentales et characterem; baptismus *sanguinis* confert aureolam et maiorem abundantiam gratiae sanctificantis, et uterque baptismus confert remissionem omnis poenæ; dum baptismus *flaminis* confert quidem remissionem poenæ æternæ, non vero per se omnis poenæ temporalis.

Q. *Quisnam horum trium baptismorum est* potissimum?

R. Omnibus attentis, cæteris præstat baptismus *sanguinis*, ratione perfectioris conformitatis cum passione Christi.

Nota. Est et altera sacramenti baptisci *necessitas*, scilicet, ad susceptionem cæterorum sacramentorum. Sed

distinguendum hic est inter receptionem licitam et validam. Itaque, certum est prærequiri baptismum ad *licitam* cæterorum sacramentorum receptionem. Quoad receptionem *validam*, 1º certum est Eucharistiam valide, non tamen sacramentaliter, recipi a non baptizato, quia Christus præsens est, sive sumatur a baptizato sive a non baptizato; 2º certum est poenitentiam invalide recipi a non baptizato, defectu jurisdictionis ministri in non baptizatum; et id practice certum est de quinque reliquis sacramentis, ut ex sensu Ecclesiae constat.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

Duplici articulo dicimus 1º de materia, 2º de forma.

Articulus I.

DE BAPTISMI MATERIA.

- Baptismi materia alia est remota, alia est proxima.

§ I.

De materia remota.

Materia *remota*, alia requiritur ad validam, et alia ad licitam baptismi collationem.

3. — q. *Quænam est, ad validitatem, baptismi materia remota?*

r. Materia remota baptismi *valida* est omnis et sola aqua naturalis, ut constat ex Scriptura et Tridentino.

q. *Quodnam ergo liquidum reputatur materia certo valida?*

r. Materia *certo valida* est omnis liquor qui, communione et usu, aqua naturalis est et vocatur, v. g.

1º aqua maris, fluminum, stagnorum, puteorum; 2º aqua pluvialis, vel resoluta ex glacie et nive, vel collecta ex rore, ex vapore prout tempore nimboso defluit ex foliis aut parietibus; 3º aqua mixta cum alia substantiā, modo aqua sit materia vere et certo prædominans, v. g. aqua turbida, luto mixta, aquæ minerales, ut ferruginea, sulfurea.

Q. *Quodnam liquidum est materia dubie valida?*

R. Materia *dubie valida* est, quando dubium est an, propter mixtionem, adhuc vere sit et vocari possit aqua: qualis esse potest tenuis cerevisia, jusculum, cafetum, aqua theana; quoque aqua proveniens ex soluto sale, aqua quæ per artem chimicam educta est ex floribus, plantis, radicibus.

Q. *Quodnam liquidum est materia certo invalida?*

R. Materia *certo invalida* est 1º aqua ita permixta, ut non amplius aqua naturalis esse censeatur, v. g. validum cafetum vel jusculum, fortis cerevisia; 2º saliva, lacrymæ, sudor, succus qui absque arte chimica exprimitur ex floribus, nix et similia solida nondum resoluta.

6. — Q. *Quænam est, ad liceitatem, baptismi materia remota?*

R. Distinguendum est an adsit casus necessitatis, vel non. Itaque :

1º Extra casum necessitatis, adhibenda est, et quidem sub gravi, materia non tantum quæ sit certo valida, sed insuper quæ sit specialiter benedicta et sacris oleis permixta, seu vera aqua de fonte baptismali. Idque, quoad aquam baptismalem, adhuc obtinet si baptismus non solemniter seu privatum administretur a sacerdote vel diacono; non vero si ab aliis ministris diacono inferioribus.

2º In casu necessitatis, deficiente aqua baptismali vel alia materia *certo* valida, sub conditione adhibenda est materia *dubie* valida, præcligendo semper materiam minus

dubiam. Imo in extrema necessitate, sub conditione adhibenda est materia de qua dici potest *forte est aqua*. Si tali modo baptizatus supervixerit, habita copia materiæ certo validæ, iterum baptizandus est sub conditione *si non es baptizatus*. Nunquam autem licet, in quacumque necessitate, uti materia certo invalida, ut patet.

§ II.

De materia proxima.

Materia *proxima* baptismi est ablutio corporalis, seu aquæ naturalis applicatio.

Alia ablutio spectat ad sacramenti validitatem, et alia ad ejus liceitatem.

7. — Q. *Qualis ablutio seu abluendi modus ad sacramenti validitatem constituendam non confert?*

R. 1º Dummodo vera fiat ablutio, de qua statim infra, ad sacramenti valorem non confert quod fiat sive *immersione*, sive *aspersione*, sive *infusione*. Triplicem hunc abluendi modum indiscriminatim validum esse, probatur ex legitima praxi variarum ecclesiarum ita baptizantium.

2º Nec ad valorem confert quod *trina* fiat ablutio, cum una certo ad valorem sufficiat.

Q. *Qualis ablutio ad sacramenti valorem requiritur?*

R. Quatuor sequentes cum Dens tradimus conditions ad ablutionis validitatem requisitas:

1º Requiritur ut ablutio fiat per ipsum ministrum qui formam profert; alioquin dicere non posset: *ego te baptizo*, ut *De Sacramentis in genere* dictum est.

2º Requiritur probabilius ut ablutio sit successiva, i. e. ut fiat cum aliquali saltem motu aquæ circa corpus, seu ut aqua fluere censeatur; unde, si guttæ aliquot in corpore remaneant immotæ, seu absque omni motu locali, invalidus, vel saltem dubius foret baptismus.

3º Requiritur ut ablutio fiat immediate in baptizati corpore ipso; unde invalida foret, si tangantur tantum vestes, prout in aspersione facile contingere posset.

4º Requiritur ut abluatur caput; vel saltem, juxta sententiam communem, altera corporis pars notabilis, v. g. pectus, dorsus, scapulæ. Attamen, cum hæc sententia communis non sit omnino certa, baptismus in alia corporis parte quam in capite collatus, ut dubie validus habendus est. Hoc autem dubium eo magis accrescit, quo minor seu minus essentialis est pars quæ abluitur, v. g. si abluatur pes vel manus, digitus, ungues, crines, pelles secundinæ.

8. — q. *Quænam tenenda sunt quoad ablutionis licetatem?*

r. Tenenda sunt duo sequentia :

1º Graviter illicita, quamvis valida, est ablutio, 1º si non fiat illo e tribus modis, i. e. immersione, aspersione vel infusione, qui in ea viget ecclesia in qua confertur baptismus; 2º si non fiat tria ablutio, in ecclesia ubi tria præcipitur.

2º Si urgeat necessitas et impossibilis sit ablutio certo valida, non tantum licita sed est et graviter obligatoria ablutio dubie valida, ita tamen ut præeligatur semper ablutio minus dubia, sicuti supra de materia remota dictum est. Hæc autem ablutio sub conditione facienda est; et, si sic baptizatus supervixerit, et detur copia ablutionis certioris vel certo validæ, rebaptizandus est sub conditione *si non es baptizatus*; quod non raro accidit in baptismo collato fœtui in utero matris existenti.

Articulus II.

DE BAPTISMI FORMA.

9. — Q. *Quænam est forma legitima latinorum et græcorum?*

R. Forma legitima apud latinos, est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen;* apud græcos ac orientales fere omnes, est: *Baptizetur vel baptizatur servus vel serva Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen.*

Legitimam esse formam latinorum, declarat Tridentinum; et græcorum, declarat Florentinum; et utraque fundatur verbis Christi: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Sed singula in sua respective ecclesia retinenda est, et quidem sub gravi; secus enim ritus Ecclesiæ violaretur in re gravi.

10. — Multipliciter vitiari potest forma baptismi, sive substantialiter, sive accidentaliter, ut *De Sacramentis in genere*, N° 9, dictum est. Hic autem speciatim inquiritur de quibusdam omissionibus et mutationibus, scilicet:

Q. *Circa omissiones, quænam in forma latina habenda sunt verba ut essentialia?*

R. Certum est verba: *ego* et *amen* non esse essentialia; idem probabilius tenetur de prima coniunctione *et posita* inter voces *Patris* et *Filii*, et de verbo *in*. Cætera vero verba certo essentialia sunt.

Q. *Circa mutationes, an valida est baptismi forma in duabus sequentibus?*

1º *Si dicatur: Ego te baptizo in nomine sanctissimæ Trinitatis?*

R. Probabilius *Negative*, quia non distincte exprimuntur singulæ personæ SS. Trinitatis, quas distincte exprimi voluit Christus dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

2º *Si dicatur: Ego te baptizo in nomine Christi?*

R. Certo *Negative*, quia ad valorem necessaria est expressa invocatio trium personarum SS. Trinitatis.

Hæc autem forma, sicuti jam non valet, item probabilius nunquam valuit, prout communius tenetur contra s. Thomam docentem quod apostoli baptizaverint *in nomine Christi*, idque ex speciali Christi revelatione, i. e. ex privilegio seu dispensatione a lege generali qua eis præcepit baptizare *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Contra hanc autem sententiam dicimus quod, quando in *Actibus Apostolorum* refertur nonnullos fuisse baptizatos *in nomine Christi* aut *Domini Jesu*, significatur eos in fide et ex charitate Christi atque ejus baptismo, ut distincto a baptismo Joannis, baptizatos fuisse; sed minime innuitur illa baptismata, prolatis solum his verbis: *in nomine Christi*, fuisse collata.

CAPUT III.

DE BAPTISMI MINISTRO.

11. — q. *Quisnam generatim est baptismi minister?*

R. Juxta dicta *De Sacramentis in genere*, № 25, in baptismo minister solemnitatis *ordinarius* est sacerdos, minister solemnitatis *extraordinarius* est diaconus, et minister *necessitatis* est omnis homo.

Jam inquirendum est quisnam minister baptizet valide et quisnam baptizet licite.

q. *Quisnam baptismum ministrat valide?*

R. *Valide* baptizat omnis homo viator, utens ratione, capax proferre formam et adhibere materiam; sive sit vir, sive femina, sive catholicus, sive hæreticus, sive infidelis. Ille enim valide baptizat, non tantum in necessitate, ubi agit licite, sed etiam extra necessitatem, ubi agit illicite.

Verum quidem est quod omnis homo viator dicatur minister *necessitatis*, quia valide et licite baptizat quando

adest casus quidam necessitatis; sed tanta est baptismi necessitas, ut Christus voluerit hoc sacramentum a quocumque semper, etiam extra casus necessitatis, conferri valide et licite; hæcque Christi voluntas nobis per traditionem, praxim et doctrinam Ecclesiæ manifestata est.

12. — q. *Quisnam baptismum ministrat licite?*

r. Distinguendum est inter ministrum ordinarium, extraordinarium et ministrum necessitatis.

1º Quoad ministrum ordinarium.

Minister ordinarius seu sacerdos non potest, extra casum necessitatis, hac sua ordinis potestate licite uti, nisi habeat jurisdictionem ordinariam vel delegatam.

Hanc jurisdictionem *ordinariam* habet episcopus per suam diœcesim et parochus per suam parochiam.

Hinc, nec episcopus, nec parochus, absque licentia proprii sacerdotis, licite baptizare possunt, tum extra suam diœcesim vel parochiam, tum alienos infra diœcesim vel parochiam. Ratio est, quia in his casibus violarent jus proprii sacerdotis a quo egent delegari.

Hanc jurisdictionem *delegatam* habet quivis sacerdos ab episcopo vel parocho delegatus. Ad quam jurisdictionem delegatam non semper requiritur licentia expressa, sed sufficit tacita, vel rationabiliter præsumpta. Sic v. g. si proles aliena et ignota deferatur baptizanda, et deferentes nolint manifestare unde et cuius sit; vel si mulier casu pariat in pago non suo, facile præsumitur de proprii sacerdotis licentia, ita ut licitum sit tali proli baptismum conferre.

2º Quoad ministrum extraordinarium.

Minister extraordinarius, i. e. diaconus, ut sua ordinis potestate licite uti valeat, non solum eget jurisdictione ab episcopo vel parocho delegata, quemadmodum supra de quovis sacerdote dictum est, sed insuper hæc

jurisdictio delegari non potest absque gravi causa seu quadam necessitate.

5º Quoad ministrum necessitatis.

In casu necessitatis, omnis homo viator, de quo supra, N° 11, baptizare potest, imo baptizare debet, modo debitus inter baptizaturos servetur ordo, scilicet ordo dignitatis a rituali Romano traditus: « Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminæ, nisi, pudoris gratia, deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. »

Hujus autem ordinis inversio constituit peccatum grave, si prætermittatur sacerdos, licet de ipsius consensu; idemque dicunt multi si prætermittatur diaconus, quod tamen certum non est. Inversio autem inter ministros diacono inferiores, non est peccatum grave, quia nullus ex ipsis præ alio ad hoc specialiter est deputatus, et honor sacramenti inde vix patitur.

Nota. Igitur, in plerisque quos supra memoravimus casibus, in quibus minister baptizat illicite, sive sit sacerdos vel non, sive baptizet solemniter aut privatum, *per se* peccat mortaliter, et quandoque irregularitas incurri potest. Dico *per se*: quia excusare potest licentia vel necessitas quodammodo quidem præsumpta, sed non satis fundata; item ignorantia vel bona fides, præsertim in laicis.

CAPUT IV.

DE BAPTISMI SUBJECTO.

15. — q. *Quisnam est baptismi subjectum?*

r. *Subjectum baptismi capax est solus et omnis homo viator, nondum valide baptizatus.*

Imo adhuc subjectum capax foret, eliamsi careret peccato originali, quia baptismus a Christo institutus est,

non solum in peccati originalis remissionem, sed etiam ut quis per illum incorporetur Ecclesiæ et capax fiat aliorum sacramentorum. Hinc, baptizandi forent, tum hi qui per baptismum flaminis jam essent justificati, tum illi qui in utero, ut Joannes Baptista, supponerentur justificati; et sic, communis est sententia B. M. V. fuisse baptizatam.

Docuerunt varii hæretici baptismum infantibus ante usum rationis collatum, esse irritum; et proin tales infantes, cum ad annos discretionis pervenerint, interrogandos esse num baptismum ratum habere velint. Sed utrumque a Tridentino reprobatum est.

Nec obstat, quod sic eis imponantur onera quin ea acceptaverint: nam per baptismum eis nulla injuria, sed maximum beneficium confertur; sicuti nihil obstat, quo minus parvulus ab homine benefico hæres instituatur. Quod de infantibus, idem tenendum est de perpetuo amentibus.

Jam inquiritur 1º de baptizando foetu in utero materno, et de operatione cæsarea; 2º de baptizando foetu abortivo vel monstruoso; 3º de baptizandis pueris, invitatis parentibus; 4º de baptizandis adultis; 5º de rebaptizatione.

14. — Quoad fœtum in utero materno, et sectionem cæsaream.

Prænotandum est, 1º quod illicite tentetur baptismus, si supponatur infans in utero ita includi ut aqua tangi et ablui omnino non possit: quod tamen hodie, ob inventum novum instrumentum, vix aut nunquam contingere potest (vide *De Justitia*, N^{is} 80 et 81); 2º quod infans in utero existens, secundum animam et corpus distinguatur a matre, et consequenter falso diceretur, cum quibusdam hæreticis, eum baptizari cum matre, si illa forte tunc baptizetur; 3º quod, urgente necessitate, baptizari certo possit et debeat infans, si aliquod membrum ex utero emittat.

Sed questio est an validus et licitus sit baptismus si infans, in utero totaliter inclusus, debite ablui possit manu vel instrumento.

Negat Billuart cum variis, præsertim quia infans nondum est *natus*, de quo dici possit: *Nisi quis renatus fuerit denuo*.

Sed *Affirmatur* communius et probabilius; nam duplex distinguitur nativitas: nativitas *ex utero*, et nativitas *in utero*, seu conceptio, juxta: *Quod in ea natum est, ex Spiritu sancto est*; atqui infans, in utero, censemur sufficienter natus ut sit vere homo viator, cum subjiciatur actioni hominum, scilicet cum possit attractari et advari ut in lucem edatur.

Sententia *Affirmans* est practice tenenda, et consequenter baptizandus est infans sub conditione, super corpus, frangendo pelles secundinas; imo Lig., ex Ben. XIV, docet tale baptisma esse certo validum, ut in tractatu *De Justitia*, ad finem N^o 80, dictum est.

15. — Quum aliquando secundus sit venter et uterus matris, sive mortuæ sive viventis, ut fœtus ex utero extrahi et baptizari valeat, quæ operatio vocatur *sectio* seu *operatio cæsarea*, ideo de ea quædam tradimus.

Operatio cæsarea fieri potest, vel 1^o in matre mortua, tuncque nulla est specialis difficultas; vel 2^o in matre vivente, tuncque solutio quæstionis difficultate non caret, cum in hoc casu curandum sit de conservanda seu non auferenda duplice vita, tum matris tum infantis. De his quædam dicimus in duplice N^o seq.

16. — *In matre mortua*. Fieri potest hæc sectio, imo sub gravi fieri debet, sive per medicum sive per alium, sive probabilius quoque per ipsum sacerdotem, etiam invitis parentibus aut propinquis; dummodo certo constet 1^o de graviditate matris, et 2^o de ejus morte.

Dico 1º de *graviditate* matris. Multis exemplis constat animationem fœtus locum habere in ipso peractæ conceptionis momento, i. e. simul ac animalculum spermaticum virile cum ovulo femineo perfecte fuerit coniunctum. Hæc autem sententia, quatenus nullum fœtum inanimatum admittit, est, teste Ballerini, hodie communior, præsertim post accuratiores a physiologis institutas observationes, et est magis consentanea principiis non tantum philosophicis sed etiam theologicis. Quapropter, vix locus est cur de hypothesi fœtus inanimati quæstio specialis moveatur.

Dico 2º de *morte* matris gravidæ. Hæc autem mors colligi potest ex variis signis: ex flaccitate oculorum, ex rigiditate membrorum, ac præsertim ex cessatione pulsationum cordis, per decem saltem minuta; quod facile probari potest applicatione auris ad regionem cordis materni.

Nec omittenda foret operatio, eo quod notabile tempus a morte matris effluxerit, vel eo quod medicus asseveret fœtum jam esse mortuum; nam, teste Cangiamilla, experientia compertum est fœtum, etiam per dies integros, matri supervivere posse, et neminem certo scire posse fœtum revera obiisse.

Ratio cur tunc fieri debeat, est quia, ex lege charitatis, omni cura et labore salus æterna infantis procuranda est, et quia id sine gravi incommodo fieri potest. Ordinarie autem, ad cautelam, monendus est magistratus civilis et adhibendi sunt testes, ne operationis auctor forte ut homicidii reus traducatur.

Nota. Sacerdos, in casu quo per seipsum sectionem facere debeat, procedat modo sequenti: In cadavere supra dorsum posito, in medio ventris paulo supra umbilicum, faciat parvam incisionem, prudenter tamen et non profundius, ne viscera interiora lædat, ita ut facile digitus in cavitatem ventris immitti possit; dein, digitum supponens sub

lamina cultelli, secet linea recta, declinando tamen umbilicum, usque ad vulvam seu os pubis. Qua scissura facta, statim obviam habet varia viscera in cavitate ventris inclusa, inter quæ eminent tria viscera majora, scilicet vesica; et infra vesicam, matrix; et infra matricem, intestinum rectum: quæ tria viscera correspondent triplici canali et aperturæ ad extra, scilicet aperturæ urinali et vaginali, quæ ambæ in membro anteriori seu vulva coadunantur, et aperturæ excrementariæ. Si vesica, præ nimia quantitate urinae distenta, impedimento sit ad faciliorem operationem in matrice faciendam, eam manu comprimat, ut urina per canalem ad extra defluat. Tunc matricem prudenter secet, eodem modo quo secavit ventrem, et illico inveniet infantem secundinis involutum. Supra secundinas statim baptizet sub conditione *si es capax*; dein secundinas digito dilaceret, et infantem evolutum iterum sub conditione baptizet, si in eo signa vitæ deprehendat, i. e., quamdiu in eo non observatur manifesta putrefactio vel membrorum disruptio.

Insuper notari potest sæpius evenire, præsertim primis vel ultimis a conceptione mensibus, quod facienda non sit sectio cæsarea, quum mater in ipsa agonia quandoque ejiciat fœtum; qui proin, nisi cito ei subveniatur, facile suffocari posset.

17. — *In matre vivente.* Quæstio de operatione cæsarea in vivente matre facienda, nec agitatur nec locum habere potest, nisi in casu quo instans partus talis sit naturæ, ut mater, medicorum judicio, prævideatur naturaliter parere omnino non posse.

Certum imprimis est, hanc operationem esse illicitam, nisi efficiatur in matre valde robusta, et a medico valde perito.

Certum insuper est quod, quemadmodum non licet occidere matrem prægnantem, quantumvis desperatam, ad

salvandam vitam sive temporalem sive spiritualem infantis; ita quoque non liceat occidere fœtum in utero, ad salvandam vitam matris, cum hoc foret homicidium corporale et spirituale. Unde, iniqua est praxis multorum medicorum qui, tum ob materialismi principia tum ob depravatas juris naturalis notiones, in partu laborioso recurrunt ad operationem quam vocant *embryotomiam*, qua prolem vivam in utero materno directe occidunt, discerpunt, sicque per partes extrahunt, sub eo prætextu quod, cum ex duabus malis minus sit eligendum et ex duabus vitis vilior sit sacrificanda, oporteat conservare vitam præstantiorem matris per occisionem infantis. Et quidem, etiam in hypothesi rarissime contingenti, scilicet quod hæc embryotomyia sit unicum medium quo vitæ matris probabiliter consuli possit, tenendum est eam illicitam esse, utpote adversantem juri naturali quoad occisionem directam, atque societati vere nocivam; sic tenendum, inquam, contra paucissimos quosdam recentiores theologos qui inclinare videntur in opinionem de hujus operationis liceitate si, nempe, proles ante decertationem fuerit baptizata. Vide latius de procuratione abortus et de sectione in matre vivente, in tractatu *De Justitia*, N^os 80 et 81.

18. — Quoad fœtum abortivum.

q. *Quid intelligitur per fœtum abortivum?*

r. *Fœtus abortivus* est fœtus qui præmature, i. e. ante nonum a conceptione mensem, in lucem editur.

Fœtus abortivi, alii sunt plene organizati, alii non.

q. *An et quomodo baptizandi sunt fœtus 1º plene organizati, 2º non plene organizati?*

r. 1º *Fœtus pleni organizati*, i. e. qui omnibus suis membris, quantumvis exiguis, instructi sunt, adeoque humani corporis formam referunt, baptizandi sunt absolute, si certa vitæ indicia præbeant; conditionate, si dubia vel

nulla vitæ signa ostendant; nullatenus vero baptizandi sunt, si certa mortis signa manifestent.

2º Fœtus sic *non organizatus*, est vel fœtus qui non nisi rudia et nondum evoluta membra præ se fert, vel fœtus qui vocatur *embryo*, i. e. fœtus minimus et membrorum figura omnino destitutus. Ejusmodi fœtus, nisi mortis det signa indubitata, sub conditione baptizandus est, etiamsi embryo paucis a conceptione diebus fuerit utero ejectus: quia multo probabilior et practice tenenda est opinio docens corpus animari seu anima a Deo donari, ab ipso peractæ conceptionis momento, ut supra, N° 16, dictum est.

Attamen conferri non potest baptismus, si certo constet id quod ejicit mulier, esse *molum*, i. e. simpliciter massam carneam vita plane destitutam. Mola autem esse judicatur si sit caro informis, venis nigris et sanguineis intexta, dura, ita ut digitii tactu non mollescat. Sed advertit Cangiamilla expedire ut et ipsæ moles caute dissecetur, et inspiciatur num aliquis forte in eis lateat infantulus; quod pluries accidisse ille testatur.

Notare insuper licet quod abortus spontaneus seu in femina involuntarius, præcipue locum habeat vel paucis post conceptionem diebus, vel circa tertium ejus mensem.

19. — Quoad baptizanda *monstra*.

q. *Quid intelligitur per monstrum?*

r. *Monstrum* est fœtus humanus in quo species corporis humani totaliter vel notabiliter deformata est.

Juxta complures physiologos et theologos hodiernos, fœtus humanus in utero matris, cum adhuc mollis et flexibilis est ejus materia, ita deformari et immutari potest ex vehementi aliqua matris imaginatione aut terrore ut, in lucem editus, singularem plane formam exhibeat. Jam autem, nihil est quod sufficienter evincat animam rationalem, qua fœtus ante deformationem multo probabilius animatus

erat, e corpore illo migrasse, mox ut exterior ejus forma fuit deformata et in aliam, etiam bruti, mutata.

Q. An et quomodo baptizanda sunt monstra?

R. Regula generalis est, quod baptizandus sit omnis foetus humanus, quantumvis difformis. Baptizandus est absolute, si habeat caput humanum; conditionate vero, si capite humano careat, i. e. si sit vel acephalus seu sine capite, vel cum capite bestiali, quia tunc aliquale est dubium an vere sit homo.

Dico *si habeat caput humanum*; sed non raro dubium est an monstrum, capite humano præditum, constituat unum tantum hominem, an vero plures, et consequenter, an baptismus semel aut pluries conferendus sit. Igitur:

1º Si habeat unum caput et unum pectus, certum est tantum unum esse hominem, licet habeat v. g. tres vel plures manus aut pedes.

2º Si habeat duo capita et duo pectora distincta, licet cetera non sint duplicata, certum est duos esse homines.

3º Si habeat duo capita et pectora non bene distincta, vel unum caput et duo pectora, vel vicissim duo capita et unum pectus, dubium est an unus vel plures sint homines; tuncque una pars baptizetur absolute, et altera pars sub conditione: *si non es baptizatus*.

20. — Quoad baptizandos pueros *invitis parentibus*.

Prænota 1º. Quæstio non est de baptismi valore, cum certum sit ad hoc non requiri consensum parentum; sed tantum de collationis liceitate.

Prænota 2º. Nec agitur de pueris qui ad usum rationis pervenerunt: hi enim, si in baptismum consentiant, invitis parentibus certo licite baptizantur, quia quisque in rebus ad salutem pertinentibus, est sui juris. Quæstio ergo est tantum de pueris nondum ratione utentibus. Igitur,

Q. An pueros ratione nondum utentes, invitis parentibus, baptizare licet?

R. Sit regula generalis sequens: Eos baptizare non licet quoties merito timetur pro eis periculum apostasiæ vel persionis, quum illa apostasia vel perversio in gravem injuriam fidei et sacramenti cederent; secus vero, eos baptizare licet. Jam vero,

1º Timetur ordinarie hoc periculum, non tantum si inviti parentes sint infideles, sed etiam si sint baptizati hæretici vel schismatici, imo si sint pessimi catholici.

Verum quidem est quod parentes baptizati, ratione baptismi, Ecclesiæ subjiciantur, sicuti et eorum pueri ratione nativitatis ei subjacent; et quod Ecclesia consequenter jus habeat hos pueros baptizatos a cura parentum abstractendi et christiane educandi. Sed patet talem separationem, in hisce præsertim temporibus, nullatenus vel non sine maximis incommodis fieri posse; et proin regulariter illicitum esse tale baptismus. Dixi *timetur ordinarie*, nam:

2º Non timetur hoc periculum, et consequenter regulariter baptismum conferre licet, in sequentibus casibus: 1º si hi pueri videantur perpetuo amentes, vel sint in mortis periculo; 2º si pueri sint a parentum cura abstracti: quales esse censentur tum pueri mancipia vel bello capti, qui non a parentibus sed a domino dependent; tum pueri expositi, vel a parentibus derelicti, vel pueri sine spe redditus a parentibus separati.

Nota. Si unus parentum in baptismum consentiat, reluctante altero, ordinarie licitus est baptismus; nisi tamen dictum periculum timendum foret a parte reluctantis.

21. — Quod baptizandos *adultos*.

Q. Quinam hic vocantur adulti?

R. Adultus hic intelligitur ille qui habet aut aliquando habuit usum rationis; nam perpetuo ac plene amentes

comparantur infantibus, in quibus nulla requiritur dispositio.

Duo inquiruntur: 1º quandonam baptizandi sint; 2º quænam in eis requirantur dispositiones.

Q. Quandonam *baptizandi sunt adulti?*

R. Extra mortis periculum, baptizandi sunt statim ac, moraliter loquendo, id fieri potest.

Dico *moraliter loquendo*: nam baptismum per aliquod tempus differre licet ob justam causam, scilicet: ad cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur; vel ob reverentiam sacramenti, ut sancte administretur; vel ob utilitatem baptizandorum, ut plenius instruantur. Eo major requiritur causa, quo mora est diuturnior. Sed differre non licet per longum tempus, quia vetat charitas seipsum vel alium tanto bono diu privare.

Nota. *Parvuli* baptizandi sunt quamprimum, i. e. extra mortis periculum, saltem intra paucos a nativitate dies. Unde peccare possunt, et aliquando graviter, parentes qui, v. g. ob absentiam patrini, absque sufficienti causa et cum periculo infantis, baptismum diutius differunt.

Q. *Quanam in adultis requiruntur dispositiones?*

R. Alia requiritur dispositio ad baptismum recipiendum valide, alia ad recipiendum fructuose.

1º Ad *validam* susceptionem, requiritur et sufficit intentio seu voluntas saltem habitualis suscipiendi sacramentum, ut *De Sacramentis in genere*, N° 57, dictum est.

2º Ad *fructuosam* susceptionem, ultra dictam intentiōnem, requiritur, juxta Tridentinum, ut, excitati et adjuti divina gratia, credant, sperent, Deum diligere incipient et proin de propriis peccatis pœniteant.

Actus ille charitatis et contritionis non debet esse charitas perfecta, neque contritio ex charitate perfecta, cum baptizandus semper justificatus ad sacramentum accederet; sed sufficit charitas imperfecta et contritio imperfecta seu attritio. Per accidens, si quis solum originale

peccatum haberet, non requireretur contritio stricte dicta, cum neminem poeniteat de alienis; sed sufficeret quædam displicentia peccati originalis utpote offensæ Dei.

22. — Quoad rebaptizationem.

Ex Tridentino, de fide est baptismum esse initerabile. Proin baptismus certo validus, si iteretur, non tantum invalide iteratur, sed rebaptizans et adultus rebaptizatus fiunt gravis sacrilegii rei, et irregularitatem incurrere possunt.

q. *Quænam est igitur regula generalis quoad rebaptizationis liceitatem?*

r. Juxta dicta *De Sacramentis in genere*, N° 10, sit regula generalis sequens: 1º baptismus non potest iterari quoties adest certitudo moralis de baptismo jam valide collato; 2º sub conditione iterari potest et debet, quoties de baptismo valide collato adest dubium fundatum seu non spernendum.

Practice tamen, quoad hujus regulæ applicationem ad casus particulares, multum disputatur, et quidem theologi theologis, et ritualia ritualibus sæpe opponuntur. Agitur autem speciatim de triplici baptizatorum classe, 1º de baptizatis ab obstetricie vel ab alio laïco, 2º de baptizatis ab haereticis, 3º de pueris expositis.

Multi theologi, et varia ritualia dicunt hos omnes sub conditione esse rebaptizandos ordinarie, quia regulariter sufficiens adest dubium vel de baptismo collato, vel de collati validitate.

Dicit autem pastorale Brugense quod «rebaptizandi sint sub conditione 1º baptizati a *laicis*, etiam ab obstetricibus aut aliis qui se bene baptizasse credunt, quia turbatione vel ignorantia facile erratur, vel aliquid essentiale ab illis omittitur; 2º baptizati ab *haereticis*, quia merito baptismus ab eis collatus, de nullitate suspectus haberi debet, cum sacramentorum formam plerumque intervertant, materiam contemnant, aut legitimam intentio-

nem non habeant.» Attamen Ill. D. Faict, episcopus Brugensis, in congregacione prosynodali decanorum anno 1869, præfatum primum præceptum pastoralis quoad baptizatos in necessitate a laicis, temperat modo sequenti, scilicet quod illa pastoralis verba « non ita intelligenda sunt, quasi baptismum iterare ullo modo liceret, quando, habita ratione conditionis et experientiæ illius qui baptizavit, puti chirurgi vel obstetricis, moraliter certo constat de valore sacramenti in necessitate collati. »

CAPUT V.

DE BAPTISMI CÆREMONIIS ACCIDENTALIBUS.

Agimus 1º de cæremoniis in genere, 2º in specie de patrinis.

25. — q. *Quænam potissimum notare juval quoad baptismum privatum?*

r. Notatu digna sunt sequentia:

Baptismus, absque accidentalibus cæremoniis collatus, et propterea nuncupatus *privatus*, per oppositionem ad baptismum *solemnum*, i. e. cum dictis cæremoniis collatum, in quocumque loco conferri potest in casu necessitatis, i. e. urgente mortis periculo, vel ex alia causa ab ordinario approbata.

Asserit autem pastorale Brugense: « Tametsi mortis ingruente periculo aquam non baptismalem adhibere liceat; in quantum tamen temporis ratio permiserit, sacerdos, tali casu ad baptizandum vocatus, aquam de sacro fonte adsportet vel quæri jubeat. Sed qui sic fuerit baptizatus, quamprimum fieri poterit, ad ecclesiam deferatur, et quæ omissa fuerunt, suppleantur, eo ordine et ritu qui alias adhiberi solet, omissis etiam interrogationibus de baptismi desiderio, mutatisque mutandis, prout suis locis ad marginem adnotatur. »

24. — q. *Quænam potissimum notare juvat quoad baptis-
mum solemnem?*

r. Notatu digna sunt hæc quinque :

1º Juxta pastorale Brugense, conferri debet in sola ecclesia fontem baptismalem habente, nisi sint proles regum aut magnorum principum, quæ in eorum capellis aut oratoriis baptizari possunt solemniter, i. e. adhibitis omnibus cæremoniis in pastorali præscriptis.

2º Baptismi cæremoniæ, contra quas insane invehuntur hæretici, ea sunt antiquitatem, ut earum origo referenda sit ad ipsa apostolorum tempora. Harum meminit Tertullianus, Augustinus, etc.; et asserit catechismus Romanus harum institutores fuisse apostolos.

3º Ita obligant hæ cæremoniæ ut, juxta Gury, graviter peccet baptizans qui omittet eas omnes vel aliquam ex eis notabilem. Dicit autem pastorale nostrum : « Quæ singula in omni baptismo (extra necessitatem seu in baptismo solemni) sub gravi peccato adhibere præcipimus. »

4º Cæremoniarum utilitates vide *De Sacramentis in genere*, N° 40. Item baptismi cæremoniarum divisiones et significaciones vide, si libet, in Dens, editione nova Mechliniensi.

5º Inter has cæremonias, una est de qua speciatim inquirimus, scilicet de adhibitione *patrinorum*.

25. — q. *Quare patrini et matrinæ ita vocantur?*

r. *Patrini* et *matrinæ*, nominibus diminutivis ita vocati relative ad *filiolos* et *filiolas*, sunt quasi parentes spirituales, qui baptizatum de sacro fonte levant, et in suam curam, defectu parentum, suscipiunt. Quoad eos, teneantur sequentia :

1º Mos adhibendi patrinos, ab ipsis apostolorum temporibus invaluit, et variis Ecclesiæ legibus statutus fuit. Assistentia patrini sub gravi præcipitur in baptismo so-

lemni; permittitur vero generatim in baptismo privato, sed in Belgio hujusmodi assistentia in usu non est.

2º Tridentinum assistentiam saltem unius, sive sit vir sive femina, præcipit; assistentiam autem duorum permittit, modo sint vir et femina. Plures adhibere quam duos non licet sub gravi, ne multiplicentur cognationes; attamen si admittantur, probabilius vere sunt patrini, quia lex Tridentina irritans (de qua modo infra) respicere videtur non hos, sed tantum alios patrinos qui, ultra designatos et admissos, baptizatum tangerent.

5º Cum finis Ecclesiæ, patrinum adhibentis, sit ut, deficientibus parentibus, certius provideatur christianæ educationi puerorum, ideo ab hoc officio excludendi sunt omnes a quibus finis iste sperari non potest.

Hinc *illicite*, licet valide, in patrinos adhibentur, juxta pastorale Brugense, 1º pater et mater proli baptizandæ, cum eos patrini supplere debeant; 2º religiosi et moniales, cum curis sacerularibus valedixerint; 5º non catholici, excommunicati, infames et publici peccatores, vel ignorantes rudimenta fidei. « Quare, si talis in patrinum a parentibus electus, inopinato se præsentet, ait decretum synodale Mechliniense anni 1847, sacerdos honesto modo significet legem Ecclesiæ non permittere ut admittatur; imo facile permittat ut tamquam testis assistat, sive cum uno vel una baptizet. »

4º Ut quis *valide* sit patrinus, quædam conditiones requiruntur tum a parte baptismatis, tum a parte patrini.

A parte *baptismatis*, requiritur 1º ut conferatur baptisma certo validus; 2º ut conferatur solemniter; unde ex baptismo privato patrini, si adhibeantur, non exurgit cognatio spiritualis.

A parte *patrini*, requiritur 1º ut sit baptizatus; 2º ut sit rationis compos, et assistat cum intentione patrinum agendi, qualis non est qui simpliciter assistit juvandi gratia, vel procurator qui patrinum agit non pro se sed

pro mandante; 5º ut sit a parentibus, vel eorum locum tenentibus designatus et a baptizante admissus, quia Tridentinum ait: « Si alii ultra designatos baptizatum teligerint, cognationem spiritualem non contrahunt »; 4º probabiliter, contradicentibus tamen aliis, ut baptizatum tangat, vel immediate post baptismum de manibus sacerdotis baptizantis aut obstetricis recipiat, vel immediate ante baptismum infantem sacerdoti porrigat.

Dixi requiri baptismum *validum*. Unde, si baptismus sub conditione iteretur, patrinus non contrahit nisi dubiam cognationem spiritualem; et si tantum suppleantur cæremoniæ, patrinus, qui tunc nihilominus adhibendus est, non contrahit cognationem spiritualem, sed probabiliter contrahit obligationem instructionis. Vide plura hac de re in tractatu *De Matrimonio*, N° 105.

5º Effectus validæ susceptionis in patrino sunt: 1º cognatio spiritualis quæ, sicuti a baptizante, ita etiam a patrini contrahitur erga baptizatum et baptizati parentes; 2º gravis obligatio curandi ut filiolus in fide et vita christiana recte instruatur et educetur, si parentes huic muneri deficiant.

Nota. Quoad *nomina* baptizando vel etiam confirmando imponenda, animadvertere oportet sequentia:

1º Imponenda sunt nomina sanctorum, præcipue novi Testamenti, quorum exemplis ad pie vivendum excitetur et patrociniis adjuvetur baptizatus. Sunt autem varia nomina veteris Testimenti quæ in nova lege occurrunt, v. g. Moysis, Daniëlis, Zachariæ, etc., ut in martyrologio videre est.

2º Si insistant parentes vel patrini ut imponatur nomen minus conveniens, illud admittere potest minister, modo curet ut addatur nomen alicujus sancti.

3º Nullatenus tamen admittenda sunt nomina quæ in contemptum fidei aut morum cedere possunt, qualia sunt nomina falsorum deorum, ethnicorum, hominum impiorum, vel nominum aggregationes sensum aliquatenus obscenum præ se ferentes.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Sanctum *confirmationis* sacramentum, ait Schouuppe, non sine causa post baptismum collocatur et proponitur. Nam hæc per duodecim priora Ecclesiæ sæcula recens baptizatis conferri consuevit; et aliunde magnam cum baptismo affinitatem habet. Per confirmationem enim vita spirituialis, quam in baptismo accepimus, augetur atque perficitur. Adscripti familiae Christi et ad hæreditatem vocati, jam ejus militiae adscribimur, ut hæreditatem adire valamus. Quare sacrae militiae character nobis per confirmationem imprimitur, et lumen infunditur menti ac robur pectori, ut sicut boni milites Christi Jesu, legitime certemus.

Quadruplici capite agimus 1º de confirmationis natura, 2º de materia et forma, 3º de ministro, 4º de subjecto.

CAPUT I.

DE CONFIRMATIONIS NATURA.

1. — q. *Quid est confirmation?*

R. Agendo contra hæreticos, ait Dens, definitur: Sacratum a Christo institutum, quo baptizatis datur Spiritus sanctus, ad fidem Christi constanter et intrepide proficendam.

Nihil in hac definitione continetur quod ad fidem catholicam non spectet. Non fit autem mentio materiæ, nec formæ, nec ministri, ob varias circa illa disputationes, ad veritatem dogmatis non pertinentes.

Naturam confirmationis clarius explicat, ideoque instructioni populi aptior est definitio tradita in catechismo Mechliniensi: Sacramentum quod baptizatis ab episcopo confertur, in quo, per sacram unctionem et sancta verba, confertur gratia et robur ad fidem firmiter profitendam.

Adumbratum hoc sacramentum a Christo fuit, dum manus imposuit parvulis et oravit. Insignis autem ejus declaratio extitit die Pentecostes, quando apostoli Spiritus sancti abundantiam acceperunt.

2. — q. *Paucis proba confirmationem esse verum novæ legis sacramentum.*

r. Adversus protestantes illud probatur:

1º Ex ss. Patribus, ex perpetua Ecclesiæ praxi, atque ex concilio Florentino et Tridentino.

2º Ex eo quod in illa inveniantur tria essentialiter requisita et sufficientia ad omne sacramentum, ait Gury, scilicet: signum sensibile, promissio gratiæ et institutio Christi.

Etenim 1º ritus exterior habetur in rebus et verbis seu in materia et forma; 2º promissio, et etiam ipsa collatio gratiæ habetur *Actibus Apostolorum VIII, 17*, ubi dicitur quod Petrus et Joannes, missi Samariam ad confirmandos fideles jam baptizatos, *imponebant manus super illos*, et *accipiebant Spiritum sanctum*; 3º institutio divina satis intelligitur ex ipsa potestate qua apostoli, post baptismum, per impositionem manuum conferebant Spiritum sanctum; atqui illud propria auctoritate non poterant.

3. — q. *Quandonam Christus hoc sacramentum instituit?*

r. Non constat. Alii dicunt in ultima cœna; alii vero

probabilius, post resurrectionem, quando dixit apostolis: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos*, ubi iis dedit plenam potestatem episcopalem in corpus mysticum Ecclesiae.

Nota. Licet, post Tridentinum, sit de fide omnia sacramenta novae legis a Christo fuisse instituta, non definit tamen concilium 1º utrum omnia ab ipso instituta fuerint *immediate* per seipsum, an vero *mediate* tantum, i. e. per apostolos vel Ecclesiam; 2º utrum omnium materiam et formam determinaverit *in specie*, an tantum *in genere*. Jam autem, 1º Christum ea instituisse *immediate*, admittitur ut certum. 2º Christum materiam et formam determinasse *in specie*, admittitur ut certum pro baptismo et Eucharistia; admittitur ut communius pro pénitentia, extrema-unctione et matrimonio; et admittitur ut probabile pro confirmatione et ordine, contradicentibus variis qui tenent pro determinatione tantum *generica*, et quorum sententia etiam est probabilis, imo forte probabilior. Vide *De Sacramentis in genere*, N^{is} 1 et 6.

4. — Q. *Quinam sunt confirmationis effectus?*

R. Juxta dicta *De Sacramentis in genere*, effectus secundarius est *character*, quo confirmatus fit idoneus ad fidem Christi profitendam; effectus primarius est *gratia*. Hæc gratia est duplex: 1º *gratia sanctificans*, cui adduntur habitus virtutum et dona Spiritus sancti; 2º *gratiæ sacramentales*.

Hæc autem gratia *sanctificans*, prout est confirmationi propria, est *roborativa*, qua specialiter augentur virtutes fidei et fortitudinis; hue quoque spectant gratiæ sacramentales quæ hoc sacramento conferuntur.

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONIS MATERIA ET FORMA.

Licet inter catholicos, ait Schouppe, sine controversia conveniat sacramentum confirmationis rite in Ecclesia administrari, nec practice ullus sit dubio locus; speculative tamen non omnino consentiunt in hac administratione explicanda, atque in forma et potissimum materia hujus sacramenti definienda.

5. — q. *Quænam est confirmationis materia remota?*

r. Est *chrisma*, ex oleo olivarum et balsamo confectum et ab episcopo benedictum; item partialiter est *manus* ministri.

Dico 1º *ex oleo olivarum*, et id quidem requiritur essentialiter seu de necessitate sacramenti.

Dico 2º et *balsamo*. Licet certum sit requiri balsamum necessitate præcepti, non tamen certum est, sed communius et probabilius tenetur, illud necessarium esse necessitate sacramenti.

Dico 3º *ab episcopo benedictum*; communius etiam affirmatur chrismatis benedictionem esse de necessitate sacramenti. Quæ quidem benedictio, de jure ordinario, competit solis episcopis. Sed disputatur an, ex Papæ concessione, fieri possit a simplici sacerdote. Alii *Negant*, quia concilium Florentinum dicit: *Chrisma ab episcopo benedictum*; alii *Affirmant*, quia, si Papa simplici sacerdoti committere possit hujus sacramenti administrationem, a fortiori potest hujus præparationem.

6. — q. *Quænam est confirmationis materia proxima?*

r. Juxta sententiam probabiliorem et nunc fere communem, *materia proxima* est partialiter *chrismatio*, et partia-

liter manus impositio indistincta a chrismatione, quæ chrismatio et impositio facienda sunt in fronte per modum crucis, immediate manu ministri; non vero partialiter est illa manuum impositio quæ a principio cærenoniam fit simul in omnes confirmandos.

Dixi 1º eam consistere in *chrismatione* et in dicta *manus impositione*; id probatur ex traditione constanti Ecclesiæ, qua intelligitur quod confirmatio, in Ecclesia tam græca quam latina, semper ita collata fuerit, scilicet per unctionem cum simultanea manus impositione; licet Scriptura de sola manuum impositione loquatur, nec de unctione expressam mentionem faciat.

Dixi 2º *in fronte per modum crucis, immediate manu ministri*; ita ut illa omnia necessaria sint necessitate præcepti, quod certum est; sed insuper, juxta sententiam probabiliorem, de necessitate sacramenti. Ex quo sequitur illicitam et invalidam esse unctionem mediatam, i. e. factam, non ipsa manu sed mediante virgula vel alio instrumento. Nec dicas quod extrema-unctionio valide ministretur medio instrumento: nam, in illo sacramento, impositio manus non requiritur ad valorem sicut in confirmatione.

Dixi 5º materiam proximam non consistere in dicta *manuum impositione praambula*; nam, ut observat Perrone, hæc impositio in ritualibus latinis non ubique nec eodem modo observatur; et a græcis et orientalibus penitus omittitur: ex quo sequeretur eos non habere sacramentum confirmationis, quod admitti non potest. Interim, cum hæc manuum impositio ab Ecclesia præcipiatur sub gravi, monendi sunt confirmandi ut omnes ei presentes sint; et, si quis ei non adsuerit, pro ipso hæc cærenonia repetenda foret.

7. — q. *Quænam est confirmationis forma?*

r. *Quemadmodum de materia proxima, ita et de con-*

firmationis *forma* disputatum fuit. Sed pariter dicendum est, juxta sententiam probabiliorem et communem, formam esse illam unicam quæ in decreto pro Armenis indicatur, scilicet:

Pro latinis: *Signo te signo crucis, et confirmo te christate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Pro græcis: *Signaculum doni Spiritus sancti; cuius sensus est: hoc signaculo seu signo tibi meo ministerio donantur munera Spiritus sancti; ubi, more eorum linguae, varia verba subintelliguntur.*

Utraque forma in sua respective ecclesia servanda est, et quidem sub gravi.

Hinc dicendum est confirmationis formam non consistere partialiter *in oratione* quam minister, invocando Spiritum sanctum, profert in præambula manuum impositione.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

Juxta dicta, N° 25, *De Sacramentis in genere*, de sacramentorum ministro, confirmationis minister alius est ordinarius, et alius extraordinarius, prout ordinatus fuit ad ministrandam confirmationem potestate ordinaria, vel tantum potestate delegata. Quapropter confirmationis minister ordinarius, seu potestate ordinaria, est solus episcopus; extraordinarius, seu potestate delegata, est simplex sacerdos.

8. — Quoad ministrum *ordinarium*, teneantur sequentia:

1º Minister *ordinarius* est solus episcopus. De fide est, ex Florentino et Tridentino. Id eruitur ex *Actibus Apostolorum*, ubi semper leguntur confirmasse episcopi; id firmat praxis Ecclesiæ; id suadet ipsa ratio: nam milites designare, non est omnium, sed ducum; atqui, per confir-

mationem, designantur milites Christi, quod est ducum seu episcoporum.

2º Conformiter ad dicta de ministro ordinario baptismi, *De Baptismo*, N° 12, episcopus, sacramentum confirmationis conferens etiam non subditis, nihilominus agit *valide*, quia validitas ab ejus charactere solo dependet.

3º Sed, hac sua ordinis potestate *licite* uti non potest, nisi habeat jurisdictionem ordinariam vel delegatam.

Hinc, defectu jurisdictionis *delegate*, episcopus graviter illicite ageret, si in diœcesi aliena confirmaret absque licentia hujus episcopi; vel si in propria sua dioecesi alienos confirmaret, absque licentia saltem rationabiliter præsumpta eorum episcopi. Dico *saltem præsumpta*: atqui, nisi de contrario positive constet, juxta Lig., Scavini et Gury, episcopus semper rationabiliter præsumit de episcopi alieni licentia ut in propria sua dicecesi confirmare possit alienos quo cumque.

9. — Quoad ministrum *extraordinarium*.

Q. *Quisnam est confirmationis minister extraordinarius?*

R. Minister *extraordinarius* est simplex sacerdos a Papa delegatus.

Quemadmodum episcopus, ut dictum est, in sua sacra-tione accipit potestatem *ordinariam* confirmandi, sic sa-cerdos in sua ordinatione, juxta sententiam probabiliorem et communem, accipit potestatem confirmandi *ex delegatione*, scilicet ex sola delegatione Papæ, non vero ex delegatione episcopi. Aliis verbis, sacerdos in sua ordinatione, accipit confirmandi potestatem radicalem et incompletam, quæ deinde fit completa per delegationem Papæ. Unde, dum simplici sacerdoti a Papa conceditur facultas confirmandi, ei conceditur, non exercitium actus ordinis episcopaloris seu potestas ordinaria, bene vero exer-citium actus ordinis sacerdotalis, seu potestas delegata qua sit minister extraordinarius.

Papam habere potestatem delegandi simplicem sacerdotem, probatur ex praxi seu variis factis Sedis apostolicæ, cum constet plures Pontifices sic delegasse, ut refert Benedictus XIV, nec desint exempla ad hanc usque diem; atqui dubitari non potest de potestate qua Papæ tamdiu usi sunt; et sic, quidquid dixerint varii, tum antiqui tum recentiores, res jam extra controversiam est.

Notandum quoque est quod, ad validitatem, sufficere possit Papæ delegatio *tacita*, ut pro græcis explicat Benedictus XIV; nam in ecclesia græca, a pluribus sæculis, simplices sacerdotes passim confirmant, scientibus et non contradicentibus Papis; atqui haec Summorum Pontificum conniventia et tolerantia præsumptionem pontificiae delegationis legitime inducit.

CAPUT IV.

DE CONFIRMATIONIS SUBJECTO.

10. — q. *Quodnam est confirmationis subjectum?*

r. Est omnis et solus homo viator, baptizatus, et nondum confirmatus, etiamsi usu rationis careat.

Dico 1º *baptizatus*: nam confirmationis sacramentum perficit vitam spiritualem quæ in baptismō accipitur, et pro omnibus, sicut baptismus, institutum est.

Dico 2º *etiamsi usu rationis careat*. Sic, XII primis Ecclesiæ sæculis, confirmatio parvulis vel adultis dabatur statim post baptismum, sicut et adhuc fit apud græcos, in Hispania, etc. Sed alibi, ex praxi generatim in Ecclesia vigente, non confirmantur pueri ante usum rationis; nisi per accidens, in quibusdam regionibus, si adsit mortis periculum, vel prævideatur nimis diuturna episcopi absentia: quod tamen apud nos moris non est.

11. — q. *An et qualis est pro fidelibus obligatio confirmationem recipiendi?*

r. 1º Certum est confirmationem non esse necessariam necessitate *medii* ad salutem; nam baptismus, et relapsis pœnitentia, sunt sola sacramenta sic necessaria, quibus status gratiæ adeoque salus æterna obtineri potest.

2º An necessitate *præcepti* necessaria sit sub gravi, disputatur. 1ª Sententia, quam Lig. dicit multo communiores, hanc gravem necessitatem *Negat*. 2ª Sententia *Affirmat* et docet confirmationem obligare sub gravi, necessitate *præcepti*, tum divini tum ecclesiastici, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione. Dicit autem Lig. hanc 2ª sententiam esse omnino tenendam, utpote stabilitam a Benedicto XIV in bulla *Etsi pastoralis*.

12. — Quemadmodum adest pro fidelibus obligatio sacramentum confirmationis suscipiendi, sic adest consequenter pro episcopo obligatio illud ministrandi.

q. *Ad quid igitur sub hoc respectu tenentur episcopi?*

r. Episcopi tenentur ad duo sequentia:

1º Obligantur confirmationem ministrare quoties rationabiliter petitur. Non autem censetur peti rationabiliter, seu generatim non tenetur episcopus illud ministrare moribundis illud potentibus; tum quia hoc sacramentum non est ad salutem necessarium, tum quia id foret episcopo onus nimis grave.

2º Obligantur aliquoties suis subditis, diœcesim circumendo, opportunitatem præbere confirmationem suscipiendi. Unde episcopus, nisi impossibilitate morali excusat, graviter peccaret si a confirmatione, per seipsum vel per alium conferenda, abstineret longo tempore, i. e. per 8 vel 10 annos, ait Gury ex Lig.

13. — q. *Quænam conditiones seu dispositiones in subjecto requiruntur, ad confirmationis receptionem tum validam tum fructuosam?*

R. 1º Ad receptionem *validam*, requiritur in omnibus character baptismalis; et insuper in adultis, intentio sacramentum recipiendi.

2º Ad receptionem insuper *fructuosam*, requiritur in omnibus status gratiæ, cum sit sacramentum vivorum; et insuper in adultis, debita devotio, et sufficiens instruc*tion*is, præsertim in iis quæ sunt de necessitate medii, et in iis quæ spectant ad sacramenta pœnitentiæ et confirmationis.

Nota. Attenta consuetudine hodierna, confirmandus non amplius tenetur esse *jejunus*. Leges enim canonicæ, quæ *jejunium* præscribebant, in desuetudinem abierunt. Unde, etiam invaluit usus conferendi illud sacramentum tempore vespertino.

TRACTATUS

DE EUCHARISTIA.

Veneranda *Eucharistia*, ait Gury, est velut compendium omnium mysteriorum quæ divina sapientia et infinita bonitas et misericordia excogitavit atque perfecit ad hominum salutem et sanctificationem operandam, juxta: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Unde, ait Schouuppe, quod centrum est in circulo, quod cor in homine, quod Deus in mundo, hoc fere est Eucharistia in Ecclesia Christi. Et, sicut in templo materiali omnes ædificii partes atque ornamenta apte disposita referuntur ad altare; in christiana religione et cultu omnia ad Eucharistiæ sacrificium et sacramentum ordinantur.

Eucharistia dupliciter consideranda est: 1º ut *sacramentum*, seu respective ad homines quos sanctificat; 2º ut *sacrificium*, seu respective ad Deum ejusque cultum. Hinc duplex est hujus tractatus pars: 1º de Eucharistiæ sacramento, 2º de missæ sacrificio.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Quintuplici capite dicimus 1º de Eucharistiæ institutione, existentia et divisione; 2º de materia et forma; 3º de Christi præsentia reali; 4º de ministro; 5º de subjecto.

CAPUT I.

DE EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE, EXISTENTIA ET DIVISIONE.

1. — q. *Quid est sacramentum Eucharistiæ?*

r. Est sacramentum a Christo institutum, quod, sub speciebus panis et vini consecratis, continet corpus et sanguinem Christi, ad spiritualem hominis refectionem.

q. *Quænam Eucharistiæ fuerunt præcipuae figuræ?*

r. Eucharistiam præfigurarunt:

1º Ratione materiæ *ex qua*: sacrificium Melchisedech, panes propositionis et panis subcinericus Eliæ;

2º Ratione *rei contentæ*, seu corporis et sanguinis Christi: sacrificia veteris legis, et præcipue sacrificium expiationis et sacrificium sanguinis Testamenti quo Moyses aspersit populum;

3º Ratione *effectus*: lignum vitæ, et manna;

4º Ratione *omnium proprietatum*: agnus paschalis.

2. — q. *Quandonam Christus Eucharistiam instituit?*

r. Illam certo instituit *in ultima cœna*, ubi adimplevit id quod, post multiplicati panis miraculum, se facturum promiserat.

Disputatur tamen, inter latinos et græcos, *quo die* facta fuerit ultima cœna. Latini dicunt factam feria *quinta*; et consequenter Christum mortuum esse feria *sexta*. Græci dicunt illam factam feria *quarta*; et Christum mortuum esse feria *quinta*. Quod ut intelligatur, notentur sequentia:

1º Judæi numerabant annos et menses *lunares*: annos quidem, inchoando a novilunio æquinoxii hiemalis seu æquinoxii mensis Martii, primusque anni mensis vocabatur *Nisan*, seu *primus*; menses quidem, inchoando a novilunio. Unde, dum dicitur v. g.: *luna decima quartu mensis Nisan*, idem est ac si dicatur: *dic decima quartu mensis primi*, qui vocatur *Nisan*.

2º Dies *festivi* habebant duplarem vesperam, eodem fere modo quo festa nostra, quoad officium ecclesiasticum, celebrantur a primis vesperris usque ad secundas; ita ut dies festivus inciperet pridie vespere, i. e. a prima vespere, et finiret die festo vespere, i. e. secunda vespere: sicque v. g. prima vespера diei *decimae quartæ*, est ea quae claudit diem 13^m; et secunda vespера, est ea quae claudit diem 14^m.

3º Ex præscripto legis, agnus paschalis edi debebat die 14 mensis Nisan, ad *secundam* vesperam; et septem dies festi *azymorum*, in quibus uti non licebat nisi panibus azymis, incipiebant a *prima* vespera diei 13 ejusdem mensis, i. e. a secunda vespера diei 14. Ita ut hac secunda vespера diei 14, simul ederetur agnus paschalis cum pane azymo.

Ex his concludere licet, cum latinis, 1º Christum cœnam paschalem celebrasse, et consequenter Eucharistiam instituisse in secunda vespера diei 14 Nisan, hoc est feria *quinta* vespere; et probatur tum ex Evangelio testante id contigisse prima die azymorum quando necesse erat secundum legem occidi pascha; tum quia nulla a græcis solida affertur ratio cur supponatur Christum in esu agni paschalis, i. e. in re adeo momentosa, legem pridie mortis violare voluisse, contra quam violationem reclamassent Judæi, quod tamen non leguntur fecisse; 2º Christum Eucharistiam instituisse in pane *azymo*; 3º eum obiisse feria *sexta*.

Triplex hæc conclusio est contra græcos qui, ut usum suum de *fermentato* pane tueantur, contendunt Christum pro ultima coena, anticipasse uno die esum agni paschalis, i. e. die 15 mensis Nisan, seu feria quarta, ubi usus azymorum nondum obligare incipiebat.

Nota. In ultima coena, Christus verosimilius triplicem cum discipulis habuit coenam: 1º *legalem*, in qua comedit agnum paschalem, utens pane azymo, aliosque legis

ritus observans; 2º *vulgarem seu usualem*, de qua surrexisse videtur ad lavandum discipulorum pedes; 3º *eucharisticam*, in qua sacramentum instituit: ut hymno canitur:

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus dominicum datum discipulis.

5. — q. *Quosnam ob fines Christus Eucharistiam instituit?*

r. Illam instituit ob tres fines præcipuos: 1º in monumentum vivum sui amoris, et in memoriam passionis suæ, juxta: *Quotiescumque manducabis panem hunc..... mortem Domini annuntiabis;* 2º in spiritualem animæ cibum, communione sumendum (eujus communionis fines seu effectus vide infra); 3º in sacrificium perpetuum novæ legis.

q. *Paucis proba Eucharistiam esse verum sacramentum.*

r. Probatur ex eo, quod continet omnes conditiones veri sacramenti. Etenim, 1º est signum sensibile, cum, ritu visibili conficiatur, et speciebus panis et vini sensibile permaneat; 2º est efficax gratiæ: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum;* 3º est a Christo institutum, et quidem permanenter: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Hic autem bene notandum est, quod non ipsa Eucharistiæ sumptio, sed tantum res permanens, scilicet corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini, sit sacramentum. Sumptio enim nihil aliud est quam sacramenti permanentis applicatio, et necessaria conditio ut sacramentum in actu secundo conferat gratiam sacramenti. Ergo vis collativa gratiæ tota residet in sacramento permanente; non autem inest ipsi sumptioni, in qua esse quidem potest meritum ex opere operantis, non tamen virtus ipsa collativa gratiæ ex opere operato.

4. — q. *Quænam sunt præcipuae differentiæ inter Eucharistiam et cætera sacramenta?*

r. Sunt quatuor sequentes:

1º Quod Eucharistia contineat auctorem gratiarum, illa vero sint tantum gratiarum instrumenta.

In sacramentis reliquis, ait Franzelin, ut actionibus Christi, est derivatio pretii ex persona et meritis Christi; in hoc sacramento Christus ipse impartiit seipsum in statu sacramentali, corpus et sanguinem suum in sacrificio oblatum ut pretium nostræ sanctificationis, cum omnibus meritis suis infinitis, quamvis pro mensura nostræ dispositionis finito modo applicandis; unde merito a Dionysio dicitur *sacramentum sacramentorum*. In sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus substantialiter; in aliis autem sacramentis continetur quædam virtus instrumentalis participata a Christo: semper autem quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem.

2º Quod Eucharistia consistat in re permanente, i. e. in re quæ manet post consecrationem, independenter ab usu; illa vero consistant in re transeunte, seu in confectione et usu simul, quibus transactis, sacramenta existere desinunt; ita ut idem sit *fieri* et *esse*, cum in Eucharistia aliud sit *fieri*, et aliud sit *esse*.

3º Quod in hujus solius confectione fiat transsubstanziatio seu mutatio materiæ in aliam substantiam.

4º Quod hujus solius confectio includat oblationem sacrificii.

5. — q. *Quid intelligitur per Eucharistiam in fieri vel in facto esse?*

r. Eucharistia, ut *sacramentum spectata*, duplice considerari potest: *in fieri*, et *in facto esse*, i. e. in ejus confectione, et in ejus permanente existentia. Consideratur *in fieri*, dum agitur de modo hoc sacramentum con-

ficiendi, scilicet de iis quæ ad hoc conficiendum essentialiter requiruntur. Consideratur *in facto esse*, dum agitur de sacramento jam confecto, seu de sacramento existente post consecrationem factam, seu, ut dicitur, existente in re permanente.

Hoc sacramentum plerumque sub utroque respectu consideratur. Attamen, in præsenti tractatu, præsertim consideratur sub primo respectu seu *in fieri*, capite II, ubi inquiritur de materia transeunte quæ est panis et vinum, et de forma transeunte; et capite IV, ubi agitur de ministro conficiente. Consideratur præsertim sub secundo respectu seu *in facto esse*, capite III, ubi de præsentia reali; et capite V, ubi de subjecto. Item, quoad hunc secundum respectum, speciatim tradimus quinque sequentia, N^os 6, 7, 8, 9 et 10 contenta.

6. — Q. *Quisnam est protestantium præcipuus error circa Eucharistiam in facto esse?*

R. Lutherani et calvinistæ, licet admittant Eucharistiam esse sacramentum, sustinent tamen illam consistere *in solo usu*; ita ut, juxta illos, vere rationem sacramenti non habeat nisi in sumptione seu communione quæ fit in ipsa, ut vocant, cœnæ cæremonia.

Sed contra eos catholici uno ore affirmant, et Tridentinum definivit, Eucharistiæ sacramentum consistere in re permanente, i. e. Christum, a peracta consecratione, sub speciebus panis et vini præsentem manere donec species corrumpantur, et proin non in solo communionis momento. Nam, ut ait Tridentinum: « Nondum Eucharistiam de manu Domini apostoli susceperant, quum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat »; atqui verba Christi, statim ac prolata fuerunt, habuerunt plenam suam efficaciam; ergo adfuit corpus et sanguis Christi antequam apostoli communicarent, adeoque ratio sacramenti non in solo usu consistit.

Nec dicant hæretici Eucharistiam, quæ v. g. in ciborio asservatur, non esse sacramentum quia non confert gratiam; nam de ratione sacramenti non est quod gratiam actu conferat, sed sufficit quod habeat vim conferendi, quemadmodum cibus corporalis, etiam ante sumptionem, habet vim nutriendi.

7. — q. *Quænam constituunt essentiam sacramenti Eucharistiae in facto esse seu in re permanente?*

r. Essentiam constituit *complexus specierum consecratarum visibilium, et corporis sanguinisque Christi invisibilium;* quibus jungitur anima Christi per concomitantiam, divinitas per unionem hypostaticam, et SS. Trinitas per circuminsessionem.

Hinc, essentiam non constituunt 1º panis et vinum vel verba consecrationis, cum sint materia vel actio transiens; 2º Eucharistiæ sumptio, quæ non est nisi conditio necessaria ut sacramentum, quod jam existit, gratiam operetur; 3º solæ species, cum solæ gratiam non producant; 4º solum corpus et sanguis Christi, cum sensibilia non sint.

8. — q. *An sub speciebus panis et vini adest unum specifice sacramentum, an vero plura?*

r. Adest tantum unum specifice sacramentum. Nam, licet materialiter duo maneant signa visibilia, scilicet species panis et vini, ad unam tantum refectionem spiritualem ordinantur, sicuti cibus et potus ad unam completam refectionem corporalem; sicque Christus unicum Eucharistiæ sacramentum instituit, et Ecclesia Eucharistiam ut *unum* e septem sacramentis recenset.

9. — q. *Quomodo judicari potest plura numero adesse sacramenta?*

r. Disputatur. Sed juxta sententiam quæ Liguorio videtur

probabilior, id judicandum est ex morali conjunctione specierum inter se: scilicet adest unum sacramentum vel adsunt numero plura, prout plures species moraliter conjunguntur, vel non.

Unde, adest unicum sacramentum, si plures species includantur per modum unius in eodem vase aut altari, vel si unus consumat continuatim plures species. Adsunt vero plura sacramenta, si plures species sint, non per modum unius, in diversis vasis aut altaribus, vel si plures ab eodem diversis vicibus consumantur.

10. — q. *Quænam est materia et forma sacramenti Eucharistiae consideratae in facto esse seu in re permanente?*

r. Concilium Florent., determinans materiam et formam Eucharistiae *in fieri*, non agit de ejus materia et forma *in facto esse*; quare inter auctores controvertitur.

Juxta Schouppe, probabile videtur quod *materia* sit complexus ex speciebus et corpore sanguineque Christi: et *forma* sit significatio sacramentalis, i. e. refectionis animæ per augmentum gratiæ. Unde verba consecrationis, in quibus hæc significatio sacramentalis fundatur, licet fuerint forma sacramenti *in fieri*, non tamen sunt ejus forma *in facto esse*, cum iam desierint.

CAPUT II.

DE EUCHARISTIÆ MATERIA ET FORMA.

Materia et forma sacramenti Eucharistiae *in fieri* seu Eucharistiae conficiendæ, eadem est ac materia et forma sacrificii eucharisticæ, cum Eucharistia conficienda cum sacrificio identificetur, ut infra patebit.

Duplici articulo dicimus 1º de Eucharistiae conficiendæ materia, 2º de forma.

Articulus I.

DE EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ MATERIA.

Duplici paragrapho dicimus 1º de materia remota, 2º de materia proxima.

§ I.

De materia remota.

11. — q. *Quænam est Eucharistiæ materia remota?*

r. *Materia remota sacramenti Eucharistiæ sunt:*

1º *De necessitate sacramenti*, panis et vinum, scilicet panis triticeus et vinum de vite; ut constat ex ultima cœna, ex traditione et ex conciliis Florent. et Trident.

2º *Ex præcepto ecclesiastico*, modica aqua vino miscenda; idque constat ex Florent. et Trident. Hæc tamen commixtio non necessaria est necessitate sacramenti, ut constat ex rubrica, dicente non esse apponendam aquam, si celebrans, post consecrationem, advertat aquam non fuisse appositam.

Quoad panem, notanda sunt duo sequentia:

1º *Siquidem panis debeat esse triticeus, ergo probabiliter non valet, et sub gravi prohibetur panis notabiliter cum altero grano mixtus, vel confectus ex siliagine (seigle), aut spelta (épeautre).*

2º *Ad valorem sacramenti nihil refert an panis triticeus sit fermentatus an azymus, ut ex decisione Ecclesiæ in concilio Florent. constat: nam uterque est panis proprie dictus, i. e. panis factus ex farina triticea, aqua naturali subacta.*

Dixi ad valorem: nam, quoad liceitatem, latini tenentur sub gravi consecrare in azymo, et græci in fer-

mentato, singuli juxta ecclesiæ suæ ritum, ut constat ex praxi utriusque ecclesiæ et ex concilio Florent.

Disputatur autem de quæstionē historicā, an scilicet ecclesia latina semper usa sit pane azymo, et græca fermentato. Censet Card. Bona *Affirmative* de græcis; et quoad latinos, primis sæculis promiscuum fuisse azymi et fermentati usum, neque ante sæculi X initium fuisse azymum lege generali receptum.

Quoad *vinum*, sit notatio sequens:

Certum est requiri vinum de vite seu vinum verum nec substantialiter adulteratum, i. e. vinum cui, post peractam ejus naturalem fermentationem, nulla effecta fuerit rei alienæ admistio qua substantialiter alteretur ejus puritas: qualis est additio sacchari vel spiritus (*esprit de vin, alcool*) ab improbis negotiatoribus peracta ad meliorandum et roborandum vinum debile ad missam destinatum. Licta tamen est operatio qua vino debili adjungitur vinum forte et generosum, qualiscumque etiam sit eorum species et natura: quia in hoc casu nihil aliud adhibetur quam verum et purum vinum de vite.

Quoad *aquam vino miscendam*, pariter notanda sunt duo sequentia:

1º Rationes hujus commisionis tradit Tridentinum: 1º quia Christus sic fecisse creditur; 2º quia ex ejus latere aqua simul cum sanguine exivit; 5º quia sic representatur unio fidelium cum Christo.

2º Quid in consecratione fiat de hac aqua, sententia communis et certa docet quidem eam converti in sanguinem Christi; sed valde controvertitur an illa aquæ conversio fiat immediate in sanguinem Christi, an vero mediate, scilicet mediante priori ejus conversione in vinum. Utraque sententia est probabilis, et in suum favorem valida profert argumenta.

1º Sententia, multo communior, tenet aquam prius converti in vinum; ejusque patroni adversariis respondent

modo sequenti: Si vera sit sententia qua contenditis aquam vino adjunctam, cum vino quidem misceri seu in eo circumfundи, sed semper manere aquam distinctam in vino distincto, quin aliquid de vini natura assumat, inde duo sequuntur absurdia, scilicet 1º sequitur quod ista pariter mansura sit distincta a vino distincto, in supposito quod in magna infundatur quantitate, v. g. si vino in calice contento infunderetur quantitas aquae duplo major quantitate vini, ita ut illa terlia misionis istius pars, cum nihilominus remanserit purum vinum, valide consecrari posset. 2º Si parva quantitas aquae vino calicis adjuncta immediate transeat in sacram sanguinem, necessaria consequentia est, a vobis aquam istam admittendam esse tamquam materiam Eucharistiæ, et ita Christum manere præsentem sub specie triplici, quum tamen fides doceat Christum totum præsentem esse sub speciebus panis et vini.

2ª Sententia, tenens hanc aquam immediate converti in sacram sanguinem, quam post De Coninck et Lugo passim sequuntur patres societatis Jesu, adversariis opponit sequentia: 1º Si vera sit doctrina qua asseritis vinum transmutare aquam istam in propriam suam substantiam, efficiatis, quæso, misionem sequentem: misceatis v. g. sex partibus vini puri in calice unam sextam partem aquae: brevi tempore post hanc misionem, juxta vos, in calice aderunt, non sex partes vini cum una parte aquae, sed septem partes vini veri; pluries similem misionem repetatis; et quid tandem? Eveniet quod finaliter liquidum istud, sub nomine vini veri, nihil aliud futurum sit quam aqua colorata, et quod vinum istud, nedum sibi assimilaverit aquam, ipsum versum fuerit in aquam. 2º Adversa illa sententa repugnat scientiæ chimicæ, hodie tam perfecte cognitæ, quæ docet quod, si vino sufficienter elaborato seu fermentato misceatur aqua, 1º aqua illa remaneat aqua, siquidem nulla adsit operatio seu actio chimica quæ novum corpus seu novum liquidum produ-

eat; 2º quod vinum istud consequenter non sit amplius vinum verum et purum, sed sit vinum adulteratum (*du vin frelaté, de la piquette*), i. e. materiam forte validam sed illicitam consecrationis. Vide infra, N° 22, in fine.

§ II.

De materia proxima.

12. — Q. *Quænam est Eucharistiae materia proxima?*

R. *Materia proxima* Eucharistiae est ipsa materiae remotæ seu panis et vini consecratio.

Q. *Quænam requiruntur ut hæc consecratio fiat rite, i. e. ut fiat tum valide tum licite?*

R. Requiritur ut fiat juxta duas regulas seu principia sequentia:

1^m *Principium.* Ad *validam consecrationem*, præler materia aptam seu consecrabilem, necessaria sunt hæc duo :

1º Ut materia sit *physice præsens*: quia id necessario exigunt pronomina demonstrativa formæ *hoc, hic*; aliter enim, forma foret falsa, siquidem demonstraretur *præsens* id quod non esset *præsens*.

2º Ut intentio ministri sit *in individuo determinata*: quia, sicut non consecrat minister nisi intendat consecrare, ita nec hanc materiam consecrat, nisi illam intendat determinate consecrare. Non tamen necessaria est determinatio actualis, sed virtualis sufficit.

2^m *Principium.* Ad *licitam consecrationem*, requiritur ut sacerdos nullatenus recedat ab usu Ecclesiæ, præser-tim rubricis missalis Romani determinato. Hinc, necesse est, 1º ut materia consecranda sit decens et munda, ob reverentiam tanto sacramento debitam; 2º ut sit reposita in altari et in corporali; 3º ut ciborium vel calix consecrandus sit discoopertus; 4º ut fiat tempore canonis rubrica *præscripto*.

15. — En jam, ex Gury, præcipuas consequentias ex præcedenti principio *primo*.

Consequentiæ 1° quoad *præsentiam physicam*.

Valide consecrantur hostiæ sub aliis latentes, aut aliter tectæ. Item valide consecratur vinum in calice qui velo, palla aut alio quovis modo cooperitur: quia sufficit ad veram materiæ præsentiam, ut per pronomina *hoc* vel *hic* demonstrari possit.

Consequentiæ 2° quoad *intentionem*.

Invalida censetur consecratio, in sequentibus casibus:

1° Consecratio hostiarum, inscio sacerdote, etiam in corporali positarum, a cumulo sejuncularum: quia, sacerdos penitus inscius intentionem illas consecrandi non habuit.

2° Quum, juxta sententiam quam Lig. vocat communem et probabiliorem, consecratio ciborii extra corporale, sit graviter culpabilis, consequenter celebrans ex obliuione ita consecrans, ciborum consecrandi intentionem non habuisse præsumitur.

5° Communius, consecratio guttarum vini inhærentium calici, tum exterius, de quo omnes convenient, tum interius: quia non videtur esse intentio Ecclesiæ, adeoque nec sacerdotis, consecrare nisi vinum quod per modum unius est potabile, et in calice invenitur congregatum.

Valida censetur consecratio, in sequentibus casibus:

1° Si sacerdos putet unam tantum vel duas hostias consecrandas adesse, dum sunt plures, sive a se, sive ab alio positæ: ratio est quia sacerdos semper præsumitur velle consecrare quidquid est decenter consecrabile.

Unde, si celebrans advertat, post consecrationem, duas hostias esse simul junctas, utramque ut consecratam sumat juxta rubricam missalis. Si vero ante consecrationem, postquam obtulit, id advertat, alteram seponat, et post missam ipse vel alius sumat tamquam panem benedictum.

2° Si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecran-

dis hostiis jam super altare positis, vel rationabili modo animadverterit ab alio afferri ut censemantur, etsi, dum consecrat, earum non ita expresse meminerit, aut etiam ad oblationem non detegat, modo sint præsentes in corporali; quia intentio præcedens virtualiter perseverat.

5º Si ciborum, in corporali positum, ex oblivione remanserit clausum tempore consecrationis; quia sacerdos censemantur habere intentionem consecrandi quidquid, ipso sciente, est supra corporale et honeste consecrabile.

Nota. Juxta Gury et Lig., nunquam licet consecrare hostias allatas canone incepito; vix id fieri potest, gravissima de causa, incepta præfatione; consecrari potest, suppleta oblatione mentaliter, si hostiæ pro populo communicando afferantur paulo post factam oblationem.

14. — q. *An una materia Eucharistiae sine alia consecrari potest 1º valide, 2º licite?*

r. 1º Quoad validitatem, *Affirmative*, quia verba statim efficiunt id quod significant; idque constat ex eo quod, post consecrationem panis, Christus datur adorandus.

2º Quoad licitatem, *Negative*, scilicet tum jure ecclesiastico, ut patet ex rubricis; tum jure divino, ut constat exemplo et præcepto Christi in cœna; confirmatur ex eo quod, in casu, non adesset ratio perfecti sacrificii.

q. *An panis consecrandus est ante vinum?*

r. 1º *Affirmative*, necessitate præcepti ecclesiastici, ut constat ex rubricis; et merito, cum talis fuerit ordo in cœna, et cum corpus adesse debeat antequam significetur sanguinem ex eo perfundi.

2º *Negative*, tum necessitate sacramenti, cum una materia sine alia valide consecretur; tum necessitate *sacrificii*, ut patet ex rubrica, præcipiente ut tantum suppleatur consecratio hostiæ, si post consecrationem advertat celebrans hostiam esse corruptam.

Articulus II.

DE FORMA EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ.

13. — q. *Quænam est Eucharistiae forma essentialis?*

r. Ex Flor. et Trident., fide certum est quod hæc verba, vel æquivalentia: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, vel: *Hic est calix sanguinis mei*, sint consecrationis forma essentialis et necessaria, quia illa verba vere significant præsentiam realem et transsubstantiationem.

Unde, cum sententia communi, dicendum est, ad formæ essentiam non pertinere 1º vocem *enim*, cuius tamen verbi omissio voluntaria, juxta Lig. contra alios, peccatum grave constituit; 2º verba antecedentia: *Qui pridie quam patetur*, etc.; *Simili modo postquam*, etc.; et verba: *novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui*, etc. Attamen addit Lig.: Sententiam oppositam non audeo dicere improbabilem; tanto magis quia rubrica, quando forma est repetenda, præscribit ut sacerdos incipiat a verbis *qui pridie*, et totam formam repeatat.

q. *Quisnam formæ essentialis est verus sensus?*

r. Sensus est: *hic cibus est corpus meum; hic potus est sanguis meus.*

Pronomina formæ *hoc* et *hic* non demonstrant panem et vinum, nec species, sed confuse significant aliquid accipiens esse per modum cibi et potus. *Est* sumitur proprie, non per figuram, seu: *hic cibus corpus meum vere est*, non vero corpus meum tantummodo *figurat* seu *repræsentat*. *Corpus* sumitur proprie, prout distinguitur contra sanguinem. *Sanguis*, etiam proprie. Dicitur *calix* sanguinis, per metonymiam facilem qua exprimitur continens pro contento (sicuti dicitur v. g. *bibere vas aquæ*), quia Christi sanguis ibi exhibetur per modum potus.

Q. *An consecrationis verba a sacerdote proferenda sunt sensu narrativo, an significativō?*

R. Sacerdos ea pronuntiare debet non tantum *narrative*, sed insuper, utpote agens personam Christi, *significative*, i. e. applicando eorum significationem ad materiam præsentem, ut hæc materia transsubstantietur in corpus et sanguinem Christi. Etenim sacerdos, non tantum narrat Christum per ea verba panem et vinum convertisse in suum corpus et sanguinem, sed insuper ipse iisdem verbis, ut minister secundarius, illam conversionem operatur.

Practice autem, ad utrumque sensum sufficit ut sacerdos habeat intentionem consecrandi seu faciendi quod Christus instituit.

CAPUT III.

DE PRÆSENTIA REALI.

Duae gravissimi momenti quæstiones, circa realem præsentiam, solvendæ proponuntur: altera spectat divinæ hujus præsentiaæ *factum*; altera spectat hujus præsentiaæ *modum*. Unde dupli articulo dicimus 1º de veritate præsentiaæ realis; 2º de modo præsentiaæ realis.

Articulus I.

DE VERITATE PRÆSENTIÆ REALIS.

16. — Q. *Quænam potissimum notare juvat quoad errores circa hoc dogma fundamentale?*

R. Nobis sufficiat adnotare sequentia:

1º Si excipiatur, sæculo XI, Berengarius, qui tamen, ut videtur, errorem retractans obiit; et sæculo XIV, forte Wicleff, de cuius doctrina non omnino constat;

nemo ante sæculum XVI præsentiam realem oppugnavit directe.

2º A sæculo XVI varii protestantes, ut Zwinglius, Calvinus, et reliqui dicti *sacramentarii*, docuerunt Christum in sacramento non aliter adesse quam ut in *signo* seu *figura*, per fidem, vel per efficaciam quamdam; ita ut sensus verborum *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, foret: hoc vel hic est signum vel figura corporis et sanguinis mei, seu hoc *figurat* corpus et sanguinem meum; eodem modo ac v. g. Joseph Ægyptius, dicens: *Septem boves pulchræ sunt septem anni ubertatis*, recte intelligendus est hoc sensu: septem boves pulchræ *significant* septem annos ubertatis. Lutherus autem, licet realem præsentiam acriter defenderit, negat tamen transubstantiationem. Anglicana vero confessio de industria, ne offendatur circa hoc dogma fides generalis populi, verba continet ambigua, ita ut facile sensu calvinistico intelligi possit, sicut jam a plerisque anglicanis intelligitur.

3º Rationalistæ hoc dogma impugnant et negant, utpote impossibile seu rectæ rationi oppositum.

Verum, hos omnes errores damnat Tridentinum hac definitione: « Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitatè Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit. » Dicit Tridentinum: *vere*, ergo non *in signo* vel *in figura*; *realiter*, ergo non tantum per *fidem*; *substantialiter*, ergo non per *virtutem* seu efficaciam a Christo diffusam.

17. — Q. Quotuplici præsertim arguento probatur dogma præsentiae realis?

R. Probatur luculenter duplici præcipue arguento, scilicet 1º Scriptura, 2º ss. Patribus et præscriptione.

1º Ex Scriptura. 1º Ex verbis institutionis Eucharistiæ: *Hoc est corpus meum; Hic est calix sanguinis mei novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ibi Christus docet, esse suum illud ipsum corpus et sanguinem in cruce immolandum; atqui verum et reale corpus et sanguinem immolavit, non vero in figura aut signo. 2º Ex verbis promissionis Eucharistiæ apud Joannem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atqui, hic non agi de manducatione et potu metaphorico seu spirituali, ipse Christus probat dicens: *Caro mea VERE est cibus et sanguis meus VERE est potus;* nemo autem dixerit cibum et potum spirituale esse vere cibum, vere potum. Dein, apostoli et Judæi Christi verba in sensu litterali accipiebant, dicentes: *Durus est hic sermo... Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Atqui, si accipienda fuissent in sensu metaphorico, Christus eos dedocere debuisset, quod tamen non fecit.

2º Ex ss. Patribus et præscriptione. 1º Sancti Patres, etiam primorum sæculorum, v. g. s. Ignatius martyr, s. Justinus martyr, Tertullianus, etc., unanimi ore hoc dogma proclamant. 2º Argumento præscriptionis gaudet hoc dogma: nam semper et ubique in Ecclesia creditum fuit; ergo est fides apostolica et divina. Semper creditum fuisse, patet ex historia ecclesiæ latinæ et græcae, et ex utriusque liturgiis. Dein, probent adversarii, doctrinam nostram ab alio quam ab apostolis et Christo originem tenere; sicuti nos eis probamus, eorum doctrinam non a Christo, sed a Berengario et a novatoribus sæculi XVI ortam fuisse. Vide, si libeat, argumenta fuse probata apud Schouppé, vel apud Dens, nova editione Mechlinensi.

Nota. Hoc dogma esse possibile, seu nihil continere quod rectæ rationi opponatur, dicimus infra, N° 23.

Articulus II.

DE MODO PRÆSENTIÆ REALIS.

Circa modum quo Christus in Eucharistia præsens sistitur et existit, tria nobis fide innotescunt: 1º transsubstantiatio, 2º indivisa multiplicatio, 3º Christi permanentia. Eucharistiam consistere in re permanente, supra dictum est. Unde jam triplici paragrapho agimus 1º de transsubstantiatione, 2º de indivisa multiplicatione, 3º de hujus præsentia possibilitate seu de objectionibus a ratione petitis.

§ I.

De transsubstantiatione.

A dogmate præsentia realis divelli non potest dogma transsubstantiationis, quod hic probandum est contra lutheranos, qui quidem realem præsentiam saltem in sumptione admittunt, sed a nobis differunt circa modum quo Christi corpus et sanguis præsentia fiant.

18. — q. *Quotuplex concipi potest modus quo Christus in Eucharistia præsens sistatur?*

r. Triplex concipi potest hujusmodi modus, scilicet: 1º per *impanationem*, 2º per *consubstantiationem*, qui duo modi sunt hæretici; 3º per *transsubstantiationem*, qui modus verus est, prout docet fides catholica.

Lutherani negant, panem et vinum in Christi corpus et sanguinem transmutari; sed in modo quo Christus præsens sistatur, inter se non convenient. Alii enim admittunt *impanationem*, i. e. qua Christus *hypostatice unitur cum pane*, sicut Verbum divinum unitur cum humanitate; sic scilicet: *Hic panis est corpus meum*. Alii admittunt *consubstantiationem*, i. e. conjunctionem substantiæ panis et vini

cum substantia corporis et sanguinis Christi; sic scilicet: Est quidem hic corpus meum et sanguis meus, sed *cum illis simul immutata manent ELEMENTA seu SUBSTANTIA panis et vini.*

Verum catholici omnes fide tenent, id fieri per specialem quamdam conversionem, dictam transsubstantiationem; relative ad quam ex Tridentino tria sunt de fide: 1º in Eucharistia, sub speciebus panis et vini esse vere, realiter et substantialiter totum Christum; 2º in ea non esse amplius substantiam panis et vini; 3º præsentiam illam totius Christi et desitionem substantiæ panis et vini, fieri per transsubstantiationem.

19. — q. Quid est transsubstantiatio?

r. Est, ut ait Tridentinum, *mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus duntaxat speciebus panis et vini.*

Qua definitione continentur duo: 1º toti substantiæ panis, sub ejusdem speciebus remanentibus, succedere substantiam corporis Christi; 2º hanc successionem fieri per veram conversionem.

Ut autem clarius percipiatur sensus *conversionis*, in qua principaliter sita est transsubstantiatio, prius definimus conversionem *in genere*.

q. Quid est generalim rei alicujus conversio?

r. *Conversio* seu *transmutatio* generatim, est *transitus unius rei in aliam*. Versatur inter duos terminos: res quæ transit, est terminus *a quo*; res in quam transitur, est terminus *ad quem*. — Hæc autem conversio esse potest vel accidentalis vel substantialis.

q. Quid intelligitur per rei alicujus conversionem accidentalem vel essentiale?

r. *Accidentalis* est, quando res mutatur tantum quoad *qualitatem* quamdam *accidentalem*: v. g. quum aqua fri-

gida fit calida. *Substantialis* est, quando res ipsa ita immutatur, ut amittat pristinam suam *formam*, manente tamen semper rei materia: hujusmodi est v. g. mutatio farinæ in panem; mutatio panis in substantiam corporis humani quod eo nutritur.

Jam vero, in transsubstantiatione major adhuc efficitur conversio quam ea quæ in omni conversione substantiali locum habet: nam substantia quæ convertitur, i. e. panis et vinum, desinit, non tantum quoad *formam*, sed insuper quoad ipsam *materiam*, manentibus tantum panis et vini accidentibus seu speciebus; et ideo in definitione Tridentina dicitur: conversio *totius substantiæ* panis et vini. Cum autem hæc conversio fiat modo supernaturali, ideo in eadem definitione dicitur: conversio *mirabilis* et *singularis*; et ideo, non tantum vocatur conversio *substantialis*, sed singulari nomine *transsubstantialis* seu *transsubstantiatio* appellatur.

20. — q. *Quomodo probari potest dogma transsubstantiationis?*

r. Probatur 1º verbis: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, quorum sensus est, ut dictum est: *quidquid per modum sustentantis subest ipsis speciebus panis et vini, vel: omne id quod substat istis speciebus ad modum substantiæ, omne id est corpus meum, sanguis meus*; unde patet, quod nihil de substantia panis aut vini maneat sub speciebus. Id quoque confirmatur testimonio ss. Patrum.

Probatur 2º ratione theologica, sic: Ad conversionem substancialis requiruntur quatuor, quæ in Eucharistia conficienda vere inveniuntur; scilicet:

Requiritur 1º ut aliqua substantia esse desinat, quæ dicitur terminus *a quo*: prout hic substantia panis et vini;

Requiritur 2º ut aliqua substantia esse incipiat, quæ dicitur terminus *ad quem*: prout hic substantia corporis et sanguinis Christi;

Requiritur 5º ut aliquid maneat utriusque termino successive commune: sicuti hic species seu accidentia, quibus prius substabat substantia panis et vini, nunc vero substans corpus et sanguis Christi;

Requiritur 4º ut introductio termini *ad quem*, secum afferat expulsionem imo et destructionem termini *a quo*; quemadmodum hic fit: nam, cum corpus et sanguis Christi sint *totum id* quod speciebus subest per modum sustentantis, hoc ipso excluditur coexistentia panis et vini per modum sustentantis accidentia; imo sic existere non posset substantia panis et vini, nisi supernaturaliter et per miraculum; sed certum est hoc miraculum non fieri, i. e. certum est substantiam panis et vini, post consecrationem, miraculose non conservari, sed omnino desinere.

21. — Q. *Quomodo vocanda est operatio qua transsubstantiatio peragitur?*

R. Distinguendum est inter duplicem terminum *a quo* et *ad quem*.

1º Juxta terminum *a quo*, actio qua substantia panis et vini esse desinit, probabilius non vocanda est *annihilatio*, bene vero *conversio*: cum substantia panis et vini non proprie annihiletur, bene vero convertatur in corpus et sanguinem Christi.

2º Juxta terminum *ad quem*, actio qua Christi corpus et sanguis existere incipiunt, vocanda non est *creatio*, quæ est productio ex nihilo, atqui Christi corpus et sanguis producuntur ex pane et vino; neque *adductio*, quasi Christi corpus per motum localem adducatur, et loco panis substituatur; neque *unio corporis Christi* cum speciebus sacramentalibus; rectius vero vocatur *reproductio*, quia per eam Christus, qui jam existit et manet in cœlo, hic singulari modo sub speciebus sacramentalibus existere incipit et producitur.

22. — Circa species panis et vini post consecrationem remanentes, tradimus septem puncta sequentia:

q. 1º *Quid hic intelligitur per has species?*

r. *Species seu accidentia*, sunt hæ qualitates externæ panis et vini, v. g. magnitudinis, coloris, saporis, etc., quas post consecrationem easdem ac ante consecrationem sensibus percipimus.

q. 2º *Quænam est harum specierum natura?*

r. Libere disputatur de natura specierum in genere, et in particulari de natura specierum sacramentalium. Juxta antiquos, quorum sententia videtur probabilior, *species eucharisticae* sunt accidentia physica, absolute a substantia separabilia, i. e. accidentia physica quæ *naturaliter* apta sunt et exigunt inhærere tantum substantiæ panis et vini, eique ante consecrationem actu inhærebant; sed nunc, *præternaturaliter* actu existunt, sine pane et vino quibus inhæreant; et sic, illa accidentia panis et vini, post consecrationem, cum inhærere non possint corpori et sanguini Christi, divina virtute existunt *sine subjecto* cui inhæreant.

q. 3º *Quam certum est has species eucharisticas existere?*

r. Has species panis et vini post consecrationem existere, ex Tridentino est de fide.

q. 4º *An, una cum corpore Christi, sacramentales species adorantur?*

r. Disputatur. Alii *Negant*. Alii verius *Affirmant*, quia Tridentinum declarat, latræ cultum huic SS. *Sacramento* esse exhibendum; atqui, ut supra dictum est, sacramentum non est tantum corpus Christi, sed est mirabile illud ex Christi corpore et speciebus compositum; dein, una cum Christo adorantur species, quippe quæ cum Christo, licet unione tantum accidentalí, conjunctæ sunt, sicut purpura regis una cum rege honoratur. Vide tractatum *De Incarnatione*, de humanitate Christi.

Q. 5º *Quænam sunt præcipuae rationes quare Christus sub hujusmodi speciebus humanitatem suam abscondere voluerit?*

R. Christus id voluit, 1º ad humilitatis exemplum; 2º ad meritum fidei nostræ; 3º ad cibi hujusmodi divini convenientiorem usum: cum enim, ut ait Thomas, horribile sit hominis carnem manducare et sanguinem bibere, ideo proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini.

Q. 6º *Quidnam agere et pati valent hæ species?*

R. Id omne *agere* et *pati* possunt species eucharisticæ quod agere et pati posset substantia panis et vini, si adhuc adesset; v. g. nutriunt, alterantur, corrumpuntur, Deo sic disponente ad celandum mysterium. Illa tamen non afficiunt Christi corpus, sed limitantur ad species: sic v. g. fractis speciebus panis, non frangitur nec dividitur corpus Christi, juxta: *Nulla rei fit scissura; signatum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.*

Q. 7º *Quanto tempore Christus sub speciebus eucharisticis manet præsens?*

R. Manet præsens, quamdiu manent species; desinit vero, quando species existere desinunt, quia in hoc casu essentialis deficit conditio sacramenti, scilicet illud signum sensibile quod a Christo fuit institutum.

Species autem adesse desinunt, si tanta fiat immutatio, ut corrupta fuisset substantia panis et vini si adesset, i. e. si color, sapor, aut aliæ qualitates ita immutentur ut, juxta communem aestimationem hominum, non amplius videatur panis et vinum; secus ergo si non tanta fiat immutatio.

Q. *Quid ex his dictis concludere licet 1º quoad Eucharistiae sumptionem, 2º quoad misionem alicujus liquoris cum vino consecrato?*

R. 1º Quoad Eucharistiae sumptionem. Certum quidem

est Christum in stomacho præsentem manere donec, per hujus operationem, specierum digestio effecta fuerit; sed quantum ad hanc digestionem requiratur temporis intervallum, generaliter et præcise determinari non potest, cum id dependeat a stomachorum varietate aliisque circumstantiis. Contendunt autem physiologi, quos necessario sequuntur theologi, digestionem ciborum in stomacho esse completam generalim post duas ad tres et forte amplius horas. (*)

(*) Il est donc nécessaire, selon la doctrine certaine des théologiens, pour que Notre-Seigneur cesse d'être présent dans l'Eucharistie, que les hosties soient corrompues ou altérées au point que, s'il n'y avait pas eu consécration, la substance du pain eût disparu. Il est nécessaire, par conséquent, que, sous les espèces altérées, il se trouve une nouvelle substance, ou, selon le langage des chimistes de nos jours, qu'il y ait formation d'un nouveau corps, donc qu'il y ait *décomposition substantielle ou chimique*: « Colliges, dit Collet, non desinere unquam corpus Christi sub speciebus, nisi alia succedat substantia a pane et vino diversa: quia nunquam desitura fuisset substantia panis, nisi ei alia successisset. »

Mais il est certain que Notre-Seigneur reste présent, toutes les fois que le changement opéré dans l'hostie est, non pas une décomposition chimique ou altération substantielle, mais seulement une *désagrégation des parties* ou division moléculaire. Prenons une tranche de pain, par exemple, et plâmons-la dans un vase rempli d'eau. Elle va s'imbiber, se pénétrer, se charger du liquide, elle pourra même être brisée et réduite en morceaux par un léger effort de la main; néanmoins elle conservera sa nature, sa composition chimique de pain, pendant assez longtemps. Ce ne sera qu'après deux ou trois jours que, grâce à l'effet produit par un nouvel agent, il se sera fait une nouvelle combinaison des éléments, et qu'un nouveau corps aura été produit. Dès lors seulement, le pain aura fait place à une nouvelle substance; mais auparavant, quoique réduit en petits morceaux et rempli d'eau, c'eût été du pain qu'on eût pris et mangé. Le même raisonnement s'applique à une hostie non consacrée, grande ou petite. Le changement dans l'état physique n'atteint pas la substance, et l'on avalerait une particule entièrement mouillée qui a plongé dans l'eau pendant un jour, qu'on mangerait encore du pain.

Voici, d'après les physiologistes, les principes qui déterminent quand et comment se produit cette altération substantielle d'une hostie, consacrée ou non :

1^o Aussitôt que les aliments sont déposés dans la bouche, et à mesure qu'ils sont triturés par la mastication, ils y sont en même temps imprégnés de divers sucus que leur contact et le mouvement des mâchoires y font affluer avec plus d'abondance.

2º Quoad *misionem* liquoris cum vino consecrato. Vi-dendum est qualis infundatur liquor, scilicet an sit vi-num, an vero alias, v. g. aqua.

1º Si infundatur *vinum*, sive in magna sive in parva quan-titate, certa videtur sententia fere omnium theologorum quæ docet, per hanc infusionem non evanescere præsentiam rea-lem Christi sub speciebus vini consecrati. Etenim, quemad-modum certum est, vinum non consecratum mistum cum alio vino non consecrato, non alterari substantialiter, pa-

2º Ce suc buccal ou de la bouche s'ajoute aux aliments pour aider leur trituration, leur ramollissement, leur réduction en pâte, pour commencer à mêler déjà des sucs vivants à des matières encore étrangères, et pour servir aux changements qu'ils subissent dans l'estomac. Quoiqu'il soit assez généralement admis que le suc buccal qui pénètre les aliments machés, ne leur fait subir aucun changement essentiel dans la bouche, puisqu'ils conservent encore toutes leurs qualités physiques et chimiques propres, il ne manque cepen-dant pas de physiologistes modernes qui prétendent que ce suc, comme agent chimique, possède assez de vertu pour opérer une décomposition chimique dans un corps qui resterait assez longtemps soumis à son influence dans la bouche; ce qui toutefois n'est jamais le cas pour la sainte communion, puis-que l'espèce consacrée ne séjourne jamais assez longtemps sur la langue.

3º La diglutition est l'opération qui consiste dans l'action d'avaler, de faire passer les aliments de la bouche à l'estomac; opération fort prompte dans son exercice, mais très-complexe et nécessitant l'emploi de beaucoup de muscles.

4º C'est dans l'estomac que les aliments éprouvent la transmutation connue sous le nom de *chymification*, c'est-à-dire qu'ils sont réduits en une substance homogène légèrement acide et qu'on appelle *chyme*. Cet effet est produit par l'action, prolongée pendant quelques heures, de la péristole de l'estomac, et des sucs versés par la surface de ce viscère, et de l'augmen-tation de la chaleur. Les fibres de l'estomac, se contractant et se relaxant alternativement, agitent doucement la masse alimentaire par de légères oscillations: c'est ce qu'on appelle la *péristole* de l'estomac.

Finalement 5º le temps nécessaire pour cette chymification n'est pas facile à préciser. Il varie selon la nature de l'aliment qui est plus ou moins digestible, selon sa qualité, sa préparation culinaire antérieure, selon son impression plus ou moins agréable sur l'estomac, selon les modifications qu'entraîne dans l'esto-mac l'âge, le sexe, le tempérament, l'assiduité, la manière de vivre, etc. Les liquides ne sont pas toujours chymifiés plus promptement que les solides, et quelquefois même ils peuvent se montrer plus réfractaires. Mais il est permis de dire que cette chymification dure généralement de deux à trois heures, quatre même et quelquefois jusqu'à cinq heures. On peut même remarquer

riter certum videtur non alterari vinum consecratum seu species consecratas; nam, juxta Inn. III, in decretali, particulæ vini non consecrati in calice non miscentur particulis vini consecrati ita ut eas pervadant, sed particulæ unius particulis alterius invicem juxtaponuntur: ita ut vinum infusum maneat id quod erat, et vinum consecratum non desinat esse Christi sanguis. Insuper id probatur Ecclesiæ praxi qua, per varia sæcula, ad præbendam fideliibus sacram communionem sub utraque specie, vino consecrato miscebatur notabilis quantitas vini non consecrati: ex quo patet quod Ecclesia minime dubitaret sub hac mistione comprehendi sacrum sanguinem.

Ex his intelligitur, 1º communiter jam rejici opinionem s. Thomæ, qui docebat quod per hujusmodi misionem evanesceret Christus a speciebus consecratis; 2º communiter quoque rejici opinionem, a multis olim admissam,

qu'il y a des physiologistes modernes qui prétendent que les aliments changés en chyme, quel que soit le temps nécessaire à ce changement, ne sont pas réellement transformés en une autre substance, avant d'entrer dans les secondes voies ou voies intestinales, ce qui s'appelle *seconde digestion ou digestion intestinale*.

De ces données physiologiques il résulte,

1º Que le suc buccal n'altère pas substantiellement les saintes espèces de pain; que pareille altération ne se fait pas non plus par les organes de la mastication, qui peuvent bien broyer ou divisor, mais non dissoudre ni transformer ces espèces en une autre substance;

2º Que c'est dans l'estomac que s'opère la transformation des saintes espèces, et que, très-vraisemblablement, elle s'achève, non au bout d'un quart d'heure plus ou moins, ainsi qu'on l'avait cru communément, mais seulement après un séjour de deux à trois heures et parfois plus encore. Vous direz peut-être qu'un laps de temps plus court peut suffire, puisque, l'hostie étant mince et exigüe, son altération dans l'estomac devrait être plus prompte. Mais il faut remarquer que, par cela même qu'elle est petite, elle excite moins l'action de l'estomac et la production des sucs nécessaires à la digestion. Il ne semble donc pas que l'hostie dans l'estomac soit altérée en beaucoup moins de temps que les autres aliments. Toutefois, on peut soutenir avec fondement que, l'excitation produite sur l'estomac par l'hostie, prise à jeûn, étant la première, le suc gastrique ou de l'estomac sera sécrété en plus grande quantité, et conséquemment la digestion sera plus rapide. Ex miscellaneis *La nouvelle Revue théologique*, 4^e année, N° 5.

scilicet quod sacer sanguis in propriam substantiam convertat omne vinum ei admistum : nam super hoc vinum minime prolata fuerunt consecrationis verba; 5º moraliter certum esse quod celebrans, qui bibit vinum purificationis, eodem tempore bibat particulas sacri sanguinis quæ post communionem secundæ speciei in calice remanserant.

2º Si infundatur *aqua*. Siquidem, post sumptam purificationem, in calice remaneant quædam guttulæ in quibus adesse possunt aliquæ tenuissimæ sacri sanguinis particulæ cum vino purificationis admistæ, evanescere debent hæ particulæ per infusionem aquæ ablutionis. Dictum est supra, N° 11, aquam in parva quantitate vino offertorii missæ infusam, saltem juxta sententiam multo communiorem, converti in vinum. Jam vero, si vino calicis consecrato vel non consecrato infundatur aqua in quantitate relative majori, prout efficitur in missæ ablutione, est sententia valde probabilis et communis theologorum, vinum istud converti in aquam, et consequenter evanescere sacram sanguinem a particulis consecratis, si post purificationem quædam forte superfuerint. Etenim, quando parvæ portioni vini, tum non consecrati tum consecrati, infunditur magna quantitas aquæ, virtus activa aquæ, juxta dictam sententiam, superal vim activam vini tum non consecrati, tum consecrati eodem modo ac si consecratum non foret, sicque aqua illa utrumque vinum alterat et in se convertit, atque desinit adesse sub speciebus sanguis Christi. Quapropter admonentur sacerdotes ut in missæ ablutione curent infundi plus aquæ quam vini, eo fine ut sic certo solvantur, si quædam remaneant, species consecratae, quæ alias a purificatorio minus decenter absumerentur. Confer supra, N° 11.

Nota. Corruptis seu desinentibus speciebus, Christus ab eis non discedit, et multo minus corruptitur, sed simpli citer sub eis desinit esse productus; et sub nova forma producitur materia, scilicet, juxta varios, materia illa

pristica quæ in consecratione esse desierat; juxta modernos vero et probabilius, conformiter ad dicta supra, materia quedam nova, per decompositionem substantialem seu chimicam producta.

§ II.

De indivisa multiplicatione.

Hic inquiritur de Christi præsentia 1º sub singula specie, 2º sub singulis eujusque speciei partibus.

25. — *Sub singula specie.* Desuper sint tria petita sequentia:

q. *Quidnam sub qualibet specie continetur vi verborum consecrationis?*

r. Juxta Tridentinum, *vi verborum*, sub specie panis existit corpus Christi; et sub specie vini, sanguis Christi; ut patet ex formis: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*: nam sacramentorum formæ operantur tantum id quod significant.

q. *An tamen Christus est totus et integer sub unaquaque specie?*

r. *Affirmativa* est de fide, ut explicite declarat Tridentinum, et patet ex Scriptura et traditione; dicit enim Christus: *Qui manducat me, i. e. me totum, non tantum corpus meum, vivet propter me.*

q. *Siquidem sub unaquaque specie sit Christus totus, quid inde deducendum est?*

r. Ex hac Christi præsentia *totali* deducuntur tria sequentia:

1º Quod, per concomitantiam *naturalem*, sub specie vini adsit et corpus, sub specie panis adsit et sanguis, sub ultraque specie adsit et anima; quia, juxta Tridentinum, partes Christi, qui resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur;

2º Quod, per concomitantiam *supernaturalem*, seu unionem hypostaticam, sub utraque specie adsit et divinitas;

3º Quod, per *circuminsessionem*, seu mutuam unius in altera persona divina existentiam, ibi adsint Pater et *Spiritus sanctus*; ita ut, si per impossibile non essent ubique, ibi tamen adessent.

24. — q. *An Christus sub singulis cujusque speciei partibus totus est præsens?*

r. Videndum utrum agatur de partibus speciei quæ fuerit separata seu in partes divisa, an vero de partibus speciei totius seu indivisæ.

1º Quoad partes speciei *divisæ*, *Affirmativa*, ex Tridentino, est de fide.

Insuper, relative ad speciei *divisæ* partes seu *particulas*, observandum est quod, juxta unanimem theologorum doctrinam, plus requiratur ut species possint consecrationem acquirere quam ut possint eam conservare. Etenim, ad particulam valide consecrandam, semper requiritur ut illa saltem sit sensibilis seu sub sensibus cadere possit, quia, ut consecretur, debet per pronomen *hoc* vel *hic* demonstrari; dum, ex alia parte, potest conservari Christus sub particula adeo exigua ut quidem sit insensibilis. In hoc casu, ait Hurtado, species illæ, quamvis sensu humano inperceptibiles, habent tamen rationem sacramenti, quia sunt signum sensibile in alio, nempe in toto a quo separatæ fuerunt; et erunt signum sensibile in toto, si ei iterum uniantur, quod sufficit ad rationem sacramenti.

2º Quoad partes speciei *indivisæ*, *Affirmativa*, licet non sit de fide, est nihilominus certa. Etenim, si Christus continetur sub singulis partibus post divisionem, debet sub iis esse præsens ante divisionem, cum per consecrationem, non vero per divisionem, præsens fiat. Unde sententia contraria merito habetur ut errori proxima.

Inde tamen non sequitur, Christum in una hostia indivisa existere plures. Est enim, per unam eamdemque præsentiam, totus in tota hostia, et totus in singulis hostiæ partibus: simili quodam modo quo Deus est totus in toto mundo, et totus in singulis mundi partibus; et quo anima nostra est tota in toto corpore, et tota in singulis corporis partibus; aut etiam, quemadmodum tota ratio panis est in singulis ejusdem fragmenti partibus sicut in toto fragmento.

§ III.

De præsentiae realis possibilitate.

23. — q. *Quænam præcipua miracula Eucharistiæ do-*
gmate involuntur?

r. In hoc mysterio, juxta catholicam doctrinam concepto, ait Schouppe, plurima interveniunt supernatura-
lia facta quæ, licet sensibilia signa non sint, et ut plu-
rimum per solam fidem percipiantur, lato tamen sensu
miracula vocari solent, scilicet:

- 1º Verbis substantia transmutatur;
- 2º Accidentia panis manent sine sua substantia;
- 3º Aliud specie apparet, aliud revera existit;
- 4º Corpus humanum integrum existit sub minima quan-
titate seu potius sub minima specie panis;
- 5º Idem corpus est in diversis locis;
- 6º Idem corpus in terris est statu sacramentali et aliena
specie velatum, dum interea remanet in cœlis statu glo-
rioso et propria specie revelatum.

26. — q. *Quidnam potissimum, ratione naturali de*
hoc mysterio demonstrari non potest vel potest?

r. 1º Ratione naturali demonstrari non potest, hoc myste-
rium esse impossibile seu rationi repugnare.

Nam Eucharistiæ mysterium, ait Schouppe, sicut pleaque religionis nostræ mysteria, humanæ rationis captum superat; quare ratio neque detegere in illo nec ostendere repugnantiam potest. Etenim, ut ostenderent adversarii, realem Christi præsentiam in Eucharistia repugnare, deberent probe cognoscere duos terminos: i. e. intimam corporis essentiam, et statum seu modum quem dicimus sacramentalem, quo Christi corpus in Eucharistia existit, ut ex eorum collatione repugnantiam evincere possent.

Atqui neutrum clare cognoscunt, scilicet nec corporum aut rerum naturalium essentiam, patentibus omnibus philosophis, et juxta verbum Montaigne: *L'homme ne voit le tout de rien;* nec a fortiori statum Christi supernaturalem seu miraculosum. Ergo hi duo termini invicem satis comparari nequeunt ut ostendatur eos inter se repugnare. Hoc solum concludere possunt adversarii, Eucharistiæ dogmate facta contineri quæ a communibus phænominis omnino diversa sunt, quæque juxta leges ordinarias nequeunt explicari.

2º Ob eamdem rationem, non potest sola ratione naturali evidenter demonstrari, hoc mysterium *esse possibile*. Dico *sola ratione naturali*, nam:

Supposita fide aliorum mysteriorum et præcipue divinæ omnipotentiæ, quæ id omne efficere valet quod non evidenter repugnare cernitur, potest ratio naturalis Eucharistiæ possibilitatem aliquatenus percipere, cum Tridentinum declaret, quoad sacramentalem Christi existentiam, « *Etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus.* »

Unde refutantur objectiones seu difficultates quas opponunt rationalistæ, si eis demonstretur, ratione per fidem illustrata, i. e. juxta leges naturales et supernaturales

quales a nobis cognoscuntur, si eis aliquatenus demonstretur, inquam, hoc mysterium *non evidenter repugnare seu esse possibile*.

Dictum est existentiam Christi sacramentalem esse supernaturalem et miraculosam. Attamen miraculum non mutat rerum essentiam; sic v. g. Deus miraculo efficere non posset, ut res aliqua essentiam suam amittat et simul eadem res esse perget: quod evidenter repugnat. Et sic, corpus Christi, in Eucharistia, retinere debet corporis humani essentiam, cum, securus, desineret adesse verum corpus humanum.

Triplicem præsertim difficultatem nobis opponunt rationalistæ, scilicet: 1º impossibilem esse transsubstantiationem, i. e. qua efficiatur ut Christi corpus substituiatur substantiæ panis et vini, manentibus eorum accidentibus; 2º impossibilem esse præsentiam corporis humani in minima hostia; 3º impossibilem esse ejusdem corporis humani in diversis locis simultaneam præsentiam. Jam vero:

27. — 1^a Difficultas: quoad transsubstantiationem.

Concipitur possilitas transsubstantiationis, si admittatur differentia inter corporum essentiam et accidentia, i. e. si admittatur, eorum essentiam realiter distingui et separari posse ab accidentibus. Atque talis separatio, etsi revera non existat in rerum natura, tamen non repugnat, cum naturaliter ab omnibus mente concipi possit et passim concipiatur; et a fortiori supernaturaliter, per Dei omnipotentiam, realiter effici possit, et in Eucharistia vere efficiatur.

En desuper quædam summatim excerpta ex Laforet:

Imprimis, demonstrat quod essentia seu substantia corporis humani non consistat in particulis corporeis, quæ continuis mutationibus subjiciuntur; bene vero in illa

realitate quadam quæ, in his mutationibus, immutata permanet.

Évidemment il n'est pas permis de confondre la substance d'un corps vivant, d'un corps humain par exemple, avec les dimensions et les qualités sensibles de ce corps; sinon il faudrait dire que ce corps cesse d'être le même et perd son identité substantielle en perdant ces dimensions et ces qualités, ce qui n'est admis de personne. L'homme de 60 ans a toujours substantiellement le même corps qu'il avait au moment de sa naissance, tout le monde le confesse et le proclame; et néanmoins ses dimensions, ses qualités sensibles sont entièrement changées: ce corps de 60 ans n'a pas gardé une seule molécule de la matière qui le composait à son entrée dans la vie. « *Dans les corps vivants, dit Cuvier, aucune molécule ne reste en place, toutes entrent et sortent successivement: la vie est un tourbillon continu, dont la direction, toute compliquée qu'elle est, demeure constante, ainsi que l'espèce des molécules qui y sont entraînées, mais non les molécules individuelles elles-mêmes; au contraire, la matière actuelle du corps humain n'y sera bientôt plus..... Ainsi la forme de ces corps leur est plus essentielle que leur matière, puisque celle-ci change sans cesse, tandis que l'autre se conserve.* » La matière des corps vivants se renouvelle sans cesse, la forme seule persiste; et c'est cette forme, profondément distincte de la matière, qui constitue leur essence et maintient leur identité.

L'un des premiers physiologistes de notre époque, M. Flourens, après avoir rapporté les curieuses expériences qu'il a faites sur les os, ajoute: « Un os qui se développe, n'est pas un seul os, c'est une suite d'os qui se remplacent et se succèdent: toute la matière, tout l'organe matériel, tout l'être paraît et disparaît, se fait et se défait, et une seule chose reste, c'est-à-dire celle qui fait

et défaît, celle qui produit et détruit; c'est-à-dire, la force qui vit au milieu de la matière et qui la gouverne. » (*)

Dein, probat, consequenter admittendam esse distinctio-nem inter corporum essentiam et accidentia; remque transsubstantiationi applicat :

Ecoutons là-dessus le génie le plus vaste et peut-être aussi le plus profond des temps modernes, Leibnitz. « L'Es-sence d'une chose, dit ce grand homme, qui fait qu'elle est cette chose, et qu'elle demeure une seule et même chose parmi les changements multipliés, consiste dans une cer-taine puissance ou faculté actuelle... qui exige, il est vrai, certaines puissances secondes (certains accidents); mais la nature peut la dépouiller de quelques-unes et en substituer d'autres, et Dieu peut les enlever toutes.

« Or, si l'essence d'une chose consiste en ce qui fait qu'elle est la même chose, quoique avec des dimensions et des qualités différentes, et si par conséquent la même essence ne se divise pas et ne varie pas aussitôt que ses dimensions, et ne change pas avec ses qualités, il suit qu'elle *en est réellement distincte*. Mais tout ce qui est réellement distinct, peut régulièrement *être séparé* par la puissance absolue de Dieu, et même de telle sorte que l'un subsiste, l'autre étant détruit, et que l'un et l'autre existent séparément.

« Et la nature elle-même enlève les dimensions et les qualités, en laissant les *substances* (comme nous le faisons observer plus haut); mais alors elle en substitue d'autres à leur place. Or rien n'empêche que Dieu puisse changer la substitution naturelle, ou l'intercepter ou l'empêcher

(*) Ex his intelligitur dictum Laforet, cum quibusdam aliis doctoribus, in corporibus admittere vim quamdam ab anima distinctam, quam *vim vitalem, la force vitale*, nuncupant; hanc autem vim vitalem dicunt esse humani corporis formam. Sed sententia communis et sola admittenda, quæ vim vitalem ab anima distinctam non admittit, tenet corporis formam esse so-lam animam rationalem. Itaque citatus textus admissit potest ad litteram, si loco verbi *FORCE* ponatur *la AME*. Vide *De Creatione*, N° 15.

tout-à-fait, et que l'essence reste entièrement dépouillée de ses dimensions et de ses qualités... Enfin, la chose ou l'essence étant enlevée, il pourra conserver les dimensions et les qualités. Et l'on ne peut trouver en cela aucune contradiction; car la raison est égale de part et d'autre, si l'on admet une fois une distinction réelle; et l'existence, comme l'union de la substance et des accidents réels, dépend de la volonté de Dieu. Et puisque la nature des choses n'est autre que la volonté habituelle de Dieu, il lui est également facile d'agir d'une manière ordinaire ou extraordinaire, selon que l'exige sa sagesse. »

Voilà une page que je recommande aux méditations de mes lecteurs; elle est admirable tout à la fois de science, de raison et de précision.

Appliquons ces principes, qui nous paraissent incontestables, au mystère de l'Eucharistie, et concluons.

L'essence ou la substance d'un corps est donc réellement distincte de ses accidents; et quoique dans l'ordre ordinaire de la nature elle y soit toujours unie, elle peut en être séparée par la puissance de Dieu. Par conséquent, il n'y a nulle impossibilité que la substance du pain et du vin disparaîsse, comme l'enseigne la foi catholique, bien que leurs accidents demeurent; et d'une autre part on conçoit sans difficulté que la substance du corps de Jésus-Christ soit réellement présente, quoique les sens n'aperçoivent aucun des accidents du corps humain.

Et remarquez que le mystère de la transsubstantiation n'ouvre nullement la porte à l'illusion des sens, comme des esprits superficiels pourraient se l'imaginer: de l'aveu de tous les philosophes sérieux, les sens perçoivent, non la substance des corps, mais leurs accidents; et les accidents du pain et du vin existent après comme avant la consécration; et dès-lors rien n'est changé dans l'objet de la perception des sens. « Dans ce sacrement, dit S. Thomas, il n'y a nulle déception: car il s'y trouve véritablement des

accidents qui sont jugés par les sens ; et l'entendement, qui a pour objet propre la substance, est préservé de déception par la foi. » « Les sens ne sont pas trompés, dit Ubaghs en commentant ces paroles du docteur angélique, parce que les accidents qu'ils perçoivent et sur lesquels seuls il leur appartient de prononcer, y restent, non en apparence, mais en vérité ; et l'entendement n'est pas trompé, parce qu'il est averti par la foi que, par la puissance divine, il se trouve, sous les accidents conservés, au lieu de la substance du pain et du vin, une autre substance, celle du corps de l'Homme-Dieu. » Nous sommes donc en droit d'appliquer ici cette parole de Pascal : La foi dit bien ce que les sens ne disent pas, mais jamais le contraire ; elle est au-dessus, et non pas contre.

28. — 2^a *Difficultas*: quoad impossibilitatem ut corpus humanum in hostia vel in minima ejus parte sit præsens.

Fatemur hoc esse impossible *naturaliter*, i. e. in corpore quod, ultra suam substantiam, conservat sua accidentia. Non vero impossibile est *supernaturaliter* seu per miraculum, i. e. si corpus adsit quoad solam substantiam quæ a suis accidentibus miraculose separetur. Atqui Tridentinum docet, substantiam panis mulatam esse in substantiam corporis Christi, manentibus tamen accidentibus panis: i. e., ut loquitur Thomas cum theologis, Christum præsentem esse *substantialiter* sub accidentibus panis et vini. Corporis autem substantia est aliquid seu quædam realitas simplex, absque partibus, quæ consequenter adest tota ubicumque adest, nec spatio indiget quam dimensione careat.

Dictum autem est, non repugnare separationem substantiæ ab accidentibus, i. e. qua substantia panis a suis accidentibus separetur et transeat in substantiam corporis Christi, in quo corpore divino substantia a suis accidentibus separatur relative ad nos, et unitur accidenti-

bus panis. Quod si non repugnet, ergo Deus hujusmodi separationis miraculum facere potest, imo revera facit.

En desuper quædam excerpta ex mox citato auctore:

Le concile de Trente ne dit pas que les accidents du pain et du vin, leur étendue, leur couleur, leur sauveur, ont disparu pour faire place aux accidents du corps et du sang de Jésus-Christ; il dit, au contraire, que les apparences du pain et du vin, c'est-à-dire leurs accidents, demeurent, *manentibus duntaxat speciebus panis et vini*, et que la substance seule, que tous les philosophes distinguent des accidents, est convertie en la substance du corps et du sang du Sauveur. De là ce mode particulier d'exister suivant lequel le concile enseigne que Notre-Seigneur est présent dans l'Eucharistie, mode tout différent du *mode naturel*, selon lequel il est assis à la droite du Père dans les cieux. Jésus-Christ, comme le dit S. Thomas, est dans ce sacrement à la manière d'une substance, *secundum modum substantiæ*, qui, comme telle, n'a pas de quantité et n'occupe point de lieu.

Voici comment le catéchisme romain explique et commente la pensée des Pères du concile: « Nous ne disons pas que Jésus-Christ est dans ce sacrement en tant qu'il est grand ou petit, ce qui appartient à la quantité, mais en tant qu'il est substance. Car la substance du pain est changée en la substance du Christ, et non en la grandeur ou la quantité. Or personne ne doute qu'une substance est contenue aussi bien dans un petit que dans un grand espace. Car la substance de l'air et toute sa nature doit nécessairement être dans une petite partie de l'air comme dans une grande; de même que toute la nature de l'eau doit se trouver aussi bien dans un très-petit vase que dans un fleuve. Donc, puisque le corps du Seigneur succède à la substance du pain, on doit avouer qu'il est dans ce sacrement tout-à-fait de la même manière que la substance du pain avant la consécration. Or il est

absolument indifférent qu'elle s'y trouvât sous une grande ou sous une petite quantité. »

L'Eglise, nous l'avons vu, enseigne que Jésus-Christ est présent dans l'Eucharistie *par sa substance*.... La substance dans l'état ordinaire et naturel des corps, est unie, il est vrai, à la quantité ou à l'étendue; mais elle n'a par elle-même ni longueur, ni largeur, ni profondeur: elle n'est ni grande ni petite, parce qu'elle n'est pas étendue. C'est une réalité simple, sans parties, qui par conséquent est tout entière partout où elle est, ne pouvant être partagée ni divisée. Telle est, sur la nature de la substance corporelle, l'opinion de Leibnitz, opinion qui, selon la remarque de ce grand homme, était celle de l'ancienne philosophie, et qui de nos jours est devenue l'opinion commune parmi les philosophes sérieux. Or, si cette opinion est fondée, je ne vois plus pourquoi la substance du corps de Jésus-Christ, miraculeusement séparée des accidents qui lui sont naturellement unis dans le corps humain, ne pourrait pas être contenue tout entière sous chaque partie des espèces consacrées; il y a plus, je ne comprends pas même que, sous ce mode, extraordinaire sans doute mais très-concevable, d'exister, elle ne soit pas présente tout entière dans chacune des espèces et dans chacune de leurs parties: étant simple et indivisible à la manière des esprits, *ad modum spiritus*, comme parlent souvent les théologiens, le corps du Sauveur ne peut pas ne pas être tout entier dans chaque partie de l'hostie.

Nota cum Bouquillon. Ne cui mira nimis videatur hæc comparatio status sacramentalis cum modo existendi *spirituum*, advertatur, etiam *corpora* elevari posse per divinam omnipotentiam *ad aliquem ordinem supernaturalem*, in quo, quin desinant esse corpora, multas tamen participant spirituum qualitates. Id novimus tum ex charismatibus quæ Deus aliquando per intervalla, etiam in præsenti vita, concedit corporibus sanctorum; tum ex dotibus commu-

nicandis corporibus gloriosis, de quibus Paulus ad Cor. I; tum præsertim ex dimanationibus a gloria anima Christi atque ab ipso Verbo in suum SS. corpus assumplum. Idem enim ille qui latet sub symbolis eucharisticis, ex utero Matris prodiit illæso virginitatis clastro, transfiguratus est ante apostolos, et penetravit in cubiculum ubi erant discipuli quando januæ erant clausæ, et ostendit eis manus et latus.

29. — 5^a *Difficultas*: quoad impossibilitatem ut idem corpus humanum in diversis locis sit simultanee præsens.

Fatetur quidem, species sacramentales proprie *esse in quodam loco*, i. e. eas quamdam portionem occupare spatii, cuius legibus subjiciuntur; sed dicendum quoque est quod corpus Christi, seu potius *substantia* corporis Christi speciebus sacramentalibus unita, proprie loquendo *non sit in aliquo loco*, cum substantia, a suis accidentibus separata, sit quid simplex, dimensione carens, quod consequenter legibus spatii non subjicitur. Ergo restat tantum dicendum quod Christi corpus sit præsens ubicumque adsunt species consecratæ, ibique solummodo.

A s'en tenir aux principes que nous venons de poser, ait idem auctor, et à parler rigoureusement, le corps du Sauveur, tel qu'il existe dans l'Eucharistie, n'est dans aucun *lieu*; par conséquent il est inexact de dire qu'il est en plusieurs *lieux* à la fois, et cette objection n'a pas de sens. Que veut-on dire lorsqu'on affirme qu'une chose est dans un lieu? On veut dire que cette chose occupe une certaine portion de l'espace et qu'elle est dans un certain rapport, dans une certaine relation avec les autres choses qui sont aussi dans l'espace. Mais le corps de Jésus-Christ, étant simple, n'a par soi nul rapport avec l'espace et n'en occupe aucune partie: il n'occupe donc pas de lieu, et dès lors il est faux de dire qu'il soit en plusieurs lieux. Les espèces

sacramentelles seules sont dans un lieu; elles sont étendues, elles ont les trois dimensions de longueur, largeur et profondeur, et par là elles doivent occuper et occupent en effet une portion de l'espace. Aussi ne sont-elles pas partout les mêmes; elles varient suivant les lieux qu'elles occupent et se multiplient avec eux. Quant au corps de Notre-Seigneur, *il est bien vrai qu'il est partout où sont les espèces consacrées et là seulement;* mais comme nulle part il n'est étendu, nulle part non plus il n'est soumis aux lois de l'espace; il n'y a pour lui ni lieu ni distance. Il ne saurait donc être question de *multilocation* pour le corps de l'Homme-Dieu dans cet admirable sacrement, et la difficulté qu'on nous oppose à ce sujet, manque de base.

CAPUT IV.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

Quadruplici articulo dicimus 1º de ministri potestate, 2º de ejus obligatione, 3º de requisitis ut debite seu licite ministret, 4º in specie, de modo ministrandi infirmis.

Articulus I.

DE MINISTRI POTESTATE.

Minister Eucharistiæ duplex est: 1º minister *consecrationis*, 2º minister *dispensationis*.

50. — Quoad ministrum *consecrationis*.

q. *Quisnam est Eucharistiæ minister consecrationis?*

r. De fide est, ex Tridentino contra protestantes, quod omnis et solus sacerdos sit minister consecrationis seu Eucharistiæ conficiendæ.

Id probatur 1º ex Scriptura: *Hoc facite in meam commemorationem*. Verum quidem est quod illa Christi verba

complectantur tria, scilicet manductionem, distributionem et consecrationem: quoad *manductionem*, referuntur ad ad omnes fideles; quoad *distributionem*, referuntur seu extendi debent ad diaconos, imo et quandoque ad laicos, ut ex praxi primævæ Ecclesiæ constat; sed quoad *consecrationem*, referuntur seu restringuntur ad solos apostolos, ad eorum successores, et ad horum coadjutores qui ab ipsis forent ordinandi per manum impositionem.

Probatur 2º ex universali et perpetua traditione.

Notari potest quod semper valide consecret sacerdos malus, hærelicus, excommunicatus, suspensus: quia consecrare est actus potestatis ordinis sacerdotalis, quæ cum charactere inamissibiliter perseverat.

31. — Quoad ministrum *dispensationis*.

Duplex distinguitur minister dispensationis: 1º ordinarius, 2º extraordinarius.

Q. *Quinam sunt Eucharistiae dispensandæ ministri ordinarii?*

R. Ministri *ordinarii*, vi suæ ordinationis, sunt omnes sacerdotes; et probatur ut supra, № 50, ubi de Eucharistia conficienda: nam cui competit plus, competit minus.

Ut hac potestate utantur *valide*, palet quod non requiratur jurisdictio, prout in sacramento pœnitentiæ exigitur. Sed ut eo utantur *licite*, requiritur jurisdictio, sive *ordinaria* sive *delegata*.

Q. *Quinam habent jurisdictionem hanc, tum ordinariam tum delegatam?*

R. Jurisdictionem hanc *ordinariam* habet solus parochus, ejusque superiores; nam parochi est pascere oves suas.

Jurisdictionem *delegatam* habet quicumque sacerdos qui ab habente ordinariam deputatur. Hanc autem pastoris licentiam generatim habere censetur quicumque a parrocho licentiam obtinet in ejus ecclesia celebrandi; si excipiatur prima communio, communio paschalis, et viaticum.

Pro religiosis vero est id speciale, quod in suis ecclesiis possint, etiam tempore paschali, solo die paschatis excepto, communionem distribuere; ita tamen ut seculares, ibi communicantes, non satisfaciant præcepto paschali.

Graviter peccat quicumque absque licentia communionem ministrat, quia pastoris jus violat in re gravi.

q. Quænam sunt Eucharistiæ distribuendæ ministri extraordinarii?

r. Ministri extraordinarii, vi suæ ordinationis, sunt diaconi, si adsit sufficiens necessitas; ut probatur praxi priorum sæculorum in quibus diaconi passim, ex concessione episcoporum vel presbyterorum, Eucharistiam ministrabant. Dixi *si adsit necessitas*. Id autem locum habere potest in dupli casu: 1º ex licentia generali Ecclesiæ, si adsit necessitas extrema, i. e. si dandum sit viaticum deficiente sacerdote, in quo casu diaconus non tantum potest sed et debet; 2º ex licentia episcopi vel parochi, si adsit necessitas gravis seu causa rationabilis, i. e., juxta Gury, cum nullus adest sacerdos qui commode Eucharistiam ministrare possit; attamen apud nos, ait Dens, usus non habet ut hoc absque licentia episcopi fiat.

Nota. Diaconus, vel sacerdos extra missam, possunt seipsos communicare in necessitate extrema, i. e. si sumendum sit viaticum deficiente alio ministro. An autem extra mortis periculum detur sufficiens causa cur id licite fiat, utrinque disputatur, ait Lig.

Articulus II.

DE OBLIGATIONE EUCHARISTIAM MINISTRANDI VEL NEGANDI.

§ I.

De obligatione ministrandi.

32. — q. Quandonam generatim adest obligatio Eucharistiam ministrandi?

r. Conformiter ad dicta De Sacramentis in genere, N^{is} 51

et seqq., regula generalis est, quod ministranda sit Eucharistia *quoties rationabiliter* petitur. Ad determinandum quandonam petatur rationabiliter vel non, distinguendum est an adsit vel non adsit proximi specialis necessitas. Itaque:

Q. Si non adsit *specialis necessitas*, an et *quanta est ministrandi obligatio*?

R. 1º Ministrare non tenentur, ut patet, qui non sunt animarum pastores.

2º Ministrare generalim tenentur, et quidem ex justitia, qui sunt animarum pastores, v. g. parochi, vel eorum vicarii.

Porro, 1º *graviter* peccant, si, absque ratione, communio nem ministrare sæpius denegent, vel se morosos et difficiles frequentius præbeant. 2º *Venialiter* peccant si, secluso scandalo et gravi potentium contristatione, uni aut alteri, vel semel aut iterum eidem ministrare denegent. 3º *Non peccant* recusantes, si petatur *irrationabiliter*, v. g. si petatur tempore nimis importuno, vel a ministro qui est legitimate impeditus. Sic quoque, generatim non peccat parochus qui Eucharistiam *rationabiliter* *potentibus ministrari curat*, non per seipsum, sed per alios, v. g. vicarios, modo præcaveatur scandalum.

Q. Si adsit *specialis necessitas*, an et *quanta est ministrandi obligatio*?

R. 1º Proximo in *mortis periculo* versanti, viaticum ministrare *per se* tenentur, ex charitate, deficiente alio ministro cui ex officio id competit, omnes sacerdotes, imo et diaconi. 2º Subditis in *gravi necessitate* Eucharistiam *potentibus*, ministrare *per se* tenentur, et quidem ex justitia et sub gravi, hi qui habent curam animarum.

In duplo responso dixi *per se*: nam, si ex Eucharistiæ administratione præfatis ministris immineat periculum vitæ, v. g. tempore pestis, juxta sententiam quæ Liguorio videtur probabilior, Eucharistiam ministrare non tenentur, ut *De Sacramentis in genere*, N° 35, dictum est.

§ II.

De obligatione negandi.

Regula generalis est, ut patet, quod ad communionem admittendi sunt omnes fideles, iis exceptis qui *justa ratione* prohibentur.

Justa ratio communionem denegandi est, vel quia sunt indigni, vel quia eam absque indecentia sumere non possunt; seu ut alii dicunt, vel ob defectum moralitatis vel ob defectum intelligentiae.

Igitur de duplii hac classe sigillatim jam agendum est, et quidem de prima classe N° sequenti, de secunda vero, N° 54.

55. — q. *Quoad* primam *classem seu quoad* indignos *quænam statui possunt regulæ?*

r. Conformiter ad dicta *De Sacramentis in genere*, N° 38, statui possunt tres regulæ sequentes:

1^a *Regula.* Peccatori *occulto*, communionem *publice* petenti, danda est; quia, ex publica communionis denegatione, sequeretur hujus peccatoris infamia, et alii fideles a sacramentis averterentur.

2^a *Regula.* Peccatori *occulto*, aliter noto quam ex confessione sacramentali, et communionem *occulte* petenti, neganda est communio donec de ejus emendatione constet; quia ex communionis occulta denegatione non sequuntur modo dicta incommoda.

3^a *Regula* spectat peccatorem *publicum*. Duplex autem, juxta Dens, distinguendum est genus peccatorum mortaliū: scilicet 1^o alia sunt communia seu simpliciter mortalia, ut furtum, detractio, etc.; 2^o alia sunt specialiter enormia, ac multum offendunt et scandalizant, imo reos infamia afficiunt. Talesque, juxta pastorale Brugense, numerantur notorie excommunicati aut interdicti, usurarii,

meretrices, concubinarii, adulteri, sortilegi, aliquae istius generis publice infames; quibus jungendi sunt hi de quibus publice constat eos impie clandestinis societatibus nomen dedisse. Qui priorum delictorum publice rei habentur, dicuntur peccatores simpliciter *publici*; qui vero posteriora commiserunt, antonomastice peccatores *publice infames* vocantur.

Jam vero quoad eos est regula sequens:

Peccatori simpliciter *publico* vel peccatori *publice infami*, communionem *publice* petenti, neganda est; nisi de ejus emendatione constet, et insuper nisi scandalum reparaverit si sit publice infamis.

Dixi 1º *neganda est*. Hoc tamen nonnisi maxima cum prudentia fieri debet. Quapropter monent varia pastoralia, hanc publicam communionis denegationem faciendum non esse generatim nisi consulto episcopo. Quod si tempus non sinat ad ipsum recurri, et certo constet aliquem esse e numero talium peccatorum, eum parochus accedat si fieri possit, et paterna mansuetudine a communione avertat, vel inducat ad prius resipiscendum et scandalum reparandum; si autem nihilominus indignus accedat, ei parochus communionem negabit, eum, nihil dicens, prætereundo, ut ait pastorale Brugense.

Dixi 2º *nisi de ejus emendatione constet*. Nam 1º quoad peccatorem simpliciter *publicum*, si sciatur vel merito præsumatur eum fuisse sacramentaliter confessum, ad communionem publicam admitti potest, etiamsi scandalum dederit; quia jam dignus effectus est, et scandalum satis reparavit per confessionem, imo et per ipsam communionem, cui præsupponitur confessio. — 2º Quoad peccatorem *infamem*, non sufficit ut de ejus confessione seu emendatione constet, sed insuper, juxta ritualia, requiritur ut publico scandalo convenientem satisfactionem dederit. Ita ut tali, etiamsi supponatur aut sit emendatus, communio denegetur, non quidem ob statum animæ,

qui jam non amplius malus est; sed ob bonum publicum, scilicet ne offendantur fideles, et ne in eorum animis minuatur horror similis peccati. Circa modum satisfaciendi publico scandalo, consideranda est diversitas personarum, criminum, locorum et aliarum circumstantiarum.

Dixi 5º *publice* petenti: nam, ut ad communionem *occultam* admittatur peccator, etiam infamis, sufficit, juxta Dens, quod legitime fuerit confessus, et quod sacerdoti, aliisque si qui forte adsint, de hoc constet.

Quæ hucusque dicta sunt de neganda communione in genere peccatori publico, quoque sunt intelligenda quoad *viaticum* relative ad similem peccatorem, v. g. incredulum aut apostatam; scilicet, juxta Dens, ad peccatorem publicum pœnitentem, licet etiam sanctissime sit confessus, *viaticum publice* conferri non potest, nisi publicum scandalum reparaverit. Potest tamen occulte ei ministrari, si adstantibus nota sit ejus conversio.

Porro, quoad reparationem scandali, mitius est agendum cum moribundis quam cum sanis. Nam, quod detur *viaticum* talibus moribundis confessis, minus natum est scandalizare; cum quilibet fidelis præsumendus sit in illo articulo facere quod potest ut se bene disponat. Adde quod, dure agendo cum moribundis, posset dari occasio desperationis. Unde, plerumque sufficere poterit quod coram parocho et duobus testibus veniam petant de scandalo. Interdum tamen convenit, ut notat Pauwels, si non exigere, saltem ipsos hortari, ut permittant veniam pro ipsis e suggestu per confessarium peti.

Quoad *capite damnatos*, eis, rite dispositis, ait pastore Brugense, danda est Eucharistia; sed convenit id fieri ante diem supplicii.

De neganda moribundis absolutione atque extrema-unctione, vide tract. *De Extrema-Uncione*, N° 16.

54. — Quoad secundam classem, seu quoad eos qui

communionem *absque indecentia* recipere non possunt, inquirimus de sequentibus: 1º de pueris, 2º de amentibus, 3º de semifatuis, 4º de laborantibus vomitu vel tussi.

1º Quoad pueros. 1º Si sint rationis impotes, non danda est communio, nequidem in mortis articulo, tum ob irreverentiae periculum, tum ob Ecclesiæ contrariam consuetudinem a saeculo XIII in ecclesia latina, licet in ecclesia græca mos ille antiquus vigere pergit. 2º Si, ante ætatem primæ communionis, sint rationis sufficienter compotes, dandum est viaticum, ait Scavini, quia tunc pro ipsis urget præceptum divinum.

2º Quoad amentes. 1º Amentibus vel phreneticis, in lucidis intervallis, item epilepticis vel obsessis, tempore extra paroxismum, dari potest Eucharistia. 2º Tempore vero amentiæ, vel in ipso paroxismo phreneseos, etc., etiam in mortis articulo ordinarie non dandum est viaticum, quia id plerumque absque indecentia fieri non potest.

3º Quoad semifatuos. Si cœlestem hunc cibum, ait pastorale Brugense, ab aliis distinguere valeant, danda est communio, non tantum in mortis articulo et in paschate, quia tunc urget præceptum, sed etiam aliquoties per annum, si exigua tantum sit capitis infirmitas. Eodem modo resolvit pastorale quoad *surdos-mutos*; scilicet, si signis constet eos discretionem habere, eis danda est, non tantum in mortis articulo et in paschate, sed etiam sæpius, si prædicti sint non qualicumque discretione.

4º Quoad eos qui laborant jugi vomitu, vel continua tussi. 1º Laborantibus vomitu ita frequenti ut immineat periculum hostiam evomendi, non danda est Eucharistia, ut patet. 2º Laborantibus jugi tussi vel ejicientibus frequentia phlegmata, danda est communio, modo tempus sinat hostiam in stomachum descendere; nam via per quam sputa tussiendo excutiuntur, non est cesophagus seu via cibi et potus ad stomachum, sed est aspera arteria (*la trachée artère*) seu via respirationis ad pulmones.

Articulus III.

DE REQUISITIS IN MINISTRO AD LICITAM EUCHARISTIÆ
MINISTRATIONEM.

55. — q. *Quænam in ministro requiruntur ad Eucharistiae ministracionem licitam?*

r. Tria exiguntur sequentia:

1º Requiritur, præter jurisdictionem, de qua supra, N° 51, ut minister sit liber ab omni excommunicatione, interdicto et suspensione a sacris; secus enim, graviter peccaret et irregularitatem incurreret.

2º Requiritur ut minister sit in statu gratiæ. Unde, si reus sit peccati mortalis, toties peccat quoties communio-nem distribuit; licet probabilius non tot peccata committat quot sunt personæ in eadem distributione.

Controvertitur tamen an talis minister peccet *mortaliter*. Affirmant Suarez cum aliis, et Lig., ut *De Sacramentis in genere*, N° 50, dictum est, quia abutitur munere ad quod sancte perficiendum fuit peculiariter consecratus, et quia SS. Sacramentum non sancte tractat. Negant Lugo, Salm. et alii multi, quia ille sacramentum non conficit, nec per seipsum sanctificat seu dat gratiam, sed tantum localiter applicat sacramentum quod solum dat gratiam; ad quod sanctitas minus rigorose requiritur quam ad sacramentum conficiendum, cum in hac actione minister gratiam causet. Interim, etsi in citato N° 50 solam Liguorii sententiam retulerimus, hic addimus id quod observat Bouquillon, scilicet: cum res sit incerta, valet regula quod nihil damnari debeat ut peccatum mortale de quo non habetur evidens ratio vel manifesta auctoritas Scripturæ.

3º Requiritur ut minister Eucharistiam distribuat more ecclesiæ solito; unde omittenda est communio si hoc more fieri nequeat.

Juxta hoc ultimum requisitum inquiritur 1º de tem-

pore distributionis, 2º de vestibus, etc., 3º de modo; ut in triplici numero sequenti videre est.

36. — Quoad *tempus*. Inquiritur de diebus et de horis.

1º De *diebus*. Excepto viatico, distribui non potest communio die parasceves; nec in sabbato sancto, nisi contrarius habeat usus, ut apud nos in variis ecclesiis obtinet. De tempore interdicti localis, vide *De Censuris*.

2º De *horis*. Nulla extat lex Ecclesiae prohibens Eucharistiam distribuere certis horis. Attamen, juxta consuetudinem, excepto viatico, communio distribuenda non est post meridiem, nisi adsit justa ratio, v. g. si, ob magnum fidelium concursum, omnium pœnitentium confessiones ante meridiem audiri non potuerint.

Item specialiter prohibitum est eam distribuere in missa Nativitatis Domini quæ media nocte celebratur; nisi adsit privilegium speciale, quemadmodum nuperrime nonnullis Galliæ episcopis concessum est, ea lege ut nullum scandali periculum adsit.

Licet mens Ecclesiae sit ut communio detur in ipsa missa, post communionem sacerdotis, et talis fuerit usus per XII priora sæcula, probabiliter tamen nullum existit jam præceptum rigorosum, ob hodiernam consuetudinem contrariam.

37. — Quoad *vestes*, etc. Distinguendum est utrum communio detur extra an vero intra missam.

1º Si *extra missam*, juxta Lig., probabilius 1º peccat *mortaliter* qui, præter casum necessitatis, v. g. pro moribundo, communionem dat sine ulla ueste sacra, ob gravem indecentiam, et ob violationem præcepti ecclesiastici graviter obligantis; 2º peccat *venialiter* qui eam dat absque stola, vel absque lumine, vel absque præmissa solita confessione seu *Confiteor*, etc.; item qui sine ulla ueste sacra Eucharistiam de loco ad locum transfert.

Si danda sit immediate ante vel post missam, ut licet paramentis missæ, quiscumque sit color, nequidem excepto colore nigro, ut ex decreto Romano hic infra relato patet.

2º Si *intra missam* de requiem, communionem dare licet de hostiis in hac missa consecratis; quia hoc non fuit unquam prohibitum, et quia Tridentinum exoptat ut fideles communicare possint in singulis missis, ergo et in missis defunctorum nigro colore celebratis. Hucusque non licebat generatim eam dare ex hostiis *præconsecratis*. Jam vero decretum s. Congregationis rituum, die 27 Junii 1868 datum et a Pio IX confirmatum, id permittit. Nam respondet: « Posse in missis defunctorum, cum parmentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari, etiam cum particulis *præconsecratis*, extrahendo pixidem e tabernaculo. Posse item in parmentis nigris ministrari communionem immediate post missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in parmentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant nisi in casu quo die 2 novembris, SS. Eucharistiae sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum. »

58. — *Quoad modum*, sint tria sequentia:

1º Si non adsint hostiæ pro communicantium numero sufficientes, dividi possunt hostiæ consecratæ in duas vel ad summum in tres partes; vel celebrans unam vel alteram partem majoris hostiæ a se sumendæ detrahere potest, non tantum in casu viatici, sed etiam si unus vel alter communicaturus diu, secus, expectare deberet. Lig.

2º Sacerdos laborans infirmitate in pollice vel indice, probabilius non potest, excepto casu gravissimæ necessitatis, Eucharistiam ministrare aliis digitis; quia, licet tota

manus sit consecrata, attamen pollex et index, ex ritu Ecclesiæ, ad hoc specialiter sunt destinati.

5º In casu quo, inter ministrandam communionem, hostia decidat, tenenda cum Lig. sunt sequentia: 1º si ceciderit in terram vel in mappam, sumatur hostia, aliqua re tegatur locus terræ, vel signetur locus mappæ, ubi ceciderit, qui loci postea abluantur; sic ex rubrica, quæ tamen non nisi sub levi obligatoria est. 2º Si ceciderit in barbam vel vestes viri, omittenda est præfata ablutio. 3º Si ceciderit in sinum vel vestes mulieris, ipsa mulier extrahat hostiam et porrigit sacerdoti ab eo illam receptura, ejus digitii abluantur et ablutio in piscinam dejiciatur; si vero ibidem hostiam facile extrahere non valeat, in aliquod sacellum vel sacristiam recedat.

Nota. Quoad particulas vel hostiam *inventas*.

1º Si sacerdos *particulas* sui præsentis sacrificii inveniat post ablutionem, etiam in sacristia quamdiu est vestibus sacris indutus, eas sumat etsi non jejonus, quia ad ideam sacrificium spectant. 2º Si eas jam his vestibus exutus inveniat, vel si particulas inveniat alterius sacrificii, eas reponat in tabernaculo, in alia missa sumendas ante ablutionem.

2º Si inveniatur alicubi hostia, certo vel dubie consecrata: 1º si credatur certo consecrata et munda sit, ponatur cum aliis in ciborio, vel a celebrante ante ablutionem sumatur; si vero non sit munda, a celebrante ante purificationem sumatur, vel in tabernaculo seorsim ponatur, corrupta et dein in piscinam projicienda. 2º Si sit dubie consecrata, ut supra, in tabernaculo reponatur vel sumatur post purificationem et ante ablutionem, quia reliquæ sanguinis, ait Lig., sunt certo sacramentum, dubie vero illa hostia.

In præcedentibus numeris diximus de modo Eucharistiam ministrandi *fidelibus* in genere. In sequentibus autem dicimus in specie de modo eam ministrandi *infirmis* seu de modo ministrandi viaticum.

Articulus IV.

DE MODO EUCHARISTIAM MINISTRANDI INFIRMIS.

Articulo II dictum est quibusnam *infirmis* danda vel non danda sit Eucharistia. Hic autem agitur de *tempore* et de *modo* eam infirmis conferendi. Dicimus itaque 1º de tempore, 2º de modo eam deferendi, 3º de agendi modo in ipsa administratione.

59. — Quoad ministracionis tempus.

Rituale Romanum prohibet Eucharistiam deferre *nocte*; excepto veræ necessitatis casu, seu, ut ait Gury, in periculo proximo mortis infirmi, in quo casu deferenda est absque campanæ sonitu. Hoc autem non respicit communites quæ Eucharistiam in sacello suo asservant, cum ibidem cesset irreverentiae periculum propter quod lex lata est.

40. — Quoad modum deferendi.

1º Non licet, generatim loquendo, Eucharistiam deferre *secreto*, cum rituale Romanum præcipiat ut deferatur manifeste ac honorifice. Exceptis tamen locis hæreticorum; vel aliquando catholicorum, v. g. tempore pestis, vel si administrationi sacramentorum se opponant parentes, vel si secreto iteranda sint sacramenta sacrilege suscepta.

2º Si necessitas urgeat, ferenti viaticum probabiliter licet *currere*, non obstante quadam hujus incessus irreverentia; imo, deficientibus vestibus sacris, licitum est in tali necessitate viaticum absque ulla veste sacra ministrare.

3º Licet Eucharistiam infirmis portare sedendo in *curru* vel in *equo*, modo absit irreverentiae periculum.

4º Non licet generatim eam deferre *tecto capite*; excepto si sacerdos nudo capite incedere non possit sine vero incommodo, ob infirmitatem vel aëris inclemantium, ubi se cooperire potest pileolo, vulgo *calotte*, vel bireto.

41. — *Quoad agendi modum in administratione.*

1º In morbo contagioso, sacerdoti licet Eucharistiam porrigere medio aliquo instrumento, v. g. in cochleari aut vasculo cum haustu liquoris; vel includere hostiam consecratam inter duas non consecratas et leviter madefactas, quam ipse ægrotus digitis sumat quin eam immediate tangat.

2º In periculo ne infirmus, præ oris ariditate vel fauicium impedimento, hostiam deglutire non possit, ponatur hostia vel hostiæ pars in cochleari vel vasculo cum haustu liquoris; vel præbeatur aliquis liquor sive post sive ante hostiæ sumptionem.

3º Si, sumpta Eucharistia, immineat periculum vomitus, conformiter ad missale Rom. et pastorale Brug., ægroto præbeatur vas vel linteum ad vomitum recipiendum. In quo si species appareant, ac æger eas de-nuo sumere nequeat, separantur, in vase mundo locentur, in ecclesiæ loco decenti corrumpendæ ac in piscinam projiciendæ. Si vero species non appareant, vomitus in stappa similive materia infusus comburatur, et cineres in sacrarium mittantur.

Si moriatur ægrotus antequam hostiam diglutierit, hæc caute ex ejus ore retrahatur, servanda et corrumpenda ut supra.

4º Si minister, cum Eucharistia ad infirmum perveniens, judicet quod ille eam sine indecentia, v. g. ob assiduam tussim, vomitum, aliudve incommodum, recipere non possit, doceat infirmum quomodo possit recipere communionem spiritualem; et hostia ei offeratur adoranda, non vero osculanda.

Si autem viaticum ad meretricem pœnitentem deferendum sit, curare tenetur sacerdos ut illa prius in domo honesta collocetur; vel, si transferri nequeat, cæleri malæ domus incolæ exeant et domus claudatur, ait Bouvier.

5º Quomodo agendum sit sacerdoti si, infirmi confessionem excipiens, eum certo indispositum inveniat, v. g.

quia occasionem proximam relinquere vel restitutionem gravem certo debitam facere renuit, respondemus cum Gury: 1º Non licet eum absolvere. 2º Quod communionem spectat, enixe inducendus est pœnitens ut, peracta confessione, declareret publice se nolle jam Eucharistiam suscipere. Quod si hanc declarationem præstet, evanescit difficultas: patet enim Eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, ac communicare velit, Eucharistia ei, licet indisposito, ministranda est, ad servandum intactum confessionis sigillum.

6º Tandem, quoad Eucharistiam infirmo non jejuno vel jejuno dandam, teneantur tria sequentia:

1º Ex pastorali Brug.: « In periculo mortis constitutus communicare potest non jejunus, idque pluries eodem periculo perdurante, præsertim si morbus ingravescat, modo ab una sacramenti receptione ad aliam aliquot dies effluxerint, quorum numerus prudentis parochi judicio determinandus relinquitur. »

2º Ex eodem pastorali: « Si vero infirmus, accepto viatico, mortis periculum evaserit, et sacra communione refici petierit, pio ejus desiderio non deerit parochus, modo jejunus communicet; quin etiam infirmum hortabitur ut sacram communionem accipiat, etsi graviter non ægrotet, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat. Quare parochus Eucharistiam ægrotis et decrepitis ad minus quater in anno deferri curabit. »

5º Si infirmus, laborans morbo diurno sed non periculo, ita sit debilis, ut jejunus remanere non posset usque ad horam convenientem communionis recipiendæ, ita ut diu Eucharistia carere debeat, non potest quidem, probabilius, communicare non jejunus; sed, juxta Gury, sufficiens videtur adesse ratio ut communio ei jejuno post medium noctem administretur aliquoties in anno, vel saltem ad præceptum paschale adimplendum: ad id autem non obligatur minister; sed, si id præstet, opus charitatis exercebit.

CAPUT V.

DE EUCHARISTIE SUBJECTO.

42. — *Q. Quisnam Eucharistiæ sacramentaliter suscipienda est subjectum capax?*

R. Subjectum capax Eucharistiæ sacramentaliter suscipienda est solus homo viator baptizatus; quia solus baptizatus est capax sacramentorum.

Dico *sacramentaliter* suscipienda: nam notandum est Eucharistiam quadruplici modo recipi posse, scilicet:

1º Materialiter tantum et non *sacramentaliter* eam recipere non baptizatus, vel baptizatus adultus si, absque ulla intentione sacramenti, sumeret hostiam consecratam putans non esse consecratam: hi enim acciperent quidem Eucharistiam seu Christi corpus sub his speciebus contentum, sed reciperent simpliciter rem sacramenti non vero sacramentum; aliis verbis, Eucharistiam reciperent invalide sub ratione sacramenti.

2º Sacramentaliter tantum et non *spiritualiter* eam recipere ille, qui eam sumit valide quidem, sed infructuose seu sacrilegio, propter obicem peccati mortalis.

3º Sacramentaliter et spiritualiter eam recipit, qui eam sumit valide et fructuose, seu cum requisitis conditionibus.

4º Spiritualiter tantum et non *realiter* eam recipit, qui eam accipit, non quidem in re, sed in voto tantum, seu, uti dicitur, qui instituit communionem spiritualem.

Triplici articulo agimus *1º* de obligatione Eucharistiam sumendi; *2º* de dispositionibus ad eam digne recipiendam requisitis; *3º* de communionis effectibus.

Articulus I.

DE OBLIGATIONE EUCHARISTIAM SUSCIPENDI.

43. — *Quoad necessitatem realis Eucharistiæ sumptionis seu communionis realis, sint quatuor principia sequentia:*

1^m Principium. Communio non est necessaria necessitate *medii* ad salutem. Non quidem 1^o *in re*, quod ex Tridentino de fide est quoad parvulos, et forte etiam de fide quoad adultos. Non 2^o *in voto*: nam id tantum convenit baptismo et poenitentiæ, qui sunt duo media a Deo instituta ad justificationem obtainendam; atqui Eucharistia justificationem jam supponit.

2^m Principium. Communio necessaria est necessitate *præcepti divini*, ut eruitur ex Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hoc facite in meam commemorationem.*

3^m Principium. Communio necessaria est necessitate *præcepti ecclesiastici* saltem semel in anno, tempore paschali, in propria parochia. Eruitur ex Flor.: *Omnis utriusque sexus fidelis...., et ex Trid. Hoc autem præcepto tenentur baptizati adulti; non vero infideles. Vide De Ecclesiæ Præceptis*, de quarto præcepto.

4^m Principium. Communio non est necessaria sub utraque specie, nisi pro solis sacerdotibus in missæ celebratione. Est de fide ex Tridentino; et constat ex praxi universalis, licet prioribus sæculis diversa fuerit.

44. — Hic de solo 2^o principio seu de præcepto *divino* nobis agendum est. Desuper duplex proponitur quæstio, scilicet,

q. 1^o Quosnam obligat communionis præceptum divinum?

r. Communionis præceptum divinum obligat in genere omnes adultos, tam fideles quam infideles: fideles quidem directe; infideles vero indirecte, scilicet ut prius fidem amplectantur ac dein communicent.

q. 2^o Quandonam eos obligat communionis præceptum divinum?

r. Communionis præceptum divinum eos obligat *per se*, et quidem sub gravi, in dupli casu: 1^o generatim

loquendo, in mortis articulo, 2º saepius in vita. De duplice hoc casu agimus in duobus Nos seqq.

43. — **1^s** Casus. **Q.** *In quali igitur mortis articulo et quosnam obligat communionis praeceptum divinum?*

R. In probabili mortis articulo vel periculo, generatim loquendo, urget praeceptum divinum, quia Eucharistia instituta est ut viaticum confortans adversus hostes salutis.

Dico 1º in mortis *periculo*; unde tenentur, non tantum periculose ægroti, vulnerati, vel capite damnati, sed etiam periculose præliaturi, navigaturi, item ante operationem vel partum periculosum.

Dico 2º *generatim loquendo*: nam 1º varii possunt, etiam in mortis articulo, a lege divina eximi seu excusari, scilicet ii de quibus supra dictum est, qui absque irreverentia viaticum sumere non valent; dein 2º inquire potest an urgeat, in mortis articulo, praeceptum divinum in duplice casu, nimirum si quis ex devotione communicaverit paucis ante diebus, vel eadem die. Igitur,

Q. *An eum obligat qui communicavit paucis ante diebus?*

R. Probabilius *Affirmandum* videtur, quia præcepto obliganti in mortis articulo non fuit satisfactum per communionem antea susceptam, quemadmodum præcepto communionis paschalis non satisfit per communionem pridie palmarum factam. Attamen addit Lig., satis probabiliter dici posse eum non teneri, si periculum mortis natura-liter accidat, ut statim dicetur.

Q. *An eum obligat qui communicavit eadem die?*

R. Est triplex sententia probabilis, juxta Bened. XIV: 1ª dicit eum *teneri*, quia præceptum nondum urgebat tempore quo communio facta est; 2ª dicit eum *non teneri*, quia tempus in quo communicavit est moraliter idem, scilicet eadem dies; 3ª dicit eum *non posse* viaticum sumere, quia, cum praxis Ecclesiæ sit ut nemo bis de die communicet, non videtur adesse ratio cur casus

præsens excipiatur. Ex quibus sententiis concludit Benedictus XIV, liberum esse sacerdoti eam amplecti quæ sibi magis arriserit.

Attamen Lig. distinguit inter morbum violentum et naturalem. In morbo *violentō*, v. g. dum quis vulneratur vel ex alto cadit, dandum est viaticum, quia mane præceptum nondum urgebat. In morbo *naturali*, v. g. in apoplexia vel simili morbo, non dandum est viaticum, quia talis morbus censemur jam mane extitisse etsi nondum adhuc notus.

46. — 2^o Casus. q. *Quare præceptum hoc divinum obligat sæpius in vita?*

r. Præceptum hoc insuper obligat *sæpius in vita*, quia Eucharistia instituta est per modum cibi spiritualis quo anima nutriatur et confortetur; cibus autem *sæpius sumendus* est. Etiam eruitur ex variis conciliis.

q. *Quomodo intelligendum est istud sæpius in vita?*

r. Dicimus quidem *sæpius*, non vero *quoties* in vita. Quoties enim præcise sumenda sit Eucharistia, Christus non determinavit, sed Ecclesiae id determinandum reliquit. Ecclesia autem communionem annuam tempore paschali faciendam statuit. Unde, per communionem paschalem, seu per communionem semel in anno factam, præcepto divino simul et ecclesiastico satisfit.

Nota. Præceptum divinum posset aliquando, imo forte etiam *sæpius* in anno, obligare *per accidens*, si Eucharistia necessaria sit ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen, ait Gury, raro evenit, cum hunc in finem sufficere possint alia remedia, v. g. orationes, pœnitentiæ, etc.

Articulus II.

DE DISPOSITIONIBUS AD EUCHARISTIAM DIGNE RECEPIENDAM.

Duplici paragrapho dicimus 1^o de dispositionibus animæ, 2^o de dispositionibus corporis.

§ I.

De dispositionibus animæ.

47. — q. *Quænam sunt, ad Eucharistiam digne recipiendam, dispositiones animæ et obligationes?*

R. 1^m *Principium.* Requiritur status gratiæ, saltem rationabiliter præsumptus; item sufficiens discretio et instructio; item conveniens devotio et reverentia. Est de jure divino, et eruitur ex verbis Apostoli: *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat.*

2^m *Principium.* Qui, ante communionem vel celebrationem, sibi conscientius est peccati mortalis, *per se* præmittere tenetur confessionem sacramentalem. Est de jure divino: nam Trid. declarat id deduci ex verbis: *Probet autem seipsum homo*, et Apostolus asserit se verba illa *acepisse a Domino*. Dixi *per se*: nam sufficere potest ut ad statum gratiæ pervenire nitatur per contritionem perfectam, dummodo hæc duo concurrant: si communicandi vel celebrandi adsit necessitas, et si desit copia confessarii. Attamen,

3^m *Principium.* Sacerdos qui sic celebravit, tenetur *quam primum confiteri*. Est de jure ecclesiastico, ut patet ex Tridentini verbis: « Si urgente necessitate absque prævia confessione celebraverit, *quam primum confiteatur* »; ubi adest præceptum, non vero consilium tantum.

A nobis jam evolvendum est hoc secundum et tertium principium. Quoad secundum, id præstamus, N^{is} 48, 49 et 50; et quoad tertium, N^o 51. Itaque, in secundo principio,

48. — Dictum est 1º *qui sibi conscientius est peccati mortalis.*

q. *An autem dicendus est peccati mortalis conscientius, et an consequenter confessionem præmittere tenetur ille qui, ante communionem vel celebrationem, recordatur peccati mortalis*

quod ex inculpabili oblivione in confessione elapsa non declaravit?

R. Licet communius *Affirmetur*, idque conformiter ad praxim fidelium ita agentium, modo prævia confessio absque vero incommodo fieri possit; attamen, cum Lig., Gury et multis recentioribus, probabilius *Negatur*, quia ille non est peccati mortalis sibi *vere conscientius*, cum hoc peccatum, involuntarie omissum, sit certo remissum, etsi indirecte tantum, ac proinde communioni faciendæ vel celebrationi nullatenus obstet.

Nec dicas obstare Tridentini præceptum antea confitendi, vel praxim fidelium: nam, quoad Tridentinum, pœnitens per bonam confessionem jam justificatus, est sufficienter probatus, etiam juxta mentem Tridentini; dein, quoad praxim fidelium, testatur Lig. eam hic non habendam esse ut regulam certam obligationis, sed tantum ut laudabilem usum, quem ille auctor practice, præcisis tamen circumstantiis, maxime commendandum putat.

49. — Dictum est 2º *si adsit communicandi vel celebrandi necessitas.*

Q. *Quandonam autem adesse censetur ejusmodi necessitas?*

R. Licet hoc in individuo determinari non possit, communiter tamen assignantur casus sequentes:

1º Si celebrandum sit, ad conficiendum viaticum pro moribundo.

2º Si celebrandum sit, ut populus die festo habeat sacram.

3º Si id exigat reverentia erga Eucharistiam, puta ad consummandas sacras species, secus per incursionem impiorum profanandas; vel ad perficiendum sacrificium, sive alienum quia celebrans post consecrationem deficit, sive proprium quia celebrans peccati mortalis commissi tantum recordatur post consecrationem.

4º Si communio vel missa omitti non possit absque infamia vel scandalo.

50. — Dictum est 3º *si desit copia confessarii.*

q. *Quandonam itaque deesse censemur copia confessarii?*

r. Licet nec hoc certa regula determinari possit, dicere tamen licet id locum habere, si adiri nequeat confessarius, nec absens nec præsens, scilicet:

1º Si confessarius *absens* adiri moraliter non possit, spectatis circumstantiis propriae ætatis vel debilitatis, distantiæ vel difficultatis itineris, brevitatis temporis quia v. g. sacerdos est jamjam celebraturus.

2º Si confessarius *præsens* adiri nequeat, sive quia confessionem recipere recusat, sive quia est ignarus idiomatis, sive quia jurisdictione caret, sive quia ei confiteri non potes sine periculo frangendi sigillum vel sine gravi damno tuo aut alieno.

Non autem deesse censemur, si solum absit ille cui confiteri soles, cum tunc alienum eligere tenearis.

51. — q. *Quoad dictum 5º principium, inquiritur quisnam sit verus sensus hujus præcepti Tridentini quamprimum confundi?*

r. Illud *quamprimum* significat, juxta communem interpretationem, statim ac moraliter fieri potest, saltem intra triduum; quia, cum hoc præceptum non sit nisi ecclesiasticum, non censemur obligare cum tanto rigore. Sed intra hoc triduum non potest talis denuo celebrare absque confessione, nisi iterum urgeat celebrandi necessitas et desit copia confessarii.

Attamen sententia probabilior tenet, quod hoc præcepto non teneantur tres classes sequentes:

1º *Laici;* tum quia Tridentinum tantum loquitur de sacerdotibus; tum quia non eadem ratio est, cum laici

tantam non habeant necessitatem communicandi quam sacerdotes celebrandi.

2º *Sacerdotes* qui in confessione elapsa peccatum mortale *ex inculpibili oblivione* non declararunt, ut supra; quia peccati mortalis non sunt vere consciit.

3º *Sacerdotes* qui celebrarunt *sacrilege*, i. e. qui, in statu peccati mortalis, vel celebrarunt absque necessitate, non præmissa confessione ubi adest copia confessarii; vel, in necessitate et deficiente copia confessarii, celebrarunt sine debita diligentia contritionis elicendæ. Ratio est, quia Tridentini præceptum eos tantum respicit qui bona fide sic celebrant, ne scilicet vano prætextu confiteri differant; non vero sacrilegos, cum tale præceptum eis vix unquam profuturum foret: illi enim qui, contempto præcepto divino, *sacrilege* celebrare audent, facilius sane contemnerent præceptum tale ecclesiasticum.

Nota. Quoad communicantes cum peccato veniali, vide infra ubi de sacrae communionis effectibus.

§ II.

De dispositionibus corporis.

Duplex dispositio requiritur a parte corporis: 1º *jejunium naturale*, 2º *decentia*.

1º *De jejunio naturali.*

32. — q. *Quid est jejunium naturale, ad Eucharistiae sumptionem requisitum?*

r. *Jejunium naturale* consistit in abstinentia totali a re qualibet quæ post medium noctem sumitur per modum cibi vel potus.

Hac in re, ait Scavini, non est admittenda materiæ parvitas 1º *ex parte temporis*, cum media nox incipiat ad primum iectum horologii, ubi nihil amplius sumere licet;

attamen, inter dissonantia plura horologia quæ reputantur bona, modo de errore non constet, sequi licet ultimum; 2º nec ex parte *rei sumptæ* per modum eibi vel potus, juxta statim dicenda.

Jejunium hoc præcipitur sub gravi, non quidem iure divino, sed jure ecclesiastico, a tempore apostolorum introducto, et universalis Ecclesiae consuetudine ac traditione et conciliis confirmato. Præcipitur omnibus, nisi ob unam ex causis infra tradendis aliquis excusetur.

55. — q. *Quænam tria requiruntur ut hoc jejunium naturale frangatur?*

r. Ad jejunium hoc *frangendum*, requiritur 1º ut res quæ sumitur sit digestibilis, 2º ut res digestibilis sumatur ab extrinseco, 3º ut hæc sumatur per modum comedionis vel potationis.

Dico 1º ut res sit *digestibilis*, i. e. ut a stomacho possit alterari, digeri et in substantiam corporis converti. Hujusmodi sunt, non tantum res quæ communiter eduntur vel bibuntur, sed insuper multæ aliæ, v. g. carta, palea, cera, arborum folia, filum ex lino. Unde non frangitur, si sumatur res indigestibilis, v. g. capilli, ungues, filum ex lana, nucellæ fructuum omnino epuratæ, metallum, lapides, vitrum, etc.

Dico 2º ut res digestibilis sumatur *ab extrinseco*. Hinc jejunium non frangit diglutiens salivam, phlegmata, sanguinem e capite vel e gencivis fluentem; secus vero, si v. g. sugeret ex dígito.

Dico 3º ut sumatur per modum *comestionis vel potationis*. Atqui, tales non reputantur tres modi sequentes:

1º Id quod sumitur per modum simplicis *gustationis* in lingua et dein expuitur; quia in stomachum non transit.

2º Id quod sumitur per modum *respirationis*. Hinc jejunium non frangit ille qui, respirando, inspirat fumum

ciborum in culina, fumum tabaci, pulverem in aëre versantem, vel pulverem tabaci per nasum, muscam, etc., etiamsi quid per accidens in stomachum descenderet; quia *respirare*, nunquam reputari potest edere vel bibere.

5º Id quod quidem vere diglutitur seu in stomachum transit, sed, ut dicimus, *per modum salivæ*.

Q. *Quænam res sic diglutiri censendæ sunt per modum salivæ?*

R. Per modum salivæ sumi censentur tria sequentia:

1º *Reliquiæ cibi* quæ inter dentes inhærent, si diglutiuntur involuntarie, ut ex rubrica missalis constat. Secus autem communius et probabilius, si diglutiuntur voluntarie, quia censentur tunc continua comestio. Item continua comestio vel potatio censemur, si quis, immisso ante medium noctem saccharo in ore, aliquid post medium noctem diglutiret.

2º *Guttulæ aquæ* quas aliquis, lavando os, cum saliva diglutit involuntarie, ut ex rubrica missalis constat; secus vero si voluntarie.

3º Si præter intentionem, cum saliva diglutiatur modicum quid proveniens ex gustatione alicujus cibi vel potus; vel modicum succi tabaci ex fumigatione, vel etiam ex masticatione; satis tamen convenienter, masticationem esse valde indecentem, et quidem venialiter malam, nisi justa causa excusat.

Q. *An communicare potest ille qui positive dubitat an jejunium naturale fregerit?*

R. *Affirmative*, juxta Lig., quamdiu non adest major probabilitas de jejunii fractione: nam hoc præceptum est negativum, scilicet: ne communicet quis post jejunii fractionem; atqui, in tali dubio, non possidet prohibitio, sed libertas communicare volentis. Factum ergo violati jejunii esset probandum, priusquam invocetur lex prohibens Eucharistiam non jejunio.

54. — q. *Quinam sunt præcipui casus in quibus Eucharistiam sumere potest non jejunus?*

r. Præcipui casus in quibus ille communicare vel celebrare potest, sunt tres sequentes :

1º In casu viatici in mortis periculo, sive illud sit ex morbo, sive ex sententia judicis; imo, perseverante mortis periculo, pluries non jejuno communicare licet ex devotione, modo intercedat intervallum aliquot dierum, ut supra, N° 41, 6º, dictum est.

2º Si id exigat reverentia sacramenti: tum ad vitandam ejus profanationem a parte hostium; tum ad perficiendum post consecrationem sacrificium ab alio sacerdote deficiente inceptum; tum ad perficiendum sacrificium a se inceptum, si in communione advertat se aquam loco vini sumpsisse, vel si post consecrationem recordetur se non esse jejunum, vel si, ante consecrationem quidem id advertens, recedere non valeat absque gravi incommmodo; item si post ablutionem missæ, vel immediate post missam, sacerdos inveniat particulas proprii sui sacrificii, ut supra, N° 49, de similibus casibus dictum est.

3º Si omitti non possit communio vel missa absque gravi scandalo.

2º *De decentia corporis.*

55. — q. *In quonam consistit hæc corporis decentia?*

r. Consistit in hoc, quod communicans, sive in exteriori habitu, sive in corporis munditia, nihil præ se ferat quod SS. Sacramentum dedebeat.

Dico 1º *in exteriori habitu*, i. e. in oculis, in incessu, in vestibus, etc. Hinc 1º mulieres accedere debent in habitu sancto et modesto, pectore cooperto; secus enim, eis quandoque et prudenter communio esset deneganda. 2º Sacerdotes, more laicorum communicantes, stolam induere debent, nisi justa causa excuset, ait rituale Rom. 5º Milites,

etsi nulla lege ad id teneantur, ex decentia deponunt arma; sicut et laïci chirotechas (*les gants*).

Dico 2º *in corporis munditia*. Hinc 1º quoad sordes et maculas, lavandæ seu auferendæ sunt, si fieri possit. 2º Quoad fluxum menstruum, lepram aut similia, de se communionem non impediunt. 3º Quoad pollutionem naturalem nocte vel eodem mane præhabitam, communionem vel celebrationem non impedit per se; secus vero per accidens, et alio capite, scilicet si magnam animi perturbationem relinquat, ubi, seclusa justa causa, sub veniali abstinendum foret. Idem quoad debitum conjugale dicendum videtur.

Articulus III.

DE SACRÆ COMMUNIONIS EFFECTIBUS.

Duplici paragrapho dicimus 1º de his effectibus, 2º per modum appendicis, de communione frequenti.

§ I.

De effectibus.

Tria inquiruntur: 1º quonam tempore sumpta Eucharistia effectus suos producat; 2º quinam sint hi effectus; 3º quænam hos effectus impedian.

56. — q. Quonam tempore *communio in suscipiente effectus producit?*

r. Communio effectus suos producit eo momento quo *realiter* et fructuose recipitur; et post sumptionem, toto tempore quo perseverant species in stomacho, probabiliter crescent hi effectus crescente dispositione suscipientis.

Dico *realiter*; sed non constat quo præcise momento dicenda sit realiter suscipi. Attamen tenendum videtur vere recipi, non eo momento quo species est in ore, vel quo

per guttur transit, sed quo in stomachum pervenit, licet statim evomeretur.

Statim ac vere accipitur sacramentum Eucharistiae, conformiter ad dicta, N° 16, *De Sacramentis in genere*, producit 1° gratiam sanctificantem; 2° jus ad gratias sacramentales cum reliquis effectibus, suo tempore dandas nisi eis ponatur obex.

57. — q. Quinam sunt fructus communionis effectus?

n. Juxta Tridentinum, distingui possunt sex sequentes: 1° gratia sanctificans, 2° gratiae sacramentales, 3° dulcedo spiritualis, 4° remissio venialium, 5° præservatio a peccatis futuris, tum venialibus tum mortalibus, 6° adeptio gloriae.

De Sacramentis in genere, N° 11, dictum est sacramentorum effectum primarium esse gratiam, scilicet 1° gratiam sanctificantem, 2° gratias sacramentales. Nihil autem obstare videtur quominus, claritatis ergo, dati effectus communionis ad duplarem hanc classem reducantur. Et proin dicimus, communionis effectum principalem seu gratiam distingui duplarem, qui sunt 1° gratia *sanctificans*, ad quam referri potest dulcedo spiritualis et remissio venialium; 2° gratiae *sacramentales*, inter quas speciatim distinguitur præservatio a peccatis futuris, et jus ad gloriam.

q. Quænam relative ad singulum horum effectuum notare juvat?

r. Relative ad singulos notentur sequentia:

1° Quoad gratiam *sanctificantem*. Eucharistia, utpote sacramentum vivorum, juxta dicta *De Sacramentis in genere*, confert per se gratiam sanctificantem secundam, seu quæ de justo facit justorem; et per accidens confert primam, seu quæ de injusto facit justum. Est autem gratia quæ per sacramentum Eucharistiae conferitur, specialiter nutritiva et unitiva hominis cum Deo.

2° Quoad *dulcedinem spiritualem*. Quemadmodum cibus

materialis confortat et dulcescit, ita Eucharistiae cibus spiritualis confortat et ordinarie sensibilem dulcedinem spiritualem confert. Dico *ordinarie*, i. e. nisi Deus, ad probationem et humiliationem, eam subtrahat; vel nisi communicans ei obstaculum opponat per præparationis negligentiam, per teporem, per affectiones ad terrena, etc.

5º Quoad remissionem venialium. 1º Eucharistiæ sacramentum remittit illa peccata venalia *habitualia* quorum remissione communicans obicem non ponit: quia, juxta Tridentinum, est remedium quotidiane infirmitatis, seu restaurans id quod quotidie per venalia deperditur. 2º Juxta Suarez, cum sententia communiori, illa remittit, non tantum mediate, sed etiam immediate: *mediate*, i. e. augendo fervorem charitatis, qui venialibus opponitur eaque delet; *immediate*, i. e. vi propria, sicut pharmacum corporale vi propria infirmitates sanat.

4º Quoad gratias sacramentales. Sunt gratiæ speciales, suo tempore dandæ ad hujus sacramenti finem consequendum, i. e. ad vitam spiritualem conservandam et virtutum ac meritorum augmento majorem copiam conferendam.

5º Quoad præservationem a peccatis futuris. Eucharistia est antidotum quo a peccatis, etiam mortalibus, præservari possumus, juxta: *Si quis ex isto manducaverit, non moriatur*; quo antidoto homo facilius tentationibus resistit, et conatus dæmonis magis reprimit.

6º Quoad gloriam. Eucharistia est pignus gloriæ resurrectionis et gloriæ æternæ, juxta: *Qui manducat.... habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Ratio est, quia hic cibus eo ordinatur, ut perducat hominem ad statum perfectum. Unde, quemadmodum cibus et potus materialis eo tendunt, ut homo non amplius esuriat aut sitiatur; sic cibus et potus spiritualis eo tendunt, ut homo perfecte satietur, i. e. non esuriat nec sitiatur in æternum.

Nota. Eucharistia, prout est sacramentum, aliis quam sumentibus prodesse seu quosdam effectus producere potest, non quidem ex opere operato, bene vero *ex opere operantis*, i. e. tum per modum suffragii, quia communio est actus satisfactorius; tum per modum meriti de congruo et impetrationis, quia communio est actus meritorius. Unde laudabiliter fit communio cum intentione hac, ut prosit aliis, sive vivis sive defunctis.

58. — q. *Quenam dictos effectus impediunt?*

r. Alia Eucharistiae effectus impediunt totaliter; alia partialiter tantum, scilicet:

Totaliter, seu omnem communionis effectum impediunt hæc tria: defectus baptismi, defectus intentionis in adulto, peccatum mortale, juxta dicta supra.

Partialiter, seu quosdam effectus impedire possunt certa peccata venialia. Quod ut determinetur, distinguendum est inter venialia *habitualia*, i. e. venialia præterita, tantum in habitu juxta maculam et reatum remanentia; et venialia *actualia*, i. e. venialia actu vel saltem affectu præsentia. Unde:

q. *An communionis effectus impediuntur venialibus habitualibus?*

r. *Negative*; quin potius horum venialium ipsa remissio est hujus sacramenti effectus, ut supra, N° 57, dictum est.

q. *An communionis effectus impediuntur venialibus actualibus?*

r. Venialia *actualia* 1º impediunt dulcedinem spiritualem; 2º minuunt cœleros effectus, imo et gratiam sanctificantem quæ est effectus principalis; sed 3º hanc gratiam sanctificantem non tollunt, quia illa venialia non consti-tuunt obicem huic gratiæ, quippe quæ non opponuntur gratiæ sanctificanti, sed tantum fervori charitatis. Sic communius et probabilius tenendum, contra quosdam,

dicentes plane impediri gratiam sanctificantem, ita ut talis communio sit omni fructu vacua, licet non sit indigna.

Nota. Cum voluntarius *defectus devotionis* in communicante constituat peccatum veniale actuale, eodem modo ac supra de venialibus actualibus resolvendum est.

59. — q. *Hic tandem inquirimus an venialiter peccet, ille qui Eucharistiam sumit cum peccato veniali, tum habituali tum actuali?*

r. 1º *Cum habituali, Negative*, quia talis susceptio non importat positivam irreverentiam, sed tantum negationem perfectæ reverentie; excepto forte, juxta Suarez, casu quo quis, ex nimia multitudine habitualium se tepidum sentiens, sine ullo dolore aut proposito accederet.

2º *Cum actuali, 1º Affirmative*, si hoc veniale afficiat ipsam communionem, v. g. communicare ex vana gloria, vel cum voluntario defectu devotionis. 2º Si hoc veniale se habeat concomitanter ad communionem, v. g. si quis communicet levi ira distractus, aut cum affectu peccandi venialiter, probabilius juxta Lig. quoque peccat venialiter, tum ob positivam irreverentiam, tum quia, ut N° 58 dictum est, effectibus communionis partiale obicem ponit.

§ II.

De communione frequenti.

60. — q. *Quænam communio vocatur frequens?*

r. Nomine communionis *frequentis*, stricto sensu, venit communio tum quotidiana; tum pluries aut semel infra hebdomadam facta; tum, juxta varios, communio hebdomadalis; non vero communio menstrua.

q. *Quibusnam communio frequens est permittenda vel consulenda?*

r. Etsi nulla regula præcisa statui possit quibusnam permittenda vel suadenda sit communio frequens, dicere

tamen licet, id pendere a judicio prudentis confessarii; et confessarii judicium efformandum esse juxta dispositiones penitentis, ejusque varios perfectionis christianaæ gradus. Sint autem, juxta mentem Liguorii et Gury, sequentes quatuor regulæ :

1º Communio *menstrua* (quæ, etsi non vocetur *frequens*, ei tamen accedit) permittenda imo valde consulenda est omnibus, modo sint communii modo dispositi; non enim specialis requiritur dispositio, cum hæc communionio non sit stricte frequens.

2º Communio *hebdomadaria* permittenda et consulenda est iis qui graves culpas non committunt ex habitu. Attamen, si pluribus levibus vitiis laborent, quin de emendatione solliciti sint, utile erit communionem quandoque interdicere.

3º Communio semel aut plures *infra hebdomadam repetita*, permittenda et consulenda est iis qui, etsi debiles, in culpas deliberatas ordinarie non labuntur, et rebus spiritualibus incumbere satagunt.

4º Communio *quotidiana* concedenda est iis qui, carentes affectu ad culpas leves, malas cupiditates majori ex parte vicerunt, ad christianam perfectionem serio tendere conantur, et Eucharistiae suscipiendæ magno desiderio tenentur. Expedit tamen ordinarie eis semel aut interdum plures in hebdomada communionem subtrahere.

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

Quadruplici capite agendum est 1º de natura et virtute sacrificii missæ; 2º de obligatione missam celebrandi; 3º de tempore et loco celebrationis; 4º de modo celebrandi.

Quoad obligationem fidelium missæ assistendi, dictum in tractatu *De Tertio Decalogi Praecepto*, cap. III.

CAPUT I.

DE NATURA ET VIRTUTE SACRIFICII MISSÆ.

61. — q. *Quomodo definitur sacrificium in genere?*

r. In tractatu *De Primo Decalogi Praecepto*, N° 55, dictum et explicatum est quod *sacrificium in genere* sit: oblatio externa, soli Deo facta per legitimum ministrum, quare aliqua sensibilis et permanens consecratur, perimitur aut aliter immutatur, in protestationem supremi Dei dominii nostræque erga illum subjectionis.

q. *Quisnam est sacrificii finis primarius et generalis?*

r. Ex ultimis hujus definitionis verbis intelligitur, quod omnis sacrificii finis primarius et generalis, sit Dei cultus, seu recognoscere Dei dominium et nostram subjectionem. In hoc fine generali comprehenduntur, quasi per partes, reliqui fines, scilicet: gratias agere, expiare peccata et peccatorum pœnas, impetrare nova beneficia.

q. *Quomodo igitur, ratione finis, sacrificium in genere dividitur?*

r. Ex dictis sequitur quod sacrificium in genere, ratione *finis*, dividatur in *latreuticum*, i. e., in genere, ad profitendum Dei dominium et nostram subjectionem; in *eucharisticum*, i. e. ad gratias agendas pro beneficiis acceptis; in *expiatorium* et *satisfactorium*, i. e. ad expianda peccata et peccatorum pœnas; in *impetratorium*, i. e. ad nova beneficia accipienda.

q. *Quotuplex distinguitur sacrificium novæ legis?*

r. In mox citato N° 55 dicitur, quod *sacrificium novæ legis* sit unicum quoad substantiam, cum sit sacrificium Christi, sive in Calvario sive in altari immolati; sed quod tamen sit duplex quoad modum seu ritum, scilicet *cruentum* in cruce et *incuruentum* in altari.

Q. *Indica, datam definitionem sacrificii in genere convenire sacrificio missæ.*

R. *Sacrificio missæ convenit data definitio. Missa enim est :*

Oblatio, quæ saltem in actu exercito habetur in consecratione utriusqne speciei;

Externa, cum fiat verbis;

Res sensibilis et permanens, scilicet corpus et sanguis Christi, per species panis et vini sensibilia;

Per legitimum ministrum, scilicet primarium et secundarium, i. e. Christum et sacerdotem;

Consecratur, per ejus dedicationem ad cultum divinum;

*Immutatur: nam, ut ait Schouuppe, idem ipse Christus verissimo, licet incruento, modo immolatur, tum mystice tum realiter. Dico mystice, i. e. in signo, dum sejunctis panis et vini speciebus, atque vi verborum, corpus Christi a sanguine separatum repræsentatur. Dico realiter, i. e. in re, dum revera Christi humanitas, *quoad externam vitam mortua* sub speciebus existit; imo, respectu hominum, non tantum mortua est, sed velut in nihilum redacta, mutata nempe in cibum ad consumptionem ordinatum;*

*In protestationem, etc.: nam omnes *fines* missæ resolvuntur in Dei cultu; atqui, nullus cultus Deo exhiberi potest dignior quam quo Deus-Homo offertur Deo Patri.*

Q. *Quinam ergo sunt missæ sacrificii fines?*

R. *Sacrificium missæ in se solo rationes seu fines omnium sacrificiorum veteris legis perfecte continet: nam est latreuticum, eucharisticum, expiatorium et satisfactorium, impetratorium, prout supra dictum est, et ex Tridentino constat.*

62. — Q. *In quonam consistit sacrificii missæ essentia?*

R. *Dupliciter considerari potest missæ essentia: 1º quoad rem oblatam, 2º quoad actionem sacrificativam.*

1º *Quoad rem oblatam, missæ sacrificii essentia est*

ipsa res oblata, i. e. *ipse Christus*, non quidem gloriōsus, prout est in cœlo, sed velatus prout sub speciebus panis et vini continetur et immolatur.

Hinc 1º probabilius id non sunt *species*: nam res oblata non est compositum aliquod ex Christo et speciebus, sed hæ sunt tantum id sub quo hostia offertur, et per quod sacrificium redditur sensibile; 2º multo minus id sunt *panis* et *vinum*: nam illa duo non sunt nisi materia transiens Eucharistiae, quæ est simul sacramentum et sacrificium. Vide supra, N° 7, de essentia sacramenti Eucharistiae in facto esse.

2º Quoad *actionem sacrificativam*. Disputatur in qua actione præcise consistat essentia sacrificii missæ. Sententia communior et probabilior tenet, eam consistere in sola consecratione, et quidem utriusque speciei; communio nem vero esse partem non essentialē sed integralē.

Dico 1º *in sola consecratione*: quia in ea inveniuntur omnia requisita ad constituendum sacrificium, ut N° præcedenti probatum est; contradicente tamen Lig. qui tenet, essentiam consistere in consecratione et partialiter in communione, quia victima in consecratione ponitur, et in communione sumitur.

Dico 2º *utriusque speciei*: quod probatur 1º ex verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; 2º ex traditione Ecclesiæ, juxta quam Christus in sacrificio missæ fieri voluit perfectam repræsentationem sacrificii crucis, ubi sanguis a corpore separatus fuit et inde secuta mors. Hæc autem distincta repræsentatio non habetur in consecratione unius tantum speciei.

Dico 5º *communionem non esse partem essentialē*: idque probatur 1º ex eo quod, licet sit probabilissimum, non tamen certum est Christum in cœna Eucharistiam sumpsisse; 2º quia communio seu participatio sacrificii illud essentialiter perfectum supponit; 3º quia consumptio Eu-

charistiae a sacerdote non fit in persona Christi, principalis offerentis.

Dico 4º *communionem esse partem integralem*: quod probatur 1º quia victimam adest per modum cibi et potus, ergo sic sumi debet; 2º ex sollicitudine Ecclesiae praeipientis ut, deficiente post consecrationem sacerdote, sacrificium per alium, etiam non jejunum, perficiatur.

Nota. Sacrificii pars *essentialis* est illa sine qua nullum est sacrificium; pars vero *integralis* est ea sine qua existeret quidem sacrificium, sed imperfectum.

65. — q. *Quinam sunt sacrificii missæ offerentes seu ministri?*

r. 1º Minister *principalis* est Christus: nam Christus est qui, juxta moralem aestimationem, principaliter loquitur in consecratione; ergo principaliter consecrat et sacrificat, se, ut homo, offerens et submittens Deo in protestationem supremi Dei dominii.

2º Minister *secundarius* est sacerdos: nam sacerdos, visibiliter consecratus, vere peragit sacrificium; at solummodo ut minister Christi, ejus personam gerens et representans, ut ex forma consecrationis intelligitur.

3º *Fideles*, non immediate quidem, sed mediate per celebrantem, sacrificium aliquo modo offerunt: scilicet vel *generaliter* et quasi habitualiter, quia sacerdos offert nomine Ecclesiae, cuius sunt membra; vel *specialiter* et actualiter, dum actu assistunt missæ; vel *specialius*, dum ad missam concurrunt per stipendum, per ministracionem, etc.

64. — q. *Quinam sunt effectus sacrificii missæ?*

r. Sunt res illæ que correspondent quadruplici fini de quo supra, N° 61, scilicet: 1º fini latreutico correspondet cultus latræ excellentissimus; 2º eucharistico correspondet gratiarum actio; 3º expiatorio et satisfactorio correspondet remissio peccatorum et poenarum; 4º impetratorio correspondet impetratio honorum spiritualium et temporalium.

Facile intelligitur, duos priores effectus relationem habere ad Deum; et duos posteriores referri ad nosmetipsos.

Hic jam inquiritur tum de *tempore* (de quo agimus infra, N° 66); tum de *modo* quo missa hos effectus producat, scilicet an ex opere operato vel opere operantis, an immediate vel immediate, an infallibiliter vel fallibiliter, an per modum orationis vel non.

Relative ad hunc *modum*, prænotare oportet duo sequentia:

Prænota 1º missam spectari posse tripliciter: 1º ut est opus personale sacerdotis, simul et fidelium aliquo modo cum eo offerentium; 2º ut est opus publicum Ecclesiæ; 3º ut est opus ipsius Christi, ministerio sacerdotis positum.

Missa sub utroque priori respectu considerata, seu quatenus offertur tum nomine sacerdotis et fidelium seu intuitu meriti et devotionis eorum, tum nomine Ecclesiæ, effectus producit *ex opere operantis*. Sub ultimo respectu, seu quatenus inspicuntur merita et promissiones Christi qui est principalis offerens, missa effectus producit *ex opere operato*.

Prænota 2º quod missa possit producere effectus, seu bonum causare immediate vel mediate: *immediate*, si bonum impetrat, non interveniente alio bono, v. g. si impetrat defunctis remissionem pœnæ temporalis; *mediate*, si impetrat aliquid cui bonum hoc annexum est, seu ex quo bonum hoc sequitur, v. g. si impetrat peccatori remissionem peccatorum, i. e. mediante gratia Dei seu movendo Deum ut peccatori det gratiam efficacem pœnitendi.

63. — Jam autem, ad determinandum *modum* quo missa effectus suos producit, statuuntur sequentia:

Imprimis, dicendum est generatim, quod missa effectus suos producit, simul ex opere operantis et ex opere operato, ut ex dictis facile intelligitur.

Quod ut latius devolvatur, distinguere oportet inter effectus qui relationem habent ad Deum, et illos qui referuntur ad nos.

Quoad effectus qui relationem habent *ad Deum*, i. e. quoad effectum *latreuticum* et *eucharisticum*, hos missa producit ex opere operato, et quidem *immediate* et *infallibiliter*.

Quoad illos qui relationem habent *ad nos*, distinguendum est inter effectum *satisfactorium* quatenus consideratur ut remissivus poenae temporalis pro peccatis remissis, et *cæteros* effectus; scilicet:

1º Quoad effectum *satisfactorium*: in justis, tam vivis quam defunctis, remissionem poenae temporalis pro peccatis remissis missa producit ut supra, i. e. ex opere operato, et quidem *immediate*, et *infallibiliter*, quoad remissionem sive totalem, sive saltem partialem.

Varii hanc infallibilitatem negant quoad animas purgantes, quia, aiunt, indulgentiae ipsis non prosunt nisi fallibiliter; ergo etiam sacrificium. Sed negatur paritas: etenim indulgentiae defunctis applicantur per modum suffragii a Papa sub cuius jurisdictione non amplius sunt illæ animæ; at missa offertur a sacerdote in persona Christi, cui omnes animæ sunt subjectæ; idemque Christus, qui offert in favorem vivorum, offert etiam in favorem defunctorum, et pro ultrisque semper Christus exauditur pro sua reverentia, ut ait Giribaldi ex Suarez.

2º Quoad *relictos* effectus: missa illos producit quidem ex opere operato, sed non semper *immediate* nec semper *infallibiliter*, sed eos efficit modo sequenti:

Q. *Quomodo igitur missa hos cæteros effectus producit?*

R. 1º *Remissionem peccatorum*, tam mortalium quam venialium, missa producit *mediate*, seu Deum movendo ut det peccatori gratiam penitendi; non vero *immediate*, ut fit in sacramentis.

2º In justis *augmentum gratiæ* sanctificantis operatur

mediate, seu mediante gratia actuali qua crescit vel crescere potest gratia sanctificans seu habitualis.

5º *Impetrationem* cæterorum bonorum tam spiritualium quam temporalium operari potest *immediate*.

Insuper, relative ad hos tres ultimos effectus, etsi dicere liceat, saltem speculative loquendo, quod missa hos producat *infallibiliter*, si non ponatur obex, quemadmodum de sacramentis dictum est; attamen quoniam, practice loquendo, dependent ab obice seu a dispositionibus accipientium, ideo generatim dicendum est eos non causari nisi *fallibiliter*.

Nota 1º. Quatenus missa est *impetratoria*, effectus suos causat per modum *orationis*, vi supplicationum et meritorum Christi. Attamen in hoc præcipue discrepant oratio et missa, quod oratio sit impetratoria tantum ex opere operantis, et consequenter, quod ad impetractionem infallibilem requiratur, inter alias conditiones, ut orans petat *pie* et *pro se*; dum missa impetratoria est insuper ex opere operato, dummodo nullus ponatur obex a parte accipientium, et consequenter, quod non requiratur ut sacerdos celebret *pie*, nec ut celebret *pro se*, cum missa non tantum pro celebrante, sed insuper pro aliis infallibiliter impetrare valeat.

Nota 2º. Ex dictis concludere licet, quod missa malis sacerdotis tanti valeat quanti missa boni sacerdotis, scilicet ex opere operato, et in quantum sacerdos orat nomine Ecclesiæ, quæ semper sancta est; secus vero, in quantum est opus solius sacerdotis.

66. — Q. Quandonam missa suos effectus producit?

R. In tractatu *De Sacramentis in genere* dictum est, 1º sacramenta effectus suos producere statim ac essentialiter completa sunt; sed 2º gratias sacramentales postea et tempore opportuno dari, modo nihil obstet in contrarium. Idem circiter dicendum est de missæ sacrificio.

Itaque, 1º completo essentialiter sacrificio, i. e. probabilius completa utraque consecratione, adsunt statim effectus qui dantur infallibiliter, i. e., juxta supra dicta, semper effectus latreuticus, eucharisticus, et justis remissio poenae temporalis; sed 2º reliqui effectus non semper dantur statim, quia adesse potest obex vel dilatationis ratio.

67. — q. *Quid est fructus sacrificii missæ?*

r. *Fructus* vocantur missæ effectus quatenus nobis applicantur; i. e., ut ex dictis intelligitur, effectus expiatorius pro peccatis, satisfactorius pro peccatorum poenis, et impenitentiorius pro acquirendis bonis, tam spiritualibus quam temporalibus.

q. *Quotuplex distinguitur fructus seu portio, respectu eorum quibus missa prodest?*

r. Distinguitur fructus triplex: generalis, specialis et specialissimus.

Generalis est fructus qui obvenit toti Ecclesiæ imo et toti mundo, juxta: *Pro nostra et totius mundi salute...*; ita tamen ut abundantius participant hi qui dignitate, sanctitate vel dispositione præstant; et præsertim illi qui missæ assistunt, aut aliquo modo, v. g. inserviendo, cantando, etc., ad illam celebrandam concurrunt.

Specialis est fructus qui obvenit illis quibus sacerdos specialiter sacrificium applicat.

Specialissimus est fructus qui obvenit ipsi celebranti; si enim quilibet cooperatores sacrificio abundantius participant, partem adhuc abundantiorem percipere debet ipse celebrans. Attamen, juxta varios, minor est portio hæc specialissima portione speciali, et forte tantum tertiae parti portionis specialis æquivalet. Hic autem fructus ita celebranti proprius est, ut incertum sit an sacerdos cum aliis applicare valeat.

68. — q. Quantus est missæ fructus?

r. Imprimis, quæstio hic non est de missæ fructu qui procedit *ex opere operantis*, i. e. prout operantes sunt sacerdos cum fidelibus, vel ipsa Ecclesia; hi enim fructus certo sunt finiti, sicut finitus est valor cuiuscumque nostri operis boni. Unde, tantum inquiritur de missæ fructibus qui causantur *ex opere operato*, i. e. prout offerens est ipse Christus. Itaque:

Certum est quidem 1º quod prædicti quatuor missæ effectus sint valoris infiniti de se, idque tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte Christi principalis offerentis.

Certum quoque est 2º quod nihilominus *relative ad nos*, finitus seu limitatus sit missæ fructus, i. e. quod hi missæ effectus qui nobis applicabiles sunt, non nisi limitate applicentur; ut constat ex Ecclesiæ praxi et fidelium sensu, cum pro una eademque re impetranda missa saepius iteretur.

Sed non præcise constat unde desumenda sit hæc limitatione.

Alii, cum sententia quam Lig. dicit multo probabiliorrem et communissimam, eam desumunt ex limitata capacitate et dispositione eorum pro quibus missa offertur, quippe qui applicationis infinite capaces non sunt. Hinc sequitur quod fructus, de se infinitus, innumeris hominibus applicari possit quin exauriatur; et quod missa oblatæ pro pluribus, æque proposit singulis ac si pro uno tantum offerretur: sicut lumen solis non minus illuminat, sive paucis sive pluribus applicetur.

Alii autem hanc limitationem insuper desumunt ab institoris seu Christi voluntate: et existimant, Christum pro singula missa statuisse certam limitatam fructus portionem, inter recipientes dividendam; et sic, quo fuerint numero plures, eo minor evadat singuli recipientis pars. Sed, ait Gury, prorsus gratuito affirmant talem restrictionem a Christo factam fuisse.

Q. *An, ut percipiatur missæ fructus, necesse est ut sacerdos hujus applicationem specialem faciat?*

R. 1º Non requiritur ut specialiter applicet fructum generalem vel specialissimum. Non *generalem*: cum, ex voluntate Christi, et Ecclesiæ quæ illum fructum sibi applicat, hic fructus derivetur in omnia ejus membra in quibus non datur obex. Non *specialissimum*: cum ille sponte et ex sacrificii natura derivetur in celebrantem pro ratione ejus dispositionis.

2º Requiritur ut specialiter applicet fructum *specialem*: nam sacerdos, et quidem ipse solus personam Christi gerit; ergo, sicut ipse solus in persona Christi sacrificium pro aliis immediate offert, ita etiam solus ejus fructum specialem applicat.

Q. *Qualis esse debet, quoad fructum specialem, illa sacerdotis applicatio?*

R. Requiritur ut hæc applicatio sit 1º saltem *habitualis*; 2º ut, quoad personam cui applicatur, sit saltem *implicite determinata*.

Dico 1º *saltem habitualis*, i. e. illa quæ, semel facta, non fuit retractata: nam ista applicatio fit per modum donationis, quæ valet donec retractetur. Unde, non requiritur applicatio actualis vel virtualis; nec sufficit interpretativa, seu qua quis applicasset si advertisset.

Dico 2º *saltem implicite determinata*, qualis est et sufficit in sequentibus: Offero missam pro eo qui dedit stipendium; pro quo superior vult fieri sacrum; pro maximo peccatore; pro anima maxima tentatione afflita; pro anima purgante maxime derelicta; pro omnibus animabus purgatorii; pro eo cui applicare teneor; pro persona vel intentione quæ in tabella mea invenitur prima inscripta; pro illa ex duabus pro qua heri tantum dubia applicatio facta fuit: quod ultimum contingere potest in sacerdote qui, immemor prioris applicationis factæ, novam celebrando elicit.

q. Quandonam facienda est dicta applicatio?

r. Facienda est saltem ante consecrationem, cum missa statim a peracta consecratione effectus producat; imo oportet ut, practice, ante missam fiat.

69. — q. Pro quibusnam offerri seu quibusnam applicari potest missæ sacrificium?

r. Manifestum est, ait Bouquillon, fructum missæ a sacerdote sine peccato applicari non posse, iis qui ad illum recipiendum habiles non sunt. Quamvis autem valide applicetur et prospicit iis omnibus qui sunt habiles seu in quibus non est obex, potest tamen Ecclesia, ob bonas rationes, prohibere ne pro certa personarum classe missa celebretur. Considerandum igitur est quænam sit ea de re disciplina nunc vigens tum relate ad vivos, tum relate ad defunctos. Igitur,

1º De præsenti Ecclesiæ disciplina relate ad vivos.

q. Pro quibusnam vivis, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, celebrare licet missam?

r. Sacerdos missam licite offerre potest 1º pro omnibus vivis fidelibus, etiam peccatoribus non excommunicatis; 2º pro catechumenis; imo 3º et pro infidelibus.

Non autem ita constat de *excommunicatis*, seu iis qui per Ecclesiæ sententiam a communione sanctorum excludentur, sub quibus veniunt hæretici et schismatici. De ipsis dicendum videtur modo sequenti: 1º cum illi excludantur tantum a *communibus* Ecclesiæ suffragiis, sequitur sacerdotem non tantum pro ipsis posse orare privatim, v. g. in missæ memento, sed eum pro eis posse offerre missæ fructum in quantum est fructus ex opere ipsius operantis, seu in quantum offert nomine proprio. 2º Imo, in quantum sacrificat nomine Ecclesiæ vel nomine Christi, potest adhuc missæ fructum pro ipsis offerre *indirecte*, v. g. celebrando pro Ecclesiæ exaltatione, pro hæresum extirpatione, pro felici successu laborantium hære-

ticorum conversioni, etc. 3º An autem nomine Ecclesiæ vel Christi offerre possit *directe*, non concordant auctores, estque sententia quadruplex: 1ª sententia antiquorum cum Thoma, Suarez, etc., absolute *Negat*; 2ª *Negat* pro excommunicatis vitandis, et *Affirmat* pro toleratis; 3ª *Affirmat* id licere pro obtainenda conversione etiam vitandorum; 4ª, absque distinctione, absolute *Affirmat*; siveque Ecclesia primitus suæ disciplinæ rigorem, successu temporum, pedetentim temperasse videtur.

2º *De præsentī Ecclesiæ disciplina relative ad defunctos.*

Q. *Pro quibusnam defunctis, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, celebrare licet missam?*

R. Etsi Ecclesia nequaquam determinare intendat quinam defuncti sint reprobi quinam non, attamen, in applicatione legum suarum, seu in communicatione vel negatione suffragiorum suorum dirigitur ex circumstantiis externis. Unde, in hac materia distingui possunt defunctorum quatuor classes sequentes:

1º Defuncti *infideles* non catechumeni, pro quibus sacrificare non licet.

2º Defuncti *haeretici* vel *schismatici*; inter quos, conformiter ad doctrinam in allocutione Pii IX anno 1854 traditam, distingui potest duplex classis, scilicet prout reputantur fuisse malæ vel bonæ fidei. Prima classis comprehendit illos qui ab Ecclesia catholica ad haeresim vel schisma defecerunt: atqui pro his sacrificare non licet, idque in criminis pœnam. Secunda classis comprehendit illos qui in haeresi vel schismate nati, honestam vitam duxerunt, ita ut rationabiliter præsumi possit eos materialiter tantum, minime vero formaliter fuisse haereticos vel schismaticos: atqui damnandus non foret sacerdos qui pro his celebraret.

3º Defuncti *alii excommunicati*; inter quos distinguendum est sic: vel non dederunt signa pœnitentiae: tuncque pro iis sacrificare non licet; vel dederunt hujus-

modi signa: tuncque, si sint tolerati, pro iis sacrificare licet, etiamsi ab excommunicatione non fuerint absoluti; si vero fuerint vitandi, sacrificare non licet, nisi fuerint ab excommunicatione absoluti.

4º Illi omnes quos evidens est *in peccato mortali decessisse*, ut v. g. sunt illi qui omnino voluntarie et sui compotes se occiderunt: atqui pro iis sacrificare non licet. Ita ex Bouquillon.

Nota. Patet quod missa offerri non possit pro damnatis; nec pro beatis, cum nihil amplius egeant. Item non *offertur sanctis*, cum soli Deo offerenda sit. Unde Ecclesia, in memoriam vel honorem sanctorum missam celebrans, nihil aliud intendit quam Deo de eorum victoriis gratias agere, eorum patrocinium implorare, « ut ipsi pro nobis intercedant quorum memoriam agimus in terris », ut ait Tridentinum.

70. — q. *Tandem inquiritur an missæ sacrificium essentialiter, an vero accidentaliter tantum, differat 1º a sacrificiis veteris legis, 2º a sacrificio crucis, 3º a sacrificio cœnæ, 4º a sacramento Eucharistie?*

r. 1º A sacrificiis veteris legis differt *essentialiter*; quia, inter varias rationes, ab iis infinite differt tum in re oblata, tum in persona principaliter offerente.

2º A sacrificio crucis non differt *essentialiter*, cum in utroque sit eadem hostia et idem principalis offerens; sed ab eo differt *accidentaliter* in offerendi modo, ut statim infra dicetur.

3º A sacrificio cœnæ non differt *essentialiter*, cum sit non tantum eadem hostia et idem principalis offerens, sed insuper idem offerendi modus. Differt *accidentaliter* in variis: v. g. quod in cœna Christus offeratur absque ministerio sacerdotis, et representatur Christi mors futura; dum in missa offertur ministerio sacerdotis, et representatur mors præterita. Differt insuper quoad tempus, locum, apparatum, etc.

4º A *sacramento Eucharistiae* differt *essentialiter*, cum sacramentum a sacrificio toto genere differat.

Q. *Inquiritur in specie quomodo missa a quatuor his citatis differat ratione materiae?*

R. **1º** A sacrificiis veteris legis differt præsertim in hoc, quod in his materia essent animalia, etc.; hic vero corpus et sanguis Christi.

2º A sacrificio crucis differt in eo, quod in cruce Christus oblatus sit in propria specie, mortalis, passibilis, cruentus, meritorie et satisfactorie; hic vero, sub speciebus panis et vini, immortalis, impassibilis, incruente, non quidem meritorie nec satisfactorie a parte Christi, licet per missam Christi merita nobis applicentur.

3º A sacrificio cœnæ differt in hoc, quod in cœna Christus oblatus sit mortalis, et consequenter meritorie et satisfactorie; hic vero, immortalis, et consequenter non meritorie nec satisfactorie a parte Christi, sensu quo diximus.

4º A *sacramento Eucharistiae* differt in hoc, quod Eucharistiæ sacramentum consistat in re permanente, etiam in una tantum specie; hic vero, in actione transeunte, et in utraque specie consecrata.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

Ex triplici potissimum capite oriri potest obligatio celebrandi, scilicet **1º** ratione sacerdotii, **2º** ratione officii, **3º** ratione stipendii.

71. — **Q.** *An et quandonam sacerdos celebrare tenetur, ratione simpliciter sacerdotii?*

R. **1º** Certum quidem est, ita ut id, juxta Benedictum XIV, salva fide negari non possit, quod Christus ordini sacerdotali universo dederit præceptum celebrandi: *Hoc fa-*

cite in meam commemorationem. Omnis pontifex ex hominibus assumptus.... ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.

Attamen 2º controvertitur an hoc præceptum divinum singulos sacerdotes obliget. Sententia probabilior et communior *Affirmat*, et docet singulum sacerdotem, ratione sacerdotii, teneri celebrare aliquoties, i. e. saltem quater vel ter in anno, idque juxta alios sub gravi, juxta alios sub levi. Ita contra sententiam prorsus *Negantem*.

3º Exoptat Ecclesia ut sacerdos quotidie celebret: nam, ut ait s. Bonav., « Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in purgatorio degentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates. » Hinc concludit Lig., a culpa levi excusandum non esse sacerdotem qui, cum quotidie celebrare posset, a celebrando abstineret ob desidiam seu sine justa causa, qualis justa causa est si v. g. una hebdomadis die abstineat propter reverentiam.

72. — Q. *Quandonam parochus celebrare tenetur, ratione officii seu curæ animarum?*

R. 1º Jure naturali et divino, pro ovibus celebrare teneatur *quandoque*, cum, teste Tridentino, oves pascere et pro iis sacrificium offerre teneatur.

2º Jure ecclesiastico, pro eis celebrare tenetur, sive per se, sive per alium si fuerit legitime impeditus, toties quoties subditi missam audire tenentur, et insuper omnibus diebus quibus statuitur celebrandum esse *pro grege*.

3º Multi addunt quod, extra hos dies, celebrare teneatur parochus toties quoties subditorum rationabilis devotio id requirit.

73. — *Ratione stipendii.* Duo inquiruntur: 1º quoad licitatem stipendii, 2º quoad obligationem sacerdotis. Igitur:

Q. *Quænam notare juvat quoad stipendii liceitatem?*

R. Licate accipi potest stipendum seu eleemosyna ad celebrandam missam quam quis pro alio celebrare non tenetur: nam stipendum datur, non tamquam pretium vel compensatio missæ, sed ut medium ad sustentationem ministri, juxta: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant.*

2º Stipendum istud debet esse justum, i. e. ab episcopo vel consuetudine statutum; attamen sacerdos stipendum majus accipere potest tum ex dantis liberalitate, tum pro labore extrinseco ratione itineris, horæ extraordinariæ, etc.

5º Peccat sacerdos, non tamen peccato simoniæ per se, qui celebatur *principaliter* intuitu stipendi, cum proborum sit uti sacro ministerio præsertim pecuniæ lucrandæ causa. Non peccat vero qui tantum *accessorie* intuitu stipendi celebatur, potissimum si id sibi necessarium foret; nec peccat, a fortiori, qui, accepto stipendio, ad celebrandum determinatur ratione obligationis adimplendæ, etiamsi alias non fuisset celebraturus.

74. — Q. *Quænam est obligatio sacerdotis qui stipendum recepit?*

R. Sacerdos, pro singulo accepto stipendio, tenetur, sive per se sive per alium, atque tempore opportuno, missam celebrare et determinate applicare, juxta intentionem dantis stipendum. Ad id quidem tenetur generatim ex justitia, ratione contractus cum eo initi; ita ut, secus, ad restitutionem ordinarie teneatur.

Dico 1º *pro singulo accepto stipendio*: unde non potest per unicam missam duplici stipendio satisfacere; idque probatur tum ex damnatione ab Alex. VII, tum quia, licet multo probabilius sit, juxta N° 67, quod sacrum pro pluribus oblatum, tantum proposit ac si pro singulis, hoc tamen non est absolute certum.

Dico 2º *sive per se sive per alium*. Si autem celebra-

tionem committat alteri, ei totum stipendium remittere debet *regulariter*, non retenta sibi parte pinguis stipendi; ut constat variis declarationibus Romanis, et præsertim Ben. IV, qui id sub poena suspensionis Papæ reservatae (hæc censura per constitutionem *Apostolicæ Sedis* sublata est) prohibuit; ita ut hanc partem restituere teneatur; quæ restitutio probabilius facienda est ipsi celebranti, non vero danti stipendum. — Dixi *regulariter*: nam videtur posse parlem pinguis stipendi sibi retinere, in sequentibus casibus: 1º si excessus stipendi ei traditus fuisset intuitu personæ, v. g. ratione amicitiæ, propinquitatis, gratitudinis, paupertatis; 2º si alter sacerdos omnino sponte excessum remittat; consequenter 3º in casu permutationis inter duos sacerdotes qui sponte inter se certam intentionem permutant non mutatis stipendiis acceptis; in exemplum sit: habeo v. g. intentionem urgentem, hodie dicendam, stipendi 3 francorum, tu vero habes intentiones non urgentes 2 francorum; rogo ergo te ut mihi obsequium præstare velis exonerando hodie intentionem meam, dum ego unam ex tuis postea exonerabo. Id tamen non liceret, si fiat in fraudem et spe lucri, ut facile patet.

Dico 3º *tempore opportuno*. Hoc autem tempus vel fuit vel non fuit determinatum.

Si fuerit determinatum, v. g. hodie vel eras pro agonizante, vel pro alia instanti gratia obtainenda, sacerdos qui culpabiliter differt, peccat graviter, utpote violans contractum in re gravi, et ad restituendum stipendium tenetur, etiamsi postea celebraverit.

Si non fuerit determinatum, certum est, ex responsione Romana, illicitum esse differre *regulariter* ultra *modicum tempus*. Sed quid per *modicum tempus* intelligendum sit, disputatur. Sententia communior concedit spatium duorum mensium; imo Lig. tres menses: ita ut certo gravis censenda sit dilatio quæ duos vel saltem tres menses excederet. Dixi *regulariter*, nam admittitur latitudo ma-

jor seu spatium majus, si dans stipendium in id consenserit, tum *explicite*, v. g. si sacerdos eum monuerit se intra breve tempus missas celebrare non posse per se vel per alios; tum *implicite*, v. g. si magnus missarum numerus eidem sacerdoti simul tradatur, vel si tradens sciat sacerdotem ad multas alias missas celebrandas teneri, aut ipsum solere stipendia transmittere alio, pro missis v. g. in Gallia aut Romæ exonerandis.

Dico 4º *juxta intentionem dantis*. Sic, si datum sit stipendium ut missa celebretur in tali loco, in tali sacello, in tali altari vel in altari privilegiato, vel ut celebretur missa de requiem aut missa votiva, etc., sacerdos sic celebrare regulariter tenetur. Dico *regulariter*: nam, quoad missam de requiem vel votivam, dicit Gury cum Lig., sacerdotem satisfacere suæ obligationi justitiæ, si aliam missam dicat, quia missa eadem est quoad substantiam; ita ut nullomodo peccet, si id faciat ex justa ratione, puta quia rubricæ non permittunt dici votivam vel de requiem; venialiter vero peccet, si id faciat absque justa ratione, seu ex propria tantum devotione.

CAPUT III.

DE CELEBRATIONIS TEMPORE ET LOCO.

§ I.

De celebrationis tempore.

Agentes de tempore, inquirimus de *diebus et de horis*.

75. — Q. *Quibusnam diebus missa celebrari potest?*

R. Celebrari potest omnibus diebus, excepta feria sexta in parasceve ubi nulla missa, et exceptis feria quinta in cœna Domini et sabbato sancto, ubi generatim non nisi una missa in quacumque ecclesia permittitur.

q. *An eadem die licet eidem sacerdoti pluries celebrare?*

r. Generatim *Negative*, etsi hoc olim fuerit licitum. Excipe 1º in festo Nativitatis Domini, ubi ter celebrare licet; 2º si quis ab episcopo vel ejus delegato facultatem bis celebrandi seu binandi acceperit; 5º juxta Lig. et Gury, in casu necessitatis subito exortæ ubi ad episcopum recurri non potest, v. g. si sacerdos ante ablutionem moneatur de communicando graviter infirmo, et suam hostiam jam sumpserit nec alias sacerdos jejonus reperiatur.

Nota cum De Brabandere. In casu binationis, secunda missa libere quidem regulariter applicari potest; sed ex variis declarationibus Romanis anni 1843, 1858 et 1862 constat, quod pro ea non liceat accipere stipendum; exceptis variis missis celebratis in Nativitate Domini, et exceptis variis missis, in quibusdam Hispaniæ locis, celebratis in die commemorationis omnium defunctorum, ubi stipendum recipere licet. Si quis autem bona fide, in casu, stipendia receperit, ex decl. Rom. 1858, suæ obligationi quoad præteritum satisfacit unicam missam celebrando.

Vide tamen *Nouvelle Revue théologique* (5^e année, N° 4, page 108), ubi probatur, nullam existere legem generalem quæ hoc stipendum prohibeat, et dictas declarationes concilii, quum non fuerint promulgatae sub forma legum generalium, non obligare nisi in diœcesibus pro quibus fuerunt latæ, vel in quibus episcopi eas declararunt obligatorias.

76. — q. *Quanam diei hora celebrare licet?*

r. 1º Generatim non licet nisi solis horis matutinis, i. e. ut dicit rubrica missæ, *ab aurora usque ad meridiem*.

Per *auroram* (quasi *auream horam*) intelligitur lucis crepusculum seu initium quod, nunc breviori tunc longiori temporis intervallo (Gury generatim dicit duabus horis),

ortum solis præcedit: *l'aurore*, ait dictionarium *Landais*, est la lumière qui paraît au ciel avant que le soleil éclaire l'hémisphère, et lorsqu'il est arrivé à 18 degrés au-dessous de l'horizon.

Tempus autem auroræ et meridiei non mathematice, sed *moraliter* accipiendum est; et proin absque culpa licet missam inchoare ante auroram, modo ante auroram non terminetur; vel eam inchoare paulo ante meridiem, licet post meridiem protrahatur.

2º Sub gravi illicitum est, absque justa causa, *notabiliter*-prævenire vel protrahere hoc tempus ab Ecclesia statutum.

Dico 1º *notabiliter*, i. e., juxta sententiam probabiliorum et communiorem, si saltem una hora ante auroram vel post meridiem incipiatur missa.

Dico 2º *absque justa causa*: nam non peccatur, si id justa fiat de causa, scilicet 1º ex privilegio vel dispensatione Papæ vel episcopi, ut v. g. in quibusdam locis ubi adhuc viget mos vel conceditur facultas unam missam solemnem celebrandi statim post mediam noctem Nativitatis Domini; 2º ex consuetudine loci, v. g. in Belgio, ubi hiemali tempore id permittitur ab hora quinta, in favorem operariorum; 3º ex casu necessitatis, plus minusve urgentis, v. g. ut morituro ministretur viaticum, vel si alias magnus fidelium numerus missam audire non possit, vel si funus aliquod aut matrimonium alicujus magnati post horam meridianam adveniat.

§ II.

De celebrationis loco.

Inquiritur in quibusnam locis celebrare liceat 1º jure communi, 2º in casibus particularibus.

77. — q. *In quibusnam locis celebrare licet de jure communi?*

r. Celebrare licet 1º in ecclesia, ab episcopo consecrata, vel ab episcopo, aut sacerdote de ejus licentia, benedicta; 2º in oratorio, ad hunc finem deputato a superiore legitimo; modo haec loca, i. e. ecclesia vel oratorium, non sint interdicta, vel execrata, vel polluta.

Dico 1º modo non sint interdicta: nam, qui in loco interdicto celebrat, graviter peccat; et, ob interdicti violationem, irregularitatem incurrit.

Dico 2º vel execrata, i. e. quæ suam consecrationem vel benedictionem amiserunt. *Execratur* autem ecclesia vel oratorium duabus modis: 1º si parietes pro majori parte simul destruantur et de novo simul construantur; non vero, si id fiat successive, vel si destruatur solum tectum; 2º si ita amplificetur, ut partes additæ partem antiquam superent. — Sub gravi prohibetur celebrare in loco execrato; ac proinde locus ille, ut in eo celebrare liceat, de novo consecrari vel benedici debet.

Dico 3º vel polluta. *Polluitur* seu *violatur* ecclesia consecrata aut benedicta, vel simile oratorium publicum, quando in ea ponuntur quidem actus qui ejus sanctitati graviter repugnant; modo hi actus sint vere publici, publicitate juris vel facti, et modo fiant in loco sacro stricte dicto, non vero si in sacristia, in turri, supra fornicem, etc.

Hi autem actus sunt quatuor sequentes: 1º homicidium voluntarium, sive injustum, sive justum, v. g. a judice imperatum; non autem voluntarium censetur homicidium patratum ab amente, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ; 2º sanguinis humani effusio notabilis et graviter injuriosa. Sed notandum est quod, ad casum homicidii et sanguinis effusionis, sufficiat quod vulnus fuerit inflictum in ecclesia, licet vulneratus extra ecclesiam moriatur aut sanguinem fundat, vel quod vulnerans extra ecclesiam existat; secus vero, si vulnerans, in ecclesia existens,

vulneret existentem extra ecclesiam; 5º seminis humani effusio voluntaria; qualis non reputatur pollutio nocturna seu in somno, etiamsi fuerit voluntaria in causa; 4º sepultura vel nominatim excommunicati, vel infidelis seu non baptizati. Attamen, quoad non baptizatos, sententia probabilis, contradicentibus multis auctoribus, duplum admittit exceptionem, scilicet, si non baptizatus sit catechumenus; vel si proliis eujusdam non baptizatae parentes sint christiani, quia tunc pro ipsa parentes baptismum desiderare censemur. Verum quidem est illos non posse in loco sacro sepeliri. Sed inde non sequitur, per eorum sepulturam *pollui* ecclesiam vel cœmeterium: sic v. g. per illicitam sepulturam certorum hominum, puta non paschantium, vel in peccato notorio seu in impœnitentia decadentium, etc., non exurgit loci pollutio; ergo a pari neque per prohibitam sepulturam catechumeni vel hujusmodi infantis, de quibus jus, determinans casus pollutionis, silet.

Nota 1º. Iisdem quatuor modis violatur cœmeterium benedictum; ita ut, priusquam reconcilietur, in eo sepelire non licet.

Nota 2º. Magnum est discrimen inter ecclesiæ pollutionem et execrationem. Nam 1º, ut ex supra dictis intelligere est, pollutio est sanctitatis contaminatio; execratio autem est sanctitatis amissio; 2º *polluta* ecclesiæ parte, integra pollui censetur ecclesia, etiam cum cœmeterio ecclesiæ adjacente; et reconciliata ecclesia, reconciliatur cœmeterium. Non vero contra, i. e. polluto vel reconciliato solo cœmeterio, non pollui vel reconciliari censetur ecclesia. Sed *execrata* ecclesia, ait Gury, non ideo execratur cœmeterium, nec altaria fixa et integra.

Nota 3º, ob materiae connexionem. Quoad execrationem aliarum rerum consecratarum, v. g. altarium, vasorum sacrorum, illæ execrantur generatim, quando formam suam amittunt, ita ut ad usum suum amplius inservire non possint. Id autem, in particulari pro *al-*

taribus, locum habet, juxta varias decisiones Romanas, in casibus sequentibus: 1º altare fixum execratur, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur; 2º altaria, sive fixa sive portatilia, execrantur vel per fractionem tumuli in quo recunduntur sanctæ reliquiae, vel per harum amissionem; nec sufficit, in hoc ultimo casu, tumulari alias reliquias authenticas, sed altare denuo conserandum est. Quoad vasa sacra, vide infra, N° 81.

Nota 4º. Reconciliare autem violatam seu pollutam ecclesiam, vel oratorium publicum, possunt personæ sequentes: 1º si fuerit tantum *benedicta*, id potest sacerdos ab episcopo delegatus; imo sacerdos, præsumpta licentia, si res moram non patiatur superiorem adeundi; 2º si fuerit *consecrata*, id potest episcopus, vel sacerdos delegatus a Papa; imo in necessitate, episcopus delegare potest sacerdotem ad eam benedicendam, donec ipse eam consecrare valeat. — Dicit autem Gury quod oratoria *privata*, licet benedicta, nunquam censeantur pollui, et proin reconciliatione non egeant.

Dico 4º *In oratorio.... Oratoria* sunt loca ad usus sacros ab episcopo vel a Papa permanenter deputata. Alia sunt publica, et alia privata.

Publica sunt oratoria ab episcopo permanenter deputata, habentia ostium dans ingressum per viam publicam. Imo *publicis* æquiparantur, etiamsi ostium non habeant ad viam publicam, oratoria erecta in seminariis, monasteriis, carceribus, nosocomiis, imo et in palatiis episcoporum; illa enim non sunt oratoria *privata*, quia hujusmodi domus dici non possunt *domus private*, et ideo oratoriis publicis æquiparantur, licet rigorose publica non sint. Porro, in his omnibus oratoriis, quemadmodum et fideles præcepto audiendæ missæ satisfacere valent, ita et a quocumque sacerdote, diebus etiam solemnioribus anni, missa celebrari potest.

Privata seu *domestica* sunt oratoria non habentia ostium

ad viam publicam, in ædibus privatorum ex privilegio Papæ permanenter erecta. Licentia in his celebrandi, sicuti et facultas pro fidelibus ibidem præcepto missæ satisfaciendi, multis modis limitari solent; quare tenor indulti accurate inspiciendus est.

Hæc omnia, juxta *jus commune*. Jam vero inquiritur de *casibus particularibus*.

78. — Q. *Quandonam, in casibus particularibus, celebrare licet extra prædictas ecclesias vel prædicta oratoria?*

R. Id licet, si fiat ex debita superiorum licentia. Sic:

1º Requiritur licentia Papæ, ad celebrandum in navi, quando mare est tranquillum et adest sacerdos vel diaconus ad tenendum calicem.

2º Episcopus olim facultatem concedere poterat celebrandi in oratoriis privatis vel in domibus privatorum. Jam vero, teste Gury, ex variis recentioribus decisionibus Romanis constat, hujusmodi facultates esse Papæ reservatas, et episcopum eas concedere non amplius posse nisi per modum actus transeuntis et magna urgente causa. Sed hic notandum est quod episcopi Belgii postularunt: « Ut concilium Vaticanum potestatem faciat omnibus ordinariis, concedendi privatis quibusdam personis, quas ipsi in Domino dignas judicaverint, oratorium domesticum in quo SS. missæ sacrificium celebrari possit; imo, si adsint rationes sufficietes, SS. Eucharistia asservetur; sub conditionibus tamen vel a concilio vel a sancta Sede præscribendis, et ad quas omnino teneantur ordinarii. »

3º Si episcopus adiri non valeat, sufficere potest licentia ejus præsumpta, si adsit gravis causa, v. g. in casu quo celebrandum sit in castris, vel quo ecclesia sit diruta, modo in his casibus magnus fidelium numerus die dominica missa careret, nisi celebretur sub dio vel sub tentorio; item si sacerdos longam peregrinationem peragat per loca deserta, vel apud infideles.

CAPUT IV.

DE CELEBRANDI MODO.

Duplici articulo inquirimus 1º de requisitis ad celebrandum; 2º de rubricis et defectibus missæ.

Articulus I.

DE REQUISITIS AD CELEBRANDUM.

Alia requiruntur a parte *personarum*, scilicet 1º sacerdotis vestes sacræ seu ab episcopo benedictæ, 2º minister.

Alia, a parte *altaris*, scilicet 1º saltem lapis ab episcopo consecratus, 2º mappa triplex, 3º crucifixus, 4º lumen.

Alia, a parte *instrumentorum*, scilicet 1º calix et patena, 2º corporale, 3º palla, 4º purificatorium, 5º missale.

De singulis dicimus triplici N° sequenti.

79. — A parte *personarum*.1º Quoad *vestes sacras*.

Nunquam licet celebrare sine vestibus *principalibus*, i. e. sine casula, vel alba, vel probabiliter sine stola; attamen, quoad stolam, varii tenent licere sine ea celebrare in gravi necessitate, puta ut conficiatur viaticum, vel ut populus die festo missam audiat. Dico *principalibus*: nam, ex rationabili causa, celebrare licet absque vestibus minoribus, i. e. absque manipulo, cingulo, amictu.

Color vestium est de præcepto, omnes enim rubricæ missæ sunt præceptivæ. Hæc tamen rubrica non videtur obligare sub gravi, nisi adsit scandalum, v. g. si in paschate vel alia magna solemnitate celebretur vestibus nigris; et proin causa non valde gravis ab omni culpa excusat.

Amictus, alba, sicuti et mappæ, corporale, palla et purificatorium, necessario esse debent ex lino, vel ex

cannabe (*de chanvre*) confecta, ut constat ex decreto Romano anni 1819.

2º Quoad ministrum.

Sub gravi prohibetur celebrare absque ministro; excepto casu necessitatis, puta ut conficiatur viaticum, vel ut populus audiat missam de præcepto, vel si post incoepit notabiliter missam minister recedat.

Minister debet esse masculus; ita ut sub gravi prohibetur ne ministret femina. Attamen permittitur ut, deficiente masculo, e loco dissito respondeat femina, præcipue monialis, modo ad altare non accedat ad ministrandum.

80. — A parte altaris.

1º Quoad lapidem.

Requiritur altare lapideum ab episcopo consecratum; vel saltem lapis ab episcopo consecratus, in altare insertus, qui tam amplius sit ut hostiam et majorem partem calicis capiat. Duplex igitur distinguitur altare, scilicet *fixum*, quod basi suæ immobiliter adhæret; et altare *mobile* seu *portatile*, i. e. lapis, qui de loco ad locum transferibilis est. Absque ullo hujusmodi altari celebrare prohibetur in omni casu, et sub gravi.

2º Quoad mappam.

Mappa requiritur triplex, et ab episcopo benedicta. Attamen, celebrare supra duas aut tantum unicam, vel supra mappas non benedictas, culpam venialem non excedit; imo, si fiat ex rationabili causa, omni culpa vacat.

5º Quoad crucifixum.

In medio altaris adesse debet crucifixus, non vero sola crux. Celebrare sine cruxi fixo, culpam venialem non excedit.

4º Quoad lumen.

Sub gravi prohibetur celebrare absque ullo lumine. Si autem, inter celebrandum, extinguitur omne lumen, nec

aliud haberi possit, missa perficienda est, si id accidat post consecrationem; secus vero, si ante consecrationem.

Requiritur lumen seu candela duplex. Attamen, celebrare cum unica tantum candela, culpam venialem non excedit; imo, si fiat ex rationabili causa, omni culpa vacat.

Candelæ confici debent ex cera (*de cire*); idque, excepto casu necessitatis, probabiliter obligat sub gravi; non vero sufficiunt confectæ ex sebo (*de suif*), vel ex stearina (*de stéarine, des bougies*), ut ex responsis Romanis constat.

81. — A parte *instrumentorum*.

1º Quoad calicem et patenam.

Calix et patena debent, sub gravi, esse consecrati. Censentur autem amittere formam suam, et consequenter consecrationem suam, si inauratio pereat; tuncque, post novam deaurationem, nova consecratione indigent, ut constat ex declarat. Rom. 1845, sique dirimitur controversia quæ desuper existebat. — Quod spectat pixidem, et lunulam in qua reponitur magna hostia consecrata, illæ probabilius consecrari non debent, sed sufficit quod ab episcopo benedicantur.

Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, ait Gury, saltem cuppa calicis debet esse aurea, vel argentea intus inaurata; imo, in casu necessitatis, sufficere potest confecta ex stanno (*étain*) intus deaurata. Patena vero esse debet ex auro, vel ex argento deaurato.

2º Quoad corporale.

Sub gravi prohibetur celebrare sine corporali, vel cum corporali non benedicto, vel cum benedicto valde immundo; nisi gravis necessitas celebrandi urgeat. Uti corporali non tam immundo, est peccatum veniale; imo nullum est, si quædam celebrandi necessitas urgeat.

3º Quoad pallam.

Olim palla erat ipsum corporale quo calix cooperiebatur;

jam vero est a corporali separata. Unde, cum hodie palla sacras species immediate non tangat, sententia probabilis tenet, non esse grave celebrare absque ea vel cum palla non benedicta. In necessitate, deficiente palla, purificatorium aut bursa ad calicem cooperiendum adhiberi potest.

Etsi aliquando prohibitum fuerit uti palla panno serico (*de soie*) cooperta et auro contexta, id jam ex resp. Rom. 1832, postulantibns pluribus Galliae episcopis, permititur, ait Gury.

4º Quoad *purificatorium*.

Dicit Gury ex Lig. cum sententia communiori et probabiliori, purificatorium non requiri benedictum; quia in rituali nulla adest benedictio propria purificatori, sicut nec veli nec bursæ. Imo, si purificatorium facile haberi non possit, probabiliter licitum est, ait, celebrare sine eo, ejusque loco adhibere strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur.

5º Quoad *missale*.

Etsi missale generatim et sub gravi requiratur, attamen sacerdos qui, ob visus debilitatem, missale perlegere non valet, et missam tenet memoriter, probabilius potest, in necessitate, celebrare, vel absque missali, vel potius cum missali, modo discernat calicem et hostiam quantum necesse est ad vitandam irreverentiam; attamen in hoc casu, teste Liguorio, tutius est petere dispensationem. Si vero penitus cæcus sit, celebrare non potest absque speciali licentia Papæ, et assistentia sacerdotis, quæ præscribi solet.

Articulus II.

DE RUBRICIS ET DEFECTIBUS MISSÆ.

82. — q. *An omnes rubricæ missæ sunt præceptivæ?*

R. 1º Rubricæ, ait Gury, quæ servantur *intra missam*, sunt omnes præceptivæ, juxta communem sententiam, cum rem adeo sacram respiciant. Obligant autem sub

gravi vel sub levi, pro gravitate vel levitate materiæ, nisi excuset inadvertentia seu distractio involuntaria.

2º Rubricæ quæ servantur *extra missam*, i. e. ante vel post sacrum, quales sunt orationes pro præparatione vel pro gratiarum actione, habentur communiter ut mere *directive*; possunt enim aliæ orationes recitari. Controvertitur tamen quoad orationes quæ ex rubrica recitandæ sunt induendo vestes: dicit Lig. tenendum esse, cum communi sententia, earum omissionem constituere culpam veniale; plures tamen tenent cum Suarez hanc omissionem omni culpa vacare.

Q. *Undenam desumenda est materiæ gravitas, in violatione rubricarum missæ?*

R. Id pendet, non tantum a quantitate, sed insuper a qualitate materiæ. Atqui, qualitate præstantiora reputantur illa quæ in omni missa recitantur vel fiunt, quam illa quæ non semper eveniunt, qualia sunt v. g. Gloria, Credo, collecta propriæ collectæ addita, illa quæ quandoque præscribuntur propria in præfatione aut in Communicantes, etc.

Licet in multis casibus difficillimum sit definire quoad materiæ gravitatem, altamen communiter grave reputatur singulum e sequentibus: omittere confessionem cum aliis in principio missæ; epistolam, vel evangelium, vel offertorium, vel mixtionem aquæ cum vino, vel præfationem; orationem aliquam in canone, vel eam ita mulare ut sensus non maneat; elevationem hostiæ vel calicis; Pater noster, vel Libera nos; fractionem hostiæ, vel ejus mixtionem cum sanguine; Agnus Dei, vel Domine non sum dignus, vel Quid retribuam; purificationem patenæ et calicis; tandem, omittere plures partes leves quæ, cum coalescant, sufficient ad materiam gravem constituendam.

Q. *Quantum peccat sacerdos qui cum voluntaria notabili distractione celebrat?*

R. Videtur peccare mortaliter, ait Gury ex Lig.: quia sacrificium, præter rationem orationis, habet insuper ra-

tionem excellentissimi cultus religionis, cui gravem ille videtur irrogare irreverentiam qui, dum profitetur actu religioso Deum colere, voluntarie se distrahit.

Nota. Quoad tempus durationis in missa celebranda, regula generalis est, missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes tædio afficiantur; nec breviorem viginti minutis. Unde, Lig. non excusat a peccato gravi, eum qui missam absolvit infra quadrantem; quia, etiamsi supponatur eum omnia a rubricis praescripta præstare posse, nihilominus necessario committit duos defectus graves, scilicet gravem irreverentiam erga sacrum, et grave scandalum erga fideles.

83. — q. *Quotuplicis generis defectus in celebratione missæ occurrere possunt?*

R. Triplicis generis, scilicet defectus 1º circa missæ essentialia, 2º circa partem integralem, 3º circa partes mere cæremoniales.

1º Defectus circa missæ *essentialia*, sunt defectus qui spectant materiam consecrandam, vel formam debitam, vel personam ministri conficientis qui habere debet ordinem sacerdotalem et debitam intentionem. « Quidquid horum deficit, ait missale, non conficitur sacramentum; sed, his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest sacramenti. Alii vero sunt defectus qui, in missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem sacramenti non impedian, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere. » Igitur,

2º Defectus circa partem *integralem*, sunt defectus spectantes communionem sacerdotis.

3º Defectus circa partes mere *cæremoniales*, sunt defectus circa reliquas missæ partes.

De his omnibus defectibus, vide varia in hoc præsenti tractatu passim sparsa, et titulum missalis *De Defectibus Missæ*.

Q. *An hi defectus in missæ celebratione occurrentes, suppleri debent?*

R. 1º Defectus circa sacrificii essentiam vel integratatem, suppleri debent si possint.

2º Quoad defectus circa partes mere cæremoniales, v. g. circa collectam, Credo, etc., videndum est an advertantur statim, an vero postea. Si advertantur *statim*, suppleri debent, modo absque nota id fieri possit; si *postea*, suppleri non debent, ne, intervertendo ordinem missæ, novus committatur error.

84. — Q. *An licet sacerdoti missam interrumpere, ut postea perficiatur?*

R. Etsi id non liceat per se, quia missa est actio una, cujus partes sibi invicem connexæ esse debent, id tamen licitum est per accidens, ob gravem causam: tum ratione cujusdam cæremoniae ecclesiasticæ, puta ad conferendos ordines sacros, ad suscipienda vota religiosa, ad concessionem aut proclamationes faciendas; tum ratione necessitatis alienæ vel propriæ, v. g. ad ministranda in mortis periculo sacramenta necessaria necessitate medii ad salutem, vel ad satisfaciendum urgenti cuidam necessitatí corporali.

Q. *Quid agendum est sacerdoti qui in his posterioribus casibus missam interrumpere coactus fuit?*

R. Distinguendum est utrum interruptio facta fuerit ante, an vero post consecrationem.

1º Si *ante* consecrationem, et si ipse, infra horam, sit ad altare redux, simpliciter pergit ubi desiit; si vero ultra horam, vel celebrare omittat, vel ab initio ordiatur.

2º Si *post* consecrationem (custodito interea reverenter SS. Sacramento), et ipse infra duas horas sit ad altare redux, simpliciter pergit; si vero ultra duas horas, omitenda est missa, et servandæ sunt sacræ species, ut postera die, post sumptionem sacri sanguinis, sumantur.

VERBULUM AD LECTOREM.

Completo SS. Eucharistiæ tractatu, jam nobis, juxta ordinem relationis inter sacramenta, tractandum foret de sacramento pœnitentiæ. Verum, quum hæc de pœnitentiæ sacramento materia majorem complectatur typographicam extensionem, quam ut in præsenti tomo III convenienter comprehendi valeat; et quum judicemus, lectori minime gratum fore si illam non in uno eodemque volumine sed in duobus partim inquirere cogeretur: idcirco opportunum existimavimus, per eam exordiri tomum IV, et transire hic et nunc ad arctiores tractatus *De Extrema-Uncione* et *De Ordine*; ut ita, hac ordinis inversione, inter quatuor nostri operis tomos quædam amplitudinis æqualitas ac proportio servetur.

TRACTATUS

DE EXTREMA-UNCTIONE.



Extrema-unctio ultimum est ex quinque sacramentis quæ ad individua Ecclesiæ membra spectant. Quemadmodum confirmatio est perfectio et consummatio baptismi, sic extrema-unctio est complementum et consummatio poenitentiæ: nam poenitentia ad tollenda peccata, extrema-unctio vero ad tollendas peccatorum reliquias adhibetur.

Quintuplici capite dicimus 1º de hujus sacramenti existentia, 2º de ejus materia et forma, 3º de ejus effectibus, 4º de ejus ministro, 5º de ejus subjecto; quibus, per modum appendicis, subjungimus 6º de benedictione apostolica, et 7º de sepultura ecclesiastica.

CAPUT I.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS EXISTENTIA.

1. — q. *Quid est extrema-unctio?*

r. Est sacramentum a Christo institutum, in quo infirmus oleo ad hoc benedicto inungitur a sacerdote, sub præscripta verborum forma, ad sanitatem animæ et corporis.

Q. *Quomodo demonstratur hujus sacramenti existentia?*

R. Extremam-unctionem verum esse sacramentum, contra plerosque lutheranos et calvinistas qui post Lutherum et Calvinum illud negant, de fide est ex Tridentino, declarante: « Si quis dixerit extremam-unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. »

Probatur 1º ex Scriptura, apud apostolum Jacobum: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo..... et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quae verba continent omnia ad verum sacramentum requisita: adest *signum sensibile*, scilicet in unctione et verbis ministri; *a Christo institutum*, ut demonstratur traditione apostolica; *conferens gratiam*, ut ex ejus effectibus et ex citatis verbis patet.

Probatur 2º ex traditione et ex Ecclesiæ consensu.

Q. *An et quandonam Christus hoc sacramentum instituit?*

R. 1º De fide est, post Tridentinum, Christum illud instituisse, idque præsertim probatur traditione apostolica; 2º certum est, licet non de fide, illud a Christo *immediate* institutum, et a s. Jacobo fuisse promulgatum; 3º incertum est quandonam Christus illud instituerit; probabilius tenetur id fuisse post resurrectionem.

CAPUT II.

DE EJUS MATERIA ET FORMA.

Materia alia est remota, et alia est proxima.

2. — Q. *Quænam est extremæ-unctionis materia remota?*

R. Juxta Tridentinum, est oleum ab episcopo benedictum. Dico *benedictum*: nam sententia communissima tenet,

aliquam saltem benedictionem, sive episcopalem sive sacerdotalem, requiri ex institutione Christi et consequenter de necessitate sacramenti.

Sed magis explicite, inspecta extremæ-unctionis validitate simul et liceitate, dicimus, quod materia remota sit oleum olivarum, benedictum ab episcopo, vel extraordinarie a sacerdote ex commissione Papæ, singulis annis in cœna Domini renovandum.

Dico 1º *ab episcopo* benedictum: intellige benedictione speciali seu in ordine ad extremam-unctionem. Unde, oleum catechumenorum vel chrisma, licet quoque sint oleum ab episcopo benedictum, non sunt hujus sacramenti nisi materia dubia, qua proin, juxta Lig., uti non licet extra necessitatem; quod si ex necessitate vel ex errore factum fuerit, ait pastorale Brugense, unctionis sub conditione repetenda foret.

Nota. Hic incidenter juvat determinare quotuplex distinguatur oleum ab episcopo benedictum, et quandonam præsertim inserviat: scilicet 1º oleum *infirmorum*, quod adhibetur in extrema-unctione, et in unctione externa campanarum; 2º oleum *catechumenorum*, quod adhibetur tum in baptismo, ante collationem sacramenti, tum ad consecrandas manus neo-sacerdotum, personas regum, etc.; 3º *chrisma*, quod adhibetur tum in confirmatione, tum in baptismo, post collationem sacramenti, tum ad varias consecrationes rerum, v. g. eborii, calicis, patenæ, altaris, campanarum interius, etc.

Dico 2º vel *a sacerdote*....: ut constat ex praxi ecclesiæ orientalis, in qua a mille et amplius annis mos viget, ait Scavini ex Ben. XIV, ut ipsimet presbyteri, cum se accingunt ad infirmum inungendum, oleum benedicant.

Dico 3º *singulis annis renovandum*. Quapropter, oleum vetus, recepto jam oleo novo, est materia quidem valida, sed illicita, idque probabiliter sub gravi. Si autem intra annum prævideatur penuria olei infirmorum, licitum est

ei adjungere, in minori tamen quantitate, oleum non benedictum.

3. — Q. *Quænam est extremæ-unctionis materia proxima?*

R. Est dictæ materiæ remotæ applicatio, seu inunctio corporalis in infirmo.

Q. *Quænam inungendæ sunt corporis partes?*

R. Scriptura silet de partibus corporis in quibus infirmus ungendus sit; et consequenter, in hoc puncto non una in diversis ecclesiis existit disciplina, ita ut alicubi plures, alibi pauciores partes inungantur. Sic, græci ungunt in fronte, mento, genis, manibus, pectore et pedibus; alii ungunt in quinque sensibus et in pectore, vel renibus, vel pedibus, etc. Juxta pastorale autem Brugense, ungenda sunt organa quinque sensuum, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, et tactus in manibus, quæ sacerdotibus ungi debent exterius, reliquis vero ægrotis, interius; hisque, juxta omnium Belgii ecclesiarum consuetudinem, adjungitur unctionis pectoris, in parte superiori.

Ex his concludimus, non plane constare quot et quæ unctiones, atque sub quanam forma, sint facienda. Hæc autem quæstio considerari potest dupliciter: 1º speculative, seu præsertim quoad sacramenti validitatem, 2º practice, seu quoad licitatem. Unde:

4. — *Speculative, seu quoad sacramenti validitatem.*

Desuper teneantur sequentia:

Prænola. Duplex distingui potest inunctio, scilicet 1º illa quæ est multiplex, seu quæ multipliciter fit in diversis corporis partibus; 2º illa quæ est unica, seu quæ fit in una tantum corporis parte, v. g. in capite sola. Duplex quoque distinguitur forma, scilicet 1º illa quæ est multiplex, seu quæ totidem repetitur quot fiunt unctiones; 2º illa quæ est unica et universalis, seu complectens omnes sensus, ut N° 6 videbitur. Itaque duplex jam re-

solvendus est casus, scilicet 1º si unctio adhibeatur multiplex, 2º si adhibeatur unica.

q. *Quid tenendum de primo casu, seu si unctio adhibeatur multiplex?*

r. 1º Certum est quod, ad sacramenti valorem, sufficiat unctio illa *multiplex* quæ fit saltem *quinquies* seu in organis quinque sensuum, videlicet visus, auditus, olfactus, gustus et tactus; modo illæ quinque unctiones fiant sub quintuplici forma quæ correspondeat singulo organo inuncto, scilicet, pro unctione oculorum, sub forma: *Per istam sanctam unctionem..... quidquid deliquisti per visum:* pro unctione aurium, sub forma: *Per istam sanctam unctionem... quidquid deliquisti per auditum;* et sic de sensu olfactus, gustus et tactus.

2º Controvertitur autem an, sub his quinque unctionibus, ad sacramenti valorem sufficiat *forma unica* et universalis. Sententia *Affirmans* est multo probabilior, quia hæc forma, licet unica, est universalis seu æquivaleens formæ quinquies repetitæ. Attamen, ob auctoritatem variorum contradictorium, hæc sententia non est omnino certa.

q. *Quid tenendum de secundo casu, seu si unctio adhibeatur unica?*

r. Controvertitur utrinque probabiliter an, ad sacramenti valorem, sufficiat unctio *unica*, quæ brevitatis causa quandoque fit sub forma universalis. Sententia *Affirmans* videtur probabilior, tum quia diversa est ecclesiarum in unctionum numero disciplina, tum maxime quia ecclesia græca non inungit quinque sensuum organa, sed frontem, mentum, etc.; attamen, neque hæc sententia est omnino certa.

q. *Quanam in unctionibus faciendis certo habentur tantum ut accidentalia?*

r. Certo ut *accidentalia* in unctione habentur, et proin ad sacramenti validitatem non pertinent, quinque sequen-

tia: 1º unctiones aliæ quam illæ quæ in quinque sensibus fiunt, v. g. unctiones factæ in pectore vel gutture, in pedibus, in renibus, in parte corporis in qua infirmus magis patitur; 2º quod unctionum faciendarum præscriptus a pastorali servetur ordo; 3º quod in geminis sensibus, v. g. in oculis, gemina fiat unctionis, inchoando a membro dextero; 4º quod unctiones fiant per modum crucis; 5º quod fiant per pollicem, vel per virgulam.

Attamen, inter quinque illa accidentalia, unum est, juxta Lig., hocque solum, quod obligat sub gravi, scilicet ut observetur unctionum faciendarum ordo a pastorali præscriptus, quia istius ordinis subversio vergit contra usum Ecclesiæ in re gravi. Quoad alia vero, quædam nullatenus obligant; vel si obligent, justa de causa facile legitimantur.

5. — *Practice seu quoad liceitatem.*

Distingue utrum adsit vel non adsit casus necessitatis.

Q. *Si non adsit casus necessitatis, quomodo agendum est de præcepto?*

R. Faciendæ sunt illæ unctiones, sub distinctis formis correspondentibus, quæ præcipiuntur a rituali loci in quo sacramentum conferatur; idque sub gravi, quia de re gravi agitur.

Q. *Si adsit casus necessitatis, quomodo agere licet?*

R. In casu necessitatis, ita ut tempus vix sinat fieri omnes unctiones sub distinctis formis correspondentibus, abbreviare licet unctiones et formas, uno e duobus modis sequentibus, scilicet: sub prolatione unicæ formæ universalis, vel 1º facere omnes unctiones celeriter, non per modum crucis, liniendo unum oculum, unam aurem, narres, os, et maxillam pro sensu tactus; in quo casu, ait Dens, non videtur superesse dubium de validitate sacramenti hoc modo collati; vel 2º si necessitas maxime urgeat, facere tantum unicam unctionem in quacumque

corporis parte; quia, in necessitate, uti licet materia aut forma dubie valida, ubi certa haberri non potest. Attamen, in casu sacramenti sic dubie collati cum unica unctione, postea, si necessitas forte urgere desinat, sub conditione repetendæ forent omnes unctiones cum formulis suis.

q. *Quinam potissimum sunt illi necessitatis casus?*

r. Hujusmodi necessitatis casus præcipui sunt tres sequentes :

1º Si infirmus sit hic et nunc expirans vel moriturus;
 2º Si tantum una corporis pars a ministro attingi possit;
 3º In morbo contagioso, in quo sacerdos absque morbi vel mortis periculo omnia peragere non valeat. Etenim, *De Sacramentis in genere*, N° 56, dictum est quod, saltem ordinarie, non adsit obligatio hoc sacramentum administrandi cum periculo vitae; ergo a fortiori licitum esse debet in tanto periculo, si sacramentum conferatur, illud exponere aliquali periculo nullitatis, cum præstet ministrare sacramentum probabiliter profuturum, quam nullum conferre. Dicit tamen pastorale Brugense quod, in casu morbi contagiosi, ungenda sint organa quinque sensuum, ad singulas unctiones dicendo integrum formam sensui qui inungitur accommodatam.

6. — q. *Quænam est extremæ-unctionis forma?*

r. Dictum est supra, duplicem distingui formam, ordinariam et extraordinariam.

1º *Ordinaria*, apud latinos, est hæc: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, inunctis oculis; per auditum, inunctis auribus; et ita de cæteris inunctis organis.*

2º *Extraordinaria*, seu illa quæ in casibus necessitatis adhiberi potest, est hæc: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus*

quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, olfactum, gustum et tactum.

Q. *Quænam in his formis verba sunt essentialia?*

R. Essentialia sunt sequentia: *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per..... cum verbo sensum exprimente. Sed controvertitur, ut supra dictum est, utrum ad valorem sufficiat exprimere sensus uno verbo, an vero requiratur expressio singuli sensus inuncti.*

Q. *An est de essentia seu valore sacramenti, quod forma sit deprecativa, ut est apud latinos et græcos, an vero esse potest indicativa, ut in variis rituibus invenitur?*

R. Utrinque probabiliter disputatur; unde Ben. XIV, post relata argumenta sententiae *Negantis* et *Affirmantis*, concludit quod singuli suum rituale sequi sub gravi tenentur.

In casu formæ deprecativæ, sacramenti validitati tamen non obest voluntaria distractio ministri: nam hujus sacramenti valor pendet quidem ab oratione sacerdotis, non ut est opus operantis, sed ut est opus sacramentale, habens suam efficaciam ex institutione et meritis Christi.

CAPUT III.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS EFFECTIBUS.

7. — Q. *Quinam sunt extremæ-unctionis effectus?*

R. Ex s. Jacobi verbis et ex Tridentino eruuntur quinque effectus sequentes: 1º gratia, plenius sanativa, ex qua cæteri effectus profluunt, scilicet 2º remissio peccatorum, si quæ supersint, 3º abstersio reliquiarum peccatorum, 4º alleviatio infirmi, 5º sanitas corporalis, si infirmi saluti prosit.

Q. *Quænam est hæc gratia plenius sanativa, producens cæleros effectus?*

R. Est gratia duplex, scilicet gratia sanctificans et gratia actualis seu sacramentalis.

1º Est gratia *sanctificans*, scilicet 1º *sanctificans secunda*, cum extrema-unctio sit primario sacramentum vivorum; quæ gratia secunda augetur per remissionem venialium, si quæ adsint (2º effectus); imo 2º *sanctificans prima*, cum extrema-unctio secundario, i. e. in hypothesi alicujus peccati mortalis, sit sacramentum mortuorum (2º effectus). Igitur hoc sacramentum remittit venalia *per se*; mortalia quoque remittit probabilius *per se*, modo adsit attritio, ait Lig., qua auferatur obex peccati.

2º Est gratia *actualis* seu *sacramentalis*, qua 1º auferruntur vel saltem minuuntur peccatorum reliquiæ (5º effectus); et consequenter qua 2º infirmus alleviatur quoad animam et quoad corpus: quoad *animam* quidem, producendo effectus reliquiis peccatorum contrarios (4º effectus); quoad *corpus* quidem, producendo sanitatem corporalem si infirmi saluti expedierit (5º effectus).

8. — Relative ad dictum secundum effectum, seu *remissionem peccatorum*, notentur sequentia:

q. *Quoad remissionem mortalium, quomodo differt extrema-unctio a cæteris sacramentis vivorum, et a sacramentis mortuorum?*

r. Differt a cæteris sacramentis vivorum, in eo quod sacramenta vivorum mortalia remittant *per accidens*, i. e. in quantum gratia *sanctificans secunda* existere non potest cum peccato mortali; et differt a sacramentis *mortuorum*, in eo quod hæc sacramenta, i. e. baptismus et pœnitentia, mortalia remittant *per se* et primario, dum extrema-unctio mortalia remittit, quoque quidem *per se*, sed tantum *secundario*, i. e. in hypothesi alicujus peccati mortalis.

q. *Assigna præcipuos casus in quibus inunctus infirmus habet peccatum mortale?*

r. Tres sequentes assignantur casus: 1º si infirmus, de mortalibus reus, confiteri non valeat, v. g. quia est sensibus destitutus, eique minister, ante unctionem, ab-

solutionem dare negligat vel obliviscatur; 2º si instituta de mortalibus confessio, fuerit bona fide invalida, ob absentiam attritionis quam poenitens se habere credebat; 3º si post confessionem infirmus, ante administrationem sacrae unctionis, lapsus fuerit in aliquod peccatum mortale, quin desuper ulla denuo instituatur confessio.

9. — Relative ad tertium et quartum effectum, notentur sequentia:

Q. *Quid intelligis per reliquias peccatorum?*

R. Sunt 1º poenae temporales pro peccatis debitae; 2º torpor ad bonum, pronitas ad malum, pusillanimitas ad perforanda morbi incommoda et mortem.

Q. *Quomodo extrema-unctionio his peccatorum reliquiis medetur?*

R. Reliquiis primi generis seu poenis temporalibus medetur, eas tollendo, ex toto vel ex parte, juxta dispositionem recipientis.

Reliquiis secundi generis medetur, non tantum dicto eodem modo, scilicet eas tollendo ex toto vel ex parte juxta dispositionem recipientis, sed etiam concedendo effectus eis contrarios: nimirum, contra *torporem* ad bonum, dat pronitatem ad bonum; contra *pronitatem* ad malum, dat torporem ad malum; contra *pusillanimitatem*, dat animum et vires ad morbi incommoda et mortem rite perforanda; hosque effectus contrarios operatur, præsertim oppugnando tentationes dæmonis et augendo fiduciam in Deum.

10. — Relative ad quintum effectum seu *sanationem corporalem*, notentur sequentia:

1º Certum est quod hoc sacramentum istam sanationem non conferat *semper*; ut constat ex Tridentini verbis: *Interdum ubi saluti animæ expedierit.*

2º Ut eam producere valeat, tres sequentes requiruntur conditions, scilicet: 1º ut saluti animæ expedit;

insuper 2º ut nihil obstet a parte Dei, i. e. a parte divinæ providentiæ et justitiae. Sic, ordini divinæ providentiæ obstare videtur, si tantus sit morbi progressus, ut sanitas non nisi per manifestum miraculum et contra naturam recuperari possit: licet enim sanatio corporalis in hoc sacramento fiat virtute supernaturali, non tamen fit virtute proprie miraculosa, bene vero virtute seu operatione quodammodo ordinaria et suavi qua causas naturales successive adjuvat, quemadmodum medecinæ naturales operari solent; 3º ut nullus adsit obex a parte recipientis, v. g. recipientis indispositio, defectus fidei vel fiduciae in Deum, etc.

5º Siquidem sanatio pendeat ab his tribus conditionibus, 1º sequitur quod hoc sacramentum eam non conferat *absolute*, sed tantum *conditionate*. 2º Modo adsint hæ tres conditiones, putat s. Thomas sanationem conferri *infallibiliter*. 3º Juxta sententiam probabiliorem, hæc sanatio causatur *ex opere operato*, sicuti reliqui sacramentorum effectus, non ponentibus obicem.

CAPUT IV.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS MINISTRO.

Tria inquiruntur, scilicet: 1º quisnam minister hoc sacramentum conferat valide, 2º quisnam conferat licite, 3º quisnam conferre teneatur.

11. — Quoad collationem *validam*.

Q. *Quisnam hoc sacramentum conferre potest* valide?

R. Extremam-unctionem valide conferre potest solus et quilibet sacerdos.

Dico 1º *solus*; id ex Tridentino est de fide, et probatur s. Jacobi verbis: *Inducat presbyteros*.

Dico 2º *quilibet sacerdos*, etiam excommunicatus, sus-

pensus, interdictus; ratio est, ait Scavini, quia, quum hoc sacramentum non sit institutum per modum judicii, quemadmodum pœnitentia, sufficit potestas ordinis, nec requiritur potestas jurisdictionis.

12. — Quoad collationem *licitam*.

Q. *Quisnam hoc sacramentum conferre potest* licite?

R. Distingue an adsit vel non adsit casus specialis necessitatis.

1º *Si non adsit* specialis necessitas, hoc sacramentum licite conferre possunt sacerdotes curam animarum habentes, ut episcopi et parochi; item alii sacerdotes, eorum consensum expressum vel rationabiliter præsumptum habentes. Cæteris autem sacerdotibus id absque hoc consensu graviter est illicitum. Imo, ex constitutione *Apostolicæ Sedis* a Pio IX lata (vide *De Censuris*, N° 25, 14º), incurrit excommunicationem Papæ simpliciter reservatam « religiosi præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremæ-unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia. »

2º *Si adsit* specialis necessitas, v. g. si animarum pastores absint, vel illud ministrare recusent aut non valent, tunc illud licite conferre potest quivis sacerdos; nam, ait Bened. XIV, « Cum Ecclesia, urgente mortis periculo, cuilibet sacerdoti potestatem fecerit absolvendi a quibusvis censuris et peccatis, verosimile certe non est quod cuiquam sacerdoti interdixerit ne..... administret extremam-unctionem quæ est perfectio et complementum pœnitentiae, neque ad sui validitatem requirit in ministro potestatem jurisdictionis sicuti sacramentum pœnitentiae. »

Nota. Ut minister licite seu rite hoc sacramentum administret, servare generatim tenetur omnes cærimonias a suo rituali præscriptas. Circa eas autem notentur tria sequentia: 1º est peccatum *grave*, illud ministrare absque ulla ueste sacra; vel omittere omnes preces ante et post

unctiones recitandas; excepto, in utroque casu, si id fiat ex necessitate; 2º est peccatum *veniale*, illud ministrare sine lumine, vel probabilius sine ministro, vel omissis crucibus; excepto, in his tribus casibus, si id fiat ex necessitate; 5º si, ob urgentem necessitatem, incipiatur ab ipsis unctionibus, prætermissæ orationes dicendæ sunt postea, si tamen ægrotus supervivat.

15. — Quoad collationem *obligatoriam*.

Q. *Quinam hoc sacramentum conferre tenentur?*

R. Distingue inter illos qui sunt vel non sunt animarum pastores; de quibus vide *De Sacramentis in genere*, N° 51.

1º *Si non sint* animarum pastores, aliquando teneri possunt hoc sacramentum ministrare, ex charitate, nimirum in casu quo infirmus versetur in necessitate plus minusve gravi, et deficiat animarum pastor cui ex officio id incumbit.

Hinc 1º ministrare tenentur *sub levi*, si proximus versetur in necessitate levi seu *ordinaria*, prout sunt ordinarie graviter infirmi quibus ministranda sunt exeuntium sacramenta; ratio est, quia charitas præcipit, in hoc casu, tam utile subsidium moribundo procurare, etiamsi poenitentiam et viaticum susceperit.

Hinc 2º ministrare tenentur *sub gravi*, si proximus versetur in necessitate *extraordinaria*, i. e. si extrema-unctione graviter indigeat, v. g. si infirmus, brevi vel jamjam moriturus, confiteri omnino non valeat; tunc enim extrema-unctione censetur esse peccatori sacramentum necessitatis ad salutem, ultiote vices supplens sacramenti poenitentiae. Imo, in hoc casu ad id tenentur cum periculo vitæ; modo tamen moraliter constet tum de hac necessitate, tum de successu sacræ unctionis conferendæ, prout N° 53, *De Sacramentis in genere*, dictum est.

2º *Si sint* animarum pastores, extremam-unctionem conferre tenentur, ex justitia, et generatim sub gravi, quo-

ties ea rationabiliter petitur, i. e. 1º in supradicta proximi necessitate ordinaria; 2º a fortiori, in memorata ejus necessitate extraordinaria; et quidem cum periculo vitae, eo saltem modo quo statim dictum est.

CAPUT V.

DE EXTREMÆ-UNCTIONIS SUBJECTO.

Quadruplex occurrit quæstio: 1º quid requiratur in subjecto ad hujus sacramenti receptionem validam, 2º quid ad ejus receptionem licitam et fructuosam, 3º quibusnam sit negandum, 4º quænam sit ejus receptionis obligatio.

14. — q. *Quænam in subjecto conditiones requiruntur ad extremæ-unctionis receptionem validam?*

R. Requiruntur quatuor conditiones sequentes:

1º Ut recipiens sit *baptizatus*; idque ex alibi dictis patet.
2º Ut aliquando *personaliter peccaverit*; quia, secus, non verificarentur verba formæ: *quidquid deliquisti*. Hinc, capaces non sunt pueri ante rationis usum, nec perpetuo amentes.

3º Ut sit *graviter infirmus*; idque ex s. Jacobi verbis et ex Tridentino constat. Requiritur igitur, ut adsit certum vel saltem probabile mortis periculum, quod ex ipsa infirmitate proveniat.

Dico ex *infirmitate*. Itaque hujus sacramenti capaces non sunt illi, in quibus mortis periculum provenit ex alia causa quam ex infirmitate; et sic, ministrandum non est, capite damnatis, nec ante prælium vel navigationem periculosam; secus vero in ipso partu periculo, vel ante quamcumque arduam operationem chirurgicam, cum hujusmodi personæ actu jam laborent morbo intrinseco et periculoso.

4º Juxta sententiam communiorum et probabiliorem,

ut in eodem morbi statu hoc sacramentum non receperit. Unde, hoc sacramentum communiter habetur ut in iterabile in eodem morbi statu. Et proinde, antiqua praxis illud in eodem morbi statu iterandi, locum non habebat nisi forte ad cautelam et sub conditione, in casu quo in priori collatione aliquid sacramenti valori defuisset.

Dico in *eodem statu*: nam valide iterari potest in duobus casibus sequentibus: 1º si infirmus, in periculo morbo jam inunctus, postea perfecte convaluerit, et subinde in novum periculum incidat; 2º in eadem infirmitate *diurna*, in qua infirmus, postquam jam fuerit inunctus, subinde notabiliter convaluit ita ut a mortis periculo ereptus visus fuerit, in casu scilicet quo iterum in idem mortis periculum incidat. Quod etiam valet, probabilius juxta Lig. et Gury, si tantum adsit dubium positivum an morbi status revera fuerit mutatus; tunc enim, ut ait pastorale Brugense, « iterationi favendum suadet antiqua olim licita, illud etiam in eodem morbi statu repetendi consuetudo, novumque levamen et subsidium illius ope percipiendum. »

15. — q. *Quid in subjecto requiritur ad hujus sacramenti receptionem* licitam et fructuosam?

r. Ultra datas conditiones ad receptionem validam, requiruntur sequentia:

1º Ut infirmus non sit e numero eorum quibus negandum est hoc sacramentum, ut dicitur N° sequenti.

2º Si infirmus habeat peccatum mortale, exigitur confessio, si fieri possit; hoc enim sacramentum est pœnitentiae complementum, ideoque haec precedere debet. Dico *si fieri possit*, nam:

3º Si ille infirmus confiteri nequeat, requiritur et sufficientia attritio; nam extrema-unctionio, quæ quidem est sacramentum vivorum, simul est sacramentum mortuorum, sive mortalium cum attritione remittere valeat.

16. — q. *Quibusnam neganda est extrema-unctionis?*

R. Imprimis, dicimus quod, relative ad moribundos, de triplici inquiri possit sacramento dando vel quandoque negando, scilicet de viatico, de pœnitentia seu absolutione, et de extrema-unctione.

1º De *viatico* sermo fuit in tractatu *De Eucharistia*, N^os 53 et 54; ubi docetur, illud non dandum esse duplaci moribundorum classi, scilicet: 1º illis qui Eucharistiam sumere non possunt ob defectum intelligentiae vel ob quamdam indecentiam; 2º illis qui reputantur *indigni*: quales sunt hi peccatores publici qui nuncupantur *publice infames*, v. g. publice et nominatim excommunicati, meretrices, adulteri, concubinarii seu solo matrimonio civili juncti: nimirum his indignis, etiamsi bonam instituerint confessionem, publice ministrari non posse viaticum, ratione scandali in fidelibus ob reverentiam tanto sacramento debitam, nisi publicum scandalum reparaverint; posse tamen dari occulte, si adstantibus nota sit moribundi conversio.

2º De *absolutione* agimus in tractatu *De Pœnitentia*, N^o 52; ubi docetur, illam non dandam esse solis moribundis qui pœnitentiae sacramentum hic et nunc positive recusant; sed eam saltem sub conditione dari posse moribundo, sensibus destituto, quamdiu aliquo saltem modo præsumi potest, in eo adesse attritionem: quam quidem præsumptionem probabiliter adhuc admittere licet in casu, omnium pessimis, quo peccator in impenitentia vel in ipso actu peccati sensibus fuit destitutus, quum et tunc habere valeat lucidum intervallum in quo pœniteat.

Hisce præmissis, jam ad quaestionem respondemus.

3º De *extrema-unctione*. In quæstione non agitur proprie de illis moribundis qui hujus sacramenti non sunt subjectum capax, i. e. in quibus deest una e quatuor conditionibus supra, N^o 14, relatis, cum invalida foret hujusmodi collatio; sed inquiritur de moribundis unctio-

nem recipiendi capacibus, an scilicet eis quandoque sit deneganda.

Regulam generalem ac facilem tradit Bouvier, hoc circiter modo, scilicet 1º quod extrema-unctionio iis deneganda sit moribundis, quibus deneganda est absolutio, ut supra; et 2º quod iis concedi possit vel debeat moribundis, modo sint catholici, quibus impetrari potest vel debet absolutio, pariter ut supra. Ratio facile concipitur ex eo, quod extrema-unctionio complementum sit sacramenti pœnitentiae; imo, in easu quo adsit altritio, certius proderit unctionio quam absolutio, ait Dens cum Pauwels.

17. — q. *An datur obligatio gravis sacram unctionem recipiendi?*

r. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis:

1º Sententia *Affirmat*; et præcipue probatur, 1º ex s. Jacobi verbis: *Inducat presbyteros*, quæ præceptum contineuntur; 2º ex praxi et sollicitudine Ecclesiæ ad sacramentum hoc omnibus ministrandum; item ex sensu fidelium; 5º ex lege charitatis, quæ præcipit ut medium adeo efficax contra dæmonem adhibeatur. Hanc Scavini dicit probabiliorem.

2º Sententia *Negat*, saltem *per se*; quia neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex conciliis constat de præcepto hoc sacramentum suscipiendi; verba autem s. Jacobi tantum de consilio habenda sunt. Dico *per se*: nam excipiunt per accidens, 1º si quis, versans in mortali, non possit pœnitentiae sacramentorum recipere; 2º si quis, sacram unctionem recusando, præberet grave scandalum. Insuper graviter peccaret, si eam recipere recuset ex contemptu; non tamen si tantum ex negligentia vel quadam repugnantia. Hanc Scavini dicit communiores, cui adhaeret s. Thomas.

Dicit autem Lig., sententiam *Affirmantem* practice esse suadendam, præsertim ratione charitatis quam quisque sibi habere debet.

CAPUT VI.

APPENDIX DE BENEDICTIONE APOSTOLICA.

18. — q. *Quid est benedictio apostolica seu generalis absolutio moribundis impertienda?*

r. Est benedictio a Papa vel ab ejus delegato, sub praescripta verborum forma, moribundo impertienda, et annexam habens indulgentiam plenariam.

q. *Quinam hanc dare possunt?*

r. Hanc dare possunt summus Pontifex, ejusque delegati et subdelegati.

Hac potestate *delegata* nunc gaudent omnes episcopi; quae quidem, vi constitutionis *Pia Mater* Benedicti XIV, non expirat morte summi Pontificis. Hanc potestatem *subdelegatam* concedere solent episcopi omnibus sacerdotibus in sacro ministerio degentibus; haecque facultas, juxta dictam constitutionem, non expirat morte aut discessu episcopi, sed perseverat usque ad adventum novi praelati, qui illam confirmare vel revocare potest; confirmari censetur, eo ipso quod eam episcopus non revocet.

q. *Quibusnam danda, vel neganda, vel iteranda est benedictio apostolica?*

r. Regula est, quod sit danda vel neganda vel iteranda iisdem infirmis, quibus danda vel neganda vel iteranda est extrema-unctionio; cum hoc tamen discrimine, quoad *iterationem*, quod, etsi hujus indulgentiae fructus in eodem morbo non nisi semel percipi valeant, nihilominus in eodem morbo haec benedictio iterari seu denuo conferri possit in duobus casibus, in quibus tamen non licet iterare extrema-unctionem, scilicet 1º si in eodem morbo jam quidem fuerit concessa, sed, ob defectum status gratiae vel aliter, infructuose fuerit concessa; 2º in

morbo diurno in quo rite quidem fuit concessa, iterari potest eo momento quo magis urget vitæ periculum; idque ad cautelam: nam, cum forsitan qualemcumque mortis periculum ad hanc benedictionem dandam non sufficiat, prior concessio forte invalide seu infructuose facta fuit.

Q. *Quænam conditiones in recipiente requiruntur?*

R. Si recipiens sit mentis compos, in eo requiruntur tria sequentia: 1º ut bonam confessionem et communionem instituerit, vel saltem, iis ob impossibilitatem deficientibus, conteratur; 2º ut ore, vel si fieri non possit, saltem corde invocet devote nomen *Jesu*; 3º ut mortem tamquam peccati stipendum de manu Domini patienter et alaci animo suscipiat.

Dico si sit *mentis compos*; attamen, delirantibus vel amentibus, juxta dictam constitutionem, nihilominus danda est hæc benedictio.

Vide in pastorali Brugen. preces benedictioni apostolice preparatorias, et hujus benedictionis formulam, quæ incipit his verbis: *Dominus noster Jesus Christus.....* Addit autem idem pastorale quod, si infirmus sit adeo morti proximus ut tempus non suppetat preces preparatorias recitari, sacerdos possit ei statim benedictionem elargiri, incipiendo a dicta formula.

CAPUT VII.

APPENDIX DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

19. — Q. *Quid est, generatim, sepultura ecclesiastica?*

R. Sub nomine *sepulturæ ecclesiasticæ*, generatim, tria comprehenduntur: 1º sublevatio corporis domi ejusque conductio solemnis ad ecclesiam, per ecclesiae ministros facta; 2º officia cæteræque solemnitates in ecclesia et in cœmeterio habita; 3º tumulatio in terra benedicta.

Dico *generatim*: nam, ad sepulturam ecclesiasticam, necessario seu essentialiter non requiritur ut clerus funus per seipsum conducat, sive a defuncti domicilio ad ecclesiam, sive ab ecclesia ad cœmeterium, ut v. g. si illud vel hoc sit ab ecclesia valde dissitum; in hoc autem casu, clerus corpus defuncti ad ecclesiæ introitum suscipit, et cunctas cæremonias in cœmeterio peragendas, in ipsa ecclesia perficit.

Duplex jam quæstio solvenda est: 1º in quanam parochia seu ecclesia facienda sit sepultura ecclesiastica fidelium; 2º quibusnam neganda sit hæc sepultura.

20. — 1ª *Quæstio, quoad parochiam.*

Q. *Cuinam parochiæ, seu potius cuinam parocho competit jus sepeliendi corpora fidelium?*

R. Competit parocho illius parochiæ in qua defunctus habebat domicilium aut quasi-domicilium aut habitacionem quæ quasi-domicilio fere aequivaleat; nisi tamen hic alibi sibi sepulturam legitime elegerit, vel legitimum sepulchrum majorum seu familie (*caveau de famille*) habeat, vel extra parochiam suam casualiter moriens, ad illam commode et absque periculo deportari non valeat.

Ex his intelligitur quod, juxta jus canonicum, quadruplex distingui possit sepultura, scilicet *parochialis, electa, avita* seu in sepulchro majorum, *casualis*. Sepultura parochialis est regula; cæteræ vero sunt exceptiones. Itaque:

1º *Parochialis* sepultura est illa quæ locum habet *regulariter*, scilicet in parochia ubi defunctus habebat domicilium; quia hæc ecclesia ipsi est parochialis stricte et proprie dicta. Quod si obierit in parochia ubi habebat quasi-domicilium vel habitationem huic aequivalentem, sepultura ibidem facta, etiam, sed lato sensu, parochialis nuncupari potest. Itaque generatim *parochialis* vocatur ecclesia, in ordine ad sepulturam, illa in qua defunctus, si de ineundo matrimonio ageretur, foret jungendus.

Hinc 1º qui decedit in loco domicilii, ibi est sepeliendus. 2º Qui duo simul habet domicilia, ordinarie in illo sepelitur in quo obiit. 3º Qui moritur in loco quasi-domicilii, ibi est sepeliendus, etiamsi alibi habeat domicilium. 4º Quando quis obit in loco ubi habebat habitationem quasi-domicilio fere æquivalentem, i. e. in loco ubi per aliquod tempus manere intendit, causa sanitatis, recreationis, rusticandi, vel simili de causa, dicendum videtur quod, inspectis tum mente sacrorum canonum, tum consuetudine generaliter vigente, ille locus seu parochia per ejusmodi habitationem evadat defuncto parochia sufficienter propria in ordine ad ibi recipiendam sepulturam; etsi tamen probabilius sit quod parochia in qua quis talem instituit habitationem, inde non fiat ei sufficienter propria in ordine ad ibidem contrahendum matrimonium, ut in tract. *De Matrimonio*, N° 119, dicitur. 5º Quum vagi subsint parocho parochiæ in qua hic et nunc sunt et moriuntur, ibi sunt terræ mandandi. Quod spectat viatores, peregrinos aut advenas, extra limites propriæ parochiæ casu decedentes, dicitur infra, in 4º.

Dictum est *regulariter*: nam a regula generali seu a sepultura parochiali recedere licet in triplici casu sequenti.

2º *Electa* sepultura. Omnis utriusque sexus fidelis, ait De Brabandere, sibi sepulturam eligere potest in locis religiosis jure tumuli gaudentibus, nisi specialiter a jure prohibeatur.

Atqui, præter eos qui mentis non sunt compotes, a jure eligere prohibentur, 1º impuberes, ob inopiam consilii; pro iis tamen, dum vivunt, et consuetudo regionis id habeat, eligere potest pater, et patre mortuo mater; 2º religiosi professi stricte dicti, utpote qui propriæ voluntati renuntiarunt; 3º sacra sepultura indigni, ut patet.

5º *Avita* sepultura. *Sepulchrum majorum* est illud quod ad usum privatum debite obtinuerunt alicujus ascendentates paterni vel materni. Sepulchra illa vocantur alia *fa-*

miliaria, quæ transeunt ad omnes descendentes familie illius, qui sepulchrum acquisivit; alia vero *hæreditaria*, quæ transeunt ad hæredes etiam extraneos, et ad successores illius, qui sibi et hæredibus suis sepulchrum acquisivit.

Patet quod in sepulchro majorum recondi non possint illi, qui sunt sepultura ecclesiastica indigni: qui enim se sepultura indignum reddidit, seipsum ea privat.

4º *Casualis* sepultura. De jure censentur *casu*, imo *casu fortuito* mori, omnes illi qui extra limites suæ parochiae, de qua supra in 1º, decedunt, v. g. viatores, peregrini, advenæ.

Illi (si non elegerint sepulturam nec habeant sepulchrum majorum), etiamsi in hac aliena parochia exeuntium receperissent sacramenta, ad suam ecclesiam parochiale, etiam inconsulto pastore hoc extraneo, deportandi sunt ibidem tumulandi, modo id *commode* et *absque periculo* fieri queat. Secus, in aliena hac parochia sepius intur.

Causa cur id *commode* et *absque periculo* fieri nequeat, esse potest epidemia vel pestis, timor ne cadaver ex retardatione putrescat aëremque inficiat, impensæ quæ vires hæredum excedant, nimia locorum distantia juxta prudentis judicis arbitrium commensuranda.

In præsenti autem casu, quo scilicet quis in aliena parochia fortuito moriatur, ad hæredes pertinet jus cadaver transferendi ad ecclesiam parochiale, ibique curandi celebrari exequias, nullo soluto jure redemptionis, de quo N° seq., in *Nota*.

Nota 1º. Quæ de parochiali et casuali sepultura tradimus, juris sunt communis. Attamen, in casuum specie, quædam alicubi existere possunt modificationes, legitime introductæ tum per consuetudines locorum, tum per statuta diocesana, tum per conventiones inter parochos.

Nota 2º. Egimus hucusque de sola fidelium sepultura.

Sed illæ juris dispositiones non sunt absque quodam discrimine de clericis atque de religiosis intelligendæ: jus enim canonicum, pro peculiari honore cuius digni sunt, varia specialia statuit quoad sepulturam tum Papæ, tum cardinalium, tum episcoporum, etc.: hi enim ut plurimum sepeliuntur, Papa in basilica Vaticana, cardinales in ecclesia sui tituli, episcopi in ecclesia sua cathedrali. Personæ vero religiosæ solemniter professæ, item novitii et familiares seu commensales continui, in ecclesia vel cœmeterio sui monasterii, etiam absque ullo parochi interventu, sunt sepeliendi; et si casu extra monasterium moriantur hujusmodi religiosi, eo sunt deportandi, modo id commode et absque periculo fieri queat, quemadmodum supra de fidelibus dictum est.

Non confundendum est jus *tumulandi* seu *terræ mandandi*, de quo hucusque sermo fuit, cum jure *exequias celebrandi*, de quo hic quædam addimus.

21. — De jure *exequias celebrandi*.

q. Quos in fines exequiarum solemnitates ab Ecclesia adhibentur?

r. Adhibentur 1º in defunctorum honorem et refrigerium; 2º in vivorum solatium et ædificationem; 3º per accidens, in fabricæ et ministrorum sustentationem, solutione expensarum quæ eis per modum eleemosynæ tribuuntur.

Dictum est supra, existere quosdam casus in quibus parochianus extra ecclesiam parochiale in aliena legitime tumulatur. Sed, in his casibus, quæstio est, in quamnam ecclesia, parochiali scilicet vel alia ubi sepelitur, celebrandæ sint exequiæ. Itaque,

q. Cuinam parocho tunc competit celebrare exequias?

r. Regula est, exequias celebrari in ecclesia tumulante; cui consequenter competunt omnia emolumenta funeraria, dempta solum portione canonica, de qua infra.

Ab hac tamen regula receditur in duplici casu sequenti:

1º Si inter utramque ecclesiam legitime inita fuerit conventio ut super omnes hujusmodi defunctos fiant exequiae in ecclesia respective propria; ita tamen ut inde non graventur hæredes, qui nunquam duplicem taxam funeralem solvere tenentur.

2º Si defunctus jusserrit aliter fieri: scilicet, non solum si jusserrit exequias celebrari in ultraque ecclesia, in quo casu omnis evanescit difficultas; sed etiam si voluerit eas celebrari in sola defuncti ecclesia parochiali: ultima enim defectorum voluntas, in quantum potest, servari debet; hoc tamen jus, quod competit defuncto, ejus hæredibus est denegandum.

Nota. In dictis supra casibus ubi, ob sepulturam in aliena ecclesia, ibidem celebrantur exequiae, iis non celebratis in ecclesia parochiali, et ubi consequenter parochus proprius cum sua ecclesia privatur emolumentis quæ ex tumulatione et exequiis proveniunt, jus commune, ad leniendum hujusmodi damnum, decrevit, quamdam emolumentorum partem competere spoliato parocho vel ejus ecclesiæ; hæcque pars vocatur *portio canonica, redemptio*, vel etiam *quarta funeralis*, sic dicta quia, nisi quoad hujus portionis quantitatatem ex locorum consuetudine contrarium constet, esse debet emolumentorum pars *quarta*.

Redemptio itaque debetur quoties quis extra ecclesiam suam stricte parochiale seu ecclesiam sui *domicilii* sepultura aut exequiis donatur, i. e. quoties illa fiunt sive in ecclesia ubi habet sepulturam electam vel avitam, sive ubi habet quasi-domicilium vel habitationem huic æquivalentem, sive ubi casu fortuito obiit ad ecclesiam suam parochiale non transferendus.

Hæc portio regulariter solvenda est ab ecclesia tumulante, in qua exequiae celebratae sunt, seu ab istius ecclesiæ parocho qui omnia emolumenta percepit; non autem ab

hæredibus defuncti, cum lex ecclesiastica eis duplex onus non imposuerit. Hæcque portio solvenda est tum parocho domicilii, tum hujus parochi fabricæ in diœcesibus ubi talis praxis in usu est. Si autem duo haberet domicilia, portio inter duos illos parochos foret dividenda; dum e contra, ubi sepultura aut exequiæ peraguntur in uno domicilio, alterius domicilii parocho nihil debetur.

Hæc sunt juris communis. Sed particulares locorum usus et praxis sedulo attendi debent, ait De Brabandere, quum hujus quartæ canonice disciplina in aliquibus locis penitus extincta sit, vigeat in aliis, in aliis vero vestigium tantum aliquod remaneat. In dioecesi autem Brugensi, antequam transferatur corpus in aliena parochia tumulandum, regulariter prius celebrantur exequiæ in ecclesia propria. Et si id non fiat, observatur decretum episcopi de Beaumont, a gubernio approbatum, anni 1805, juxta quod clero proprio et fabricæ ab hæredibus solvendum est jus redemptionis in casu quo, vi testamenti vel vi dispositionis particularis ab hæredibus factæ, exequiæ in ecclesia aliena celebrentur.

22. — Quoad *tempus* et *locum* sepulturæ, varia statuantur a codice nostro civili et a legibus civilibus, inter quæ notentur quatuor sequentia :

1º Prohibetur ne sepultura fiat absque licentia magistratus civilis, scripto data; et ne fiat ante 24 horas post obitum, exceptis casibus extraordinariis a magistratu civili determinandis, v. g. ob pestem, putredinem, etc. Qui vero absque hac licentia defunctum sepelirent vel sepeliri juberent, ad muletam et ad carcerem damnari possent.

2º Prohibetur generatim ne corpora sepeliantur in ecclesiis aut in aliis ædificiis clausis quæ ad coetum hominum destinantur; exceptis tamen, ex consuetudine, quibusdam personis dignioribus, episcopis scilicet et mem-

bris familiæ regiæ, pro quibus, ex decreto prairiali, necessaria est licentia gubernii. Non tamen prohibetur sepultura in capella quam quis habet in ipso cœmterio, vel in sacello domestico quod a civitate aut pago saltem 25 metris distat.

3º In cœmterio, ponenda sunt corpora secundum ordinem inceptum, sine ulla distinctione; nisi aliqua concessio obtineatur.

4º In cœmterio sepulturæ catholicorum destinato, reservari debet aliqua pars quæ inserviat sepulturæ eorum quibus neganda est sepultura ecclesiastica; imo aliquando reservari debent plures partes distinctæ, juxta pluritatem confessionum religiosarum ibidem vigentium. Illa autem pars vel partes reservatae, jure ecclesiastico, non sunt benedicendæ.

Insuper 5º, jure ecclesiastico, benedicta esse debet terra in qua sepeluntur corpora fidelium; hæcque benedictio per episcopum aut ejus delegatum facienda est.

Duplex distingui potest hujusmodi benedictio, scilicet generalis et particularis. *Generalis* est illa qua benedicitur totum cœmterium, sepulturæ fidelium destinatum; hæcque fere ubique locorum viget. Sed, cum hisce temporibus non raro accidat ut ii, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est, sacrilege sepellantur ministerio laicorum in loco fidibus solis consecrato, ideo in quibusdam locis, præsertim Galliæ, ad præcavendas hujusmodi profanationes, sapienter ab episcopo statutum est ut ibi fiat benedictio non generalis, sed *particularis*, i. e. qua singulus locus in quo deponendum est corpus alijus fidelis, immediate ante depositionem, sigillatim benedicitur a sacerdote qui sepulturam instituit, prout fit in locis infidelium.

25. — 2^a *Quæstio*, quoad sepulturæ negationem.

Q. Quid est sepulturæ ecclesiasticæ negatio?

R. Est privatio loci benedicti atque ritus sacri inhumandis certis cadaveribus inficta. Ecclesia autem nunquam prohibuit corpora inhumari, sed solum vetuit ne certa cadavera sepeliantur in terra benedicta ac ritu sacro, tum propter inhabilitatem, nempe non baptizatorum, tum in pœnam spiritualem, nimirum christianorum qui graviora quædam crimina commiserunt; qua-propter, hujus pœnæ applicatio soli Ecclesiæ competit, nec ullo modo a potestate civili pendet.

Leges canonicæ determinant varios casus in quibus neganda est sepultura ecclesiastica; hasque dispositiones, ad universalem Ecclesiæ disciplinam spectantes, theologi et præsertim canonistæ interpretantur. Attamen, ad singulum episcopum pertinet hos casus suæ diecesi applicare, et determinare num, inspectis locorum et temporis circumstantiis, expediat pro certis casibus aliquid de rigore canonum remittere vel non.

En jam desuper dispositiones quæ, conformiter ad jus canonicum, ubique quoad maximam partem in usu sunt, et speciatim in dioecesi Brugensi usu et pastorali præcipiuntur.

Q. Quibusnam generatim negatur hæc sepultura?

R. *Regula generalis*, ait Ill. D. Malou, episc. Brug., in epistola circulari anno 1860 ad ecclesiarum fabricas directa, est sequens: Ecclesia sepulturam ecclesiasticam concedit omnibus fidelibus qui *in sua communione* obierunt, et eam denegat omnibus personis quæ *extra suam communionem* e vita cesserunt.

Dico *extra suam communionem*. Duplicem autem distinguere licet classem hominum qui extra Ecclesiæ communionem moriuntur: suntque illi de quibus in sequenti responso dicitur.

24. — q. *Quibusnam igitur in specie negatur hæc sepultura?*

r. *In specie neganda est:*

1º Illis qui ita *foris sunt* ut ad Ecclesiam nunquam pertinuerint, i. e. infidelibus, et non baptizatis infantibus catholicorum. De his autem ultimis addit pastorale nostrum: « Si mater prægnans mortua fuerit, caute extrahatur foetus, et baptizetur si vivat; si autem certo mortuus fuerit, neque baptizari debet, neque in loco sacro sepeliri, neque potest in matris uterum reponi ut cum ea sepeliatur. »

2º Illis baptizatis qui communioni Ecclesiae *actu renuntiarunt*: tales sunt baptizati hæretici, schismatici, apostatae atque increduli nostri moderni, vel notorie excommunicati aut interdicti.

3º Illis fidelibus rebellibus qui, sive in vita sive in mortis articulo, Ecclesiae communioni *renuntiassè censemuntur*.

Dico 1º sive *in vita*: scilicet illis peccatoribus qui sunt *publice infames* v. g. manifestis usurariis, meretricibus, etc., qui sine poenitentia obierunt; item iis de quibus publice constat quod confessioni et communioni paschali non satisfecerint, et absque ullo signo contritionis obeunt (vide tamen paulo infra).

Dico 2º sive *in mortis articulo*: scilicet illis qui, sana mente, exeuntium sacramenta recipere positive recusarunt, sive in *impænitentia formalí* mortui sunt; item iis qui sana mente (non vero si ex insania) ex intentione seipso occiderunt, nisi ante mortem signa poenitentiæ dederint; item iis qui in duello occiduntur, eliamsi, quod huic casui proprium est, ait pastorale Brugense, ante mortem suam signa poenitentiæ dederint; haec vero restrictio fit in odium duelli. Excipe tamen pro poenitente duellante, si inter inflictum vulnus et mortem unus alterve dies intercesserit.

Subjungit pastorale nostrum: « Verum in his et aliis

quibuslibet casibus ad hanc materiam pertinentibus, ubi vel minimum quidem dubium occurrerit, nihil agere præsumat parochus, nisi consulto prius ordinario. Quin imo, semper id fiat, si per tempus licet, dum ex negatione sepulturæ ecclesiasticae difficultates prævidentur orituræ ». Et Ill. D. Malou, in dicta epistola, sic concludit: « Dans les cas douteux, les curés, avant d'appliquer la peine, sont obligés de recourir à l'évêque. De fait tous les cas sont considérés comme douteux; la sépulture ecclésiastique n'est plus guère refusée qu'après information et jugement du premier pasteur. On peut dire que le refus de sepulture est de fait réservé à l'évêque.

L'évêque, dans cette matière délicate, agit autant en père qu'en juge. Lorsqu'il y a doute, il prononce presque toujours en faveur du défunt. Ainsi, un chrétien qui a négligé le devoir de la communion pascale, et qui, d'après les anciens canons, devrait être traité comme positivement excommunié, est presque toujours admis à la sépulture ecclésiastique, si, avant de mourir,... il a posé des actes dont naît la présomption fondée de son retour et de sa bonne volonté.

Le juge ecclésiastique étend l'indulgence aussi loin qu'il le peut sans violer ses devoirs; mais il y a une limite à laquelle il doit s'arrêter... *Exiger* la sépulture ecclésiastique, c'est fouler aux pieds les lois de l'Eglise, et faire violence à la conscience des pasteurs. Cette violence est d'autant plus odieuse aujourd'hui, qu'elle blesse tout à la fois les droits civils et religieux des catholiques, et qu'elle conduit à la confusion des pouvoirs, si antipathique aux institutions qui nous régissent, lorsque des magistrats osent s'y associer. »

Nota 1°. Si quis illorum quibus neganda est sepultura ecclesiastica, in cœmeterio benedicto sepieliatur, cœmeterium vel polluitur vel violatur. Scilicet *polluitur* per sepulturam tum infidelis seu non baptizati, tum excom-

municati publice denuntiati; tuncque nulla in eo deinceps fieri potest sepultura ecclesiastica, donec de consensu episcopi reconciliatum fuerit, corpore prius exhumato. In aliis casibus, seu per sepulturam aliarum personarum prohibitarum, tantum *violatur coemeterium*, quod proin reconciliari non egit.

Nota 2º. Corpus, sepulturæ traditum, exhumari non potest nisi adsit justa causa, et non nisi de licentia episcopi et officialis civilis; imo graves pœnæ a codice pœnali, art. 560, statuuntur in exhumatores cadaverum et violatores sepulchrorum.

TRACTATUS

DE ORDINE.

Quinque priora sacramenta ordinantur ad individua Ecclesiae membra, nimirum ad hominis spiritualis formationem, instaurationem et consummationem. Duo ultima bonum publicum magis spectant quam privatum; nam ordo ad spiritualem, et matrimonium ad carnalem multiplicationem inserviunt.

1. — *Notiones quædam præviae.*

Sicuti Eucharistia est sacramentum dignissimum in se, ita ordo est dignissimum in effectu, cum evehat hominem ad dignitatem ineffabilem et dignitati ipsius Christi simillimam. Ordo est totius Ecclesiae velut columna: nam ex hoc gignitur admirabilis illa *hierarchia*, qua totum corpus Ecclesiae sustentatur et regitur.

q. *An certum est in Ecclesia existere hierarchiam?*

r. In Ecclesia catholica existere *hierarchiam* divina ordinatione institutam, ex Tridentino de fide est; idque probatur Scriptura, ubi Paulus id demonstrat ex sumpta comparatione corporis humani: *Et corpus non est unum membrum, sed multa;* dein: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas... Numquid omnes sunt apostoli?...*

Q. *Quotuplex distinguitur hierarchia ecclesiastica?*

R. *Duplex distinguitur, scilicet hierarchia ordinis et hierarchia jurisdictionis.*

Hierarchia *ordinis*, ait Scavini, respicit sacramentorum administrationem, et merito dicitur potestas valide confiendi sacramenta; hierarchia vero *jurisdictionis* respicit spirituale fidelium regimen, et ideo dicitur potestas regendi subditos. Utramque sic describit s. Thomas: *Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis: sacramentalis quidem potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur...; potestas autem jurisdictionalis est quæ confertur ex simplici injunctione hominis.*

Q. *Quinam varii in utraque hierarchia inveniuntur gradus?*

R. 1º In hierarchia *ordinis*, tot sunt gradus quot sunt ordines diversi per ordinationem collati, ut infra dicetur.

2º In hierarchia *jurisdictionis*, gradus seu dignitates distinguuntur sequentes: 1º papatus, 2º cardinalatus, 3º patriarchatus, 4º primatia, 5º archiepiscopatus, 6º episcopatus, 7º prælature inferiores, 8º omnes dignitates inferiores episcopum adjuvantes, quali gaudent vicarii capitulares, vicarii generales, capitula canonicorum, vicarii foranei seu decani, parochi, cæteri denique sacerdotes.

Q. *Quid est papatus?*

R. *Papatus* nihil aliud est quam episcopatus Romanus, quatenus jurisdictionem in universos episcopos et fideles annexam habet.

Q. *Quid est cardinalatus?*

R. *Cardinalatus* constituit ecclesiæ Romanæ clerum atque senatum augustissimum, cui competit Papam eligere, eumque in rebus arduis consilio adjuvare.

Dignitas cardinalitia, ait De Brabandere, initio inferior erat episcopal; sed hodie omnem aliam ecclesiasticam dignitatem, una dempta pontificia, transcendent. Cardina-

les itaque antecedunt patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos, propter jurisdictionem quam exercent, et personam summi Pontificis quam representant; et ideo merito eis purpura tamquam regibus datur. Cardinalatus tamen non necessario episcopalem dignitatem supponit, cum, ultra cardinales episcopos, dentur cardinales presbyteri et cardinales diaconi.

Q. *Quid est patriarchatus?*

R. *Patriarchatus* est episcopatus cui subsunt reliqui, etiam primates, totius regni vel imperii.

Q. *Quid est primatia?*

R. *Primatia* olim erat, juxta sententiam probabiliorem, episcopatus patriarchali jurisdictione inferior et archiepiscopali superior. Hodie vero primatibus solum honoris nomen sine ulla potestate relictum est.

Q. *Quid est archiepiscopatus?*

R. *Archiepiscopatus* seu *metropolitanatus* est episcopatus qui subest primatiæ vel patriarchati, et præest aliquis provinciæ seu regionis episcopis, qui ejus *suffraganei* vocantur.

Q. *Quid est episcopatus?*

R. *Episcopatus* est summum sacerdotium seu plenitudo sacerdotii. Episcopi hodie in tres classes dividuntur, scilicet :

1º Alii sunt episcopi *diœcesani*, seu illi qui propriam diœcesim habent; sunt prælati qui, charactere episcopali insigniti, certo alicujus provinciæ districtui seu *diœcesi* præsunt quoad curam animarum et regimen ecclesiasticum.

2º Alii sunt episcopi *titulares*, seu illi qui propriam diœcesim non habent; sunt prælati qui quidem characterem episcopalem eique annexam potestatem in consecratione receperunt, sed, defectu propriæ diœceseos, hujus potestatis usu et jurisdictione privantur. Dicuntur etiam

episcopi *in partibus infidelium*, quia ait, De Brabandere, exornantur titulo alicujus earum ecclesiarum quæ sub jugo infidelium gemunt. Hoc autem fit, ne memoria antiquæ dignitatis earumdem ecclesiarum penitus oblitteretur.

5º Alii sunt episcopi *coadjutores* aliorum episcoporum, constituti vel sine futura successione, hique vocantur *coadjutores temporales*, vel cum jure successionis, hique nuncupantur *coadjutores perpetui seu hereditarii*.

Q. *Quid sunt prælaturæ inferiores?*

R. *Prælaturæ inferiores* velut medium locum tenent inter episcopos et presbyteros. Prælati inferiores sunt antistites qui, expertes ordinis episcopalis, in sibi subjectas ecclesias atque personas quasi-episcopalem jurisdictionem exercent, licet nulla ordinis potestate gaudeant; tales sunt v. g. abbates ordinum religiosorum relative ad suos. Triplex autem distinguitur prælatorum inferiorum species, quas vide apud De Brabandere, in ejus tractatu *De Jure Canonico*.

Nota ex Scavini. Licet ipsa catholica fides doceat, non nullos hierarchiæ gradus fuisse institutos *jure divino*, ut ex Tridentino liquet, non possumus tamen dubitare quin Ecclesia, accepta a Christo potestate, pro magis apta et temporum circumstantiis magis accommodata divini ministerii distributione, potuerit gradus alios inferiores, sicut in hierarchia ordinis, ita etiam in hierarchia jurisdictionis inducere, inductos autem extinguere vel alios iisdem substituere, sicuti revera pedetentim, pro re nata, fecisse nobis tradunt eruditii.

Jam tractandum nobis est de hierarchia *ordinis*. Quintuplici capite dicimus 1º de natura et gradibus ordinis in genere, 2º de singuli ordinis proprietatibus, materia et forma, 3º de ordinis ministro, 4º de ordinis effectibus, 5º de ordinis subjecto.

CAPUT I.

DE NATURA ET GRADIBUS ORDINIS IN GENERE.

2. — *Prænota.*

1º *Ordo*, sensu *lato* sumptus, significat relationem seu aptam dispositionem inter plura.

2º *Ordo, hominibus applicatus*, seu respectu personarum alicujus communitatis, designat certam classem personarum in aliquo gradu constitutarum. Sic, dicitur ordo nobilis, ordo plebeius, ordo religiosus, ordo clericalis seu *clerus*, qui hoc sensu complectitur modo dictam duplificem hierarchiam jurisdictionis et ordinis.

3º *Ordo*, sensu *strictiori* et *ecclesiastico* sumptus, i. e. relative ad consecrationem vel ordinationem ab episcopo collatam, designat hierarchiam *ordinis*, quæ complectitur varios gradus, scilicet episcoporum, presbyterorum, diaconorum, etc. Sed sensu *strictissimo*, sumitur pro ipso actu quo confertur aliquis gradus hierarchiæ ordinis, i. e. pro ipsa ordinum collatione ab episcopo facta; sive potius *ordinatio* quam *ordo* vocatur, quia, ab episcopo collatus, ordo est proprie effectus ex ordinatione resultans.

Q. *Quomodo igitur definitur ordo?*

R. Hoc ultimo sensu, *ordo* seu potius *ordinatio* est ritus sacer quo traditur potestas quasdam Ecclesiæ functiones obeundi. Dicitur *ritus sacer*, non vero dicitur *sacramentum*, ut definitio convenire possit omnibus ordinationis gradibus, etiam subdiaconatui et ordinibus minoribus, qui, cum, juxta infra dicenda, probabilius non sint sacramenta, semper saltem sunt ritus sacri.

Ordo autem, prout est *sacramentum*, i. e. pro iis ordinationis gradibus in quibus adest ratio sacramenti, definitur: Sacramentum novæ legis, quo spiritualis potestas confertur et gratia ad ecclesiastica munia rite obeunda.

5. — q. *An certa est sacramenti ordinis existentia?*

Prænota. Existentiā sacramenti ordinis negant lutherani, calvinistæ, aliaque sectæ ex iis ortæ; solam populi electionem et deputationem necessariam esse volunt ad ministros verbi divini rite constituendos. Verum,

r. Contra eos de fide est, existere in Ecclesia proprie dictum ordinis sacramentum; ut patet ex Florentino, et Tridentino dicente: « Si quis dixerit ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie dictum sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quodam humanum,.... aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, anathema sit. »

Probatur, ex eo quod in ordinatione reperiuntur omnia ad rationem sacramenti requisita, scilicet: 1º *signum sensibile*, cum signo exteriori conferatur; 2º *institutio divina*, cum Christus apostolos ordinis ministros instituerit, eisque potestatem dederit consecrandi, remittendi peccata, sacra mysteria dispensandi, regendi Ecclesiam, et alios ministros instituendi; 3º *collatio gratiæ*, cum Apostolus, in I et II ad Tim., ei dicat: *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri. — Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

Licet ex his constet sacramentum ordinis existere in Ecclesia, inde tamen non sequitur singulos ordinationis ritus, seu singulos ordinis gradus habere rationem sacramenti.

4. — *Quoad ordinis numerum seu gradus, sint seqq.*

q. *Quam certum est existere ordines seu gradus plures, et existere ordines majores et minores?*

r. 1º De fide est, ex Tridentino, *plures* existere in Ecclesia ordines seu gradus, cum definiat: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina

ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. »

2º Etiam de fide est, existere ordines *majores* et ordines *minores*, cum Tridentinum definiat: « Si quis dixerit, præter sacerdotium, non esse alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit. »

Q. *Quare ordines majores et minores ita nuncupantur?*

R. 1º Ordines *majores* seu *sacri* sic vocantur, quia iis initiati propinquiores in corpus Christi habent potestatem, et proprius sacrificio cooperantur; quia tangunt vasa sacra; et quia ad majorem sanctificationem, ad continentiam et horas sacras adstringuntur.

2º Ordines *minores* ita vocantur, ratione habita ad ordines majores. Dicuntur quoque *non sacri*, quia non sunt sacri eadem ratione qua majores; alioquin et ipsi magnopere sacri seu sancti sunt; quin imo, quæstio movetur utrum sacramenti rationem non participant, ut infra videbitur.

Q. *Quosnam ordines agnoscit ecclesia græca, ecclesia latina?*

R. 1º Ecclesia græca, a sæculo IX, quatuor tantum ordines agnoscit: duos majores, presbyteratum et diaconatum; et duos minores, subdiaconatum et lectoratum.

2º Ecclesia autem latina, a remotissima antiquitate, ut constat ex epistola s. Cornelii Papæ, anno 252, saltem septem ordines seu classes agnoscit, scilicet quatuor minores, qui sunt ostiarius, lectoratus, exorcistatus, et acolythus; et tres majores, qui sunt subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus; quibus, juxta sententiam communiorum et probabiliorem, addendus est 8º episcopatus. Nec obstat quod Tridentinum, septem ordines numerans et nominans, sileat de episcopatu; nam *sacerdotium*, ait Bouvier, est genus, sub quo presbyteratus et episcopatus sunt velut species, ut modo infra dicetur.

Nota. *Tonsura* non est ordo, nec ullam rationem sacramenti habet; sed est cæremonia ab Ecclesia instituta, qua laicus, baptizatus et confirmatus, sacro rito in clerum adscribitur, priusquam ad ordines admittatur. Eam exhibent auctores ut antiquissimam, imo communius ut ab apostolis descendenter, ait Bouvier ex Martene.

5. — q. *Quinam ex his ordinibus habent rationem sacramenti?*

r. 1º Quoad *ordines minores*, et *subdiaconatum*, qui per multa sæcula inter minores ordines reputatus fuit, disputatur an sint sacramenta et characterem indelebilem imprimant. Tota difficultas, ait Bouvier ex Bened. XIV, consistit in determinando utrum illi ordines fuerint instituti a Christo, an vero ab Ecclesia: si prius, vera possunt esse sacramenta; si posterius, sacramenti rationem non habent.

Affirmant cum s. Thoma multi, præsertim scholastici veteres, et gravissimi scholastici recentiores: quia semper et ubique, saltem in ecclesia latina, hi ordines extiterunt, nec reperitur eos a conciliis fuisse institutos; unde concludunt, eos ab apostolis fuisse traditos et esse sacramenta.

Negant, cum Petro Lombardo et nonnullis veteribus, plerique recentiores, his præsertim nisi rationibus: 1º non constat hos ordines, licet antiquissimos, ab apostolis descendere; 2º etsi ab apostolis descenderent, non ideo certum esset eos a Christo fuisse institutos; 3º etiamsi concederetur eos a Christo fuisse institutos, non adhuc constaret illos rationem sacramenti habere, quia velut cæremoniæ, sicut lotio pedum, institui potuissent; etenim, in ritu eos conferendi, nihil clare ostendit gratiæ productionem: manus non imponuntur, Spiritus sanctus non promittitur nec annuntiatur.

Ex hac controversia practice tamen concludit Bouvier,

quod ordinandus qui cum mortali ad hos ordines accedit, peccet mortaliter, ob periculum forte sacramentum vivorum indigne recipiendi.

2º Quoad reliquos ordines majores, sententia Affirmativa 1º est communis et theologice certa de diaconatu; 2º est fide certa de presbyteratu; 3º est nunc communis et omnino tenenda, ait Schouuppe, de episcopatu. Igitur,

*Quoad diaconatum, probatur ex eo, quod inveniantur omnia ad sacramentum requisita, scilicet 1º signum sensibile, per impositionem manuum; 2º collativum gratiae, his formæ verbis: *Accipe Spiritum sanctum*, etc.; 3º a Christo institutum, quia solus Christus instituere potest signa practica gratiae. Constat quoque ex Tridentino definitio, ut supra N° 4, divinam hierarchiam constare episcopis, presbyteris et ministris; si dicatur *ministris*, ergo saltem de diaconis intelligendum est.*

Quoad presbyteratum. Quicumque sacramenti ordinis existentiam admittunt, sacramenti dignitatem non denegant presbyteratui, qui est velut genus quod omnes alios ordines inferiores ut gradus continet. Unde, si de fide est, ut supra N° 5, aliquam ordinationem esse sacramentum, dicendum sane est id competere presbyteratui, quippe qui est omnium ordinum inferiorum præstantissimus, adeoque principium et finis ad quem referuntur.

Quoad episcopatum.

*Prænota. Qum vox sacerdotium sit genus, sub quo presbyteratus et episcopatus sunt velut species, inde factum est quod simplices presbyteri vocati fuerint *sacerdotes secundi ordinis*; et episcopi, *sacerdotes primi ordinis*. Utrumque sacerdotium quidem sacram Eucharistiam respicit; sed hanc respicit diverso modo, scilicet: simplices presbyteri habent potestatem Eucharistiam consecrandi; dum episcopi habent insuper facultatem hanc presbyteralem potestatem aliis communicandi seu presbyteros ordinandi. Priores succedunt 72 discipulis, posteriores vero apostolis.*

Jam vero, episcopatum esse sacramentum, *Negant* variis, quorum alii tenent, eum esse tantum officium jure divino episcopis commissum; alii vero, esse extensionem characteris sacerdotalis.

Sed, episcopatum esse, non tantum *ordinem* a presbyteratu distinctum, sed insuper esse *sacramentum* a sacramento presbyteratus distinctum, probatur, 1º ex Tridentino, definiente divinam hierarchiam constare episcopis, presbyteris et ministris; ex quo concluditur quod, sicuti presbyteri a ministris distincti sunt, ita et episcopi a presbyteris; et quod dici non possit episcopatum esse simplicem sacerdotii extensionem, et characterem non imprimere. 2º Diversum est sacramentum, ubi diversus est sacramenti conferendi ritus et diversa potestas; atqui, alias est ritus in ordinatione presbyteri, et in consecratione episcopi; et alia est potestas, siquidem apud omnes constet solum episcopum, non vero sacerdotem, habere potestatem ordinariam tum ordines conferendi tum confirmandi, et ecclesiam sibi assignatam ut principem gubernandi.

Nota. Etsi in pluribus ordinibus adsit ratio sacramenti, inde tamen non sequitur quod plus quam septem sint in Ecclesia sacramenta: nam 1º omnes fatentur quod tantum unicum sit ordinis sacramentum: tota enim plenitudo sacramenti ordinis continetur in uno ordine, scilicet in sacerdotio, cuius finis principalis est oblatio sacrificii eucharistici, ad quod reliqui ordines, juxta mensuram potestatis sibi collatae, concurrunt. Unde, in reliquis ordinibus, est quædam participatio ordinis, et ideo omnes ordines in quibus invenitur ratio sacramenti, unum sunt sacramentum; quemadmodum, in regimine civili, varii sunt administrationis gradus, cum tamen una sit administratio, una potestas. 2º Licet ex Tridentino certum sit dari septem sacramenta seu septem sacramentorum *species*, dari tamen possunt in aliqua specie plura numero sacramenta.

CAPUT II.

DE SINGULI ORDINIS PROPRIETATIBUS, MATERIA ET FORMA.

6. — q. *Quid est singulus ordo minor, seu quænam est singuli natura et proprietas?*

r. 1º *Ostiariatus*, ait Gury, est ordo quo specialis confertur potestas aperiendi et claudendi januam ecclesiae, dignos admittendi et indignos excludendi.

2º *Lectoratus* est ordo quo specialis traditur potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in ecclesia, ac populum catechisandi seu instruendi in rebus fidei.

3º *Exorcistatus* est ordo quo specialis confertur potestas ejiciendi dæmonia, per exorcismos ab Ecclesia institutos.

4º *Acolythatus* est ordo quo specialis traditur potestas, inter missæ solemnia, subdiacono inserviendi, accendendi cereos, præparandi et porrigandi ampullas vini et aquæ.

7. — q. *Quid est subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, seu quænam est singuli natura et proprietas?*

r. 1º *Subdiaconatus* est ordo quo specialis traditur potestas in missa solemni inserviendi diacono, solemniq[ue] ritu epistolam cantandi.

2º *Diaconatus* est ordo quo specialis confertur potestas in solemni missa presbytero immediate assistendi cantando Evangelium, prædicandi, et solemniter baptizandi si justa interveniat causa.

3º *Presbyteratus* est ordo quo specialis traditur potestas corpus et sanguinem Christi in missæ celebratione consecrandi, a peccatis absolvendi, subditosque opere et doctrina pascendi.

8. — Q. *Quid est episcopatus, seu quænam est ejus natura et proprietas?*

R. *Episcopatus* est plenitudo sacerdotii; vel magis explicitè: est ordo supremus quo presbytero potestas traditur conferendi sacramenta confirmationis et ordinis, atque regendi ecclesiam sibi commissam.

Quoad episcopatum, hic tradimus octo sequentia:

1º Censem Chrysostomus, ait Schouppe, denominationem *episcopi* et *presbyteri* sacerdotibus primi et secundi ordinis primitus fuisse communem; quæ sententia in Act. Apost., cap. XX, præcipue fundari videtur. Censem Petavius, presbyteris non tantum attributam fuisse denominationem episcoporum, sed plerisque presbyteris episcopalem ordinem, cogente ob circumstantias necessitate, fuisse collatum; et primo plures simul episcopos præfuisse ecclesiis; deinde, refrigerante charitate, unum constitutum inter omnes principem; mox vero, *in schismatis remedium*, ut Hieronymus loquitur, passim constitutos esse presbyteros proprie dictos, qui non nisi secundi ordinis sacerdotio pollerent.

2º Episcopi sunt simplicibus presbyteris æquales in potestate Eucharistiam conficiendi, et in potestate clavium. Attamen,

3º Ut supra dictum est, episcopatus est ordo distinctus et sacramentum distinctum ab ordine et sacramento presbyteratus, cum, in consecratione, episcopo conferatur distinctus character seu specialis potestas ordinis.

4º Hæc episcopi specialis potestas ordinis, quam in consecratione accepit, et quam proin, characteri episcopali annexam, amittere non potest, præsertim consistit in tribus, scilicet in potestate confirmandi, ordinandi, et consecrandi v. g. chrisma, reges, ecclesias, vasa sacra, etc.

5º Præter hanc potestatem ordinis, in sua institutione jam accepere episcopi et aliam potestatem, scilicet potestatem jurisdictionis, i. e. potestatem per quam epi-

scopus constituitur rector, judex et pastor suæ diœceseos. Hanc autem jurisdictionis potestatem episcopi accipiunt *immediate a Papa*; ita ut, mediante Papa, ea tamen gaudent jure divino, cum Papa hanc ex Christi ordinatione eis conferre teneatur. Hoc, contra multos gallicanos, sustinentes quod episcopi eam accipient *immediate a Christo*, obtenta tamen confirmatione a Papa.

6º Hinc patet, et ex Tridentino de fide est, episcopos esse simplicibus presbyteris superiores, tum potestate ordinis ac ministerii, tum potestate jurisdictionis. Hanc autem superioritatem esse de jure divino, non quidem definitur, sed ex Tridentino certum est. Hoc, contra Arium sæculo IV, Wicleff, Calvinum, puritanos et presbyterianos in Anglia et Scotia, qui contendunt episcopos esse simplicibus presbyteris æquales.

7º Omnes episcopi sunt inter se æquales quoad potestatem ordinis; sed sunt inæquales quoad potestatem jurisdictionis et dignitatem, quum inter eos qui charactere episcopali insigniti sunt, distinguantur simplices episcopi, archiepiscopi, primates, patriarchæ, cardinales, Papa.

8º Ad episcopum *legitime constituendum*, ait Bouvier, tria sunt necessaria, scilicet: electio, institutio et ordinatio.

Requiritur 1º *electio*. Initio Ecclesiæ, ipsi apostoli, maxime s. Petrus, episcopos constituebant. Postea vero, electio fiebat per episcopos; dein, vel per episcopos provinciæ, vel per suffragium cleri ecclesiæ viduatae, vel per utrosque, concurrente aliquatenus populo. Sæculo XII, propter varios abusus, electio, in ecclesia græca, cœpit reservari solis episcopis; et in ecclesia latina, solis capitulis cathedralibus. Insuper, variis temporibus, magistratus, aut principes sacerdtales, locum populi usurpantes, saepe non modicam habebant partem in electione episcorum; et haec fuit origo concordatum qui inter summos Pontifices et varios principes sacerdtales initi fuerunt, vi quo-

rum principes, ut v. g. etiamnum in Gallia, in Austria, etc., candidatum eligere seu Papæ præsentare possunt. Hodie, in pluribus regionibus, sicuti et in Belgio vi constitutionis nostræ civilis, electio et institutio episcoporum unice spectat ad Sedem apostolicam, independenter ab omni interventione gubernii.

Requiritur 2º *institutio* seu *confirmatio*, quæ hodie fit per solum summum Pontificem. Itaque Papa, si electionem approbet, electo dat, in bulla suæ confirmationis, facultatem suum eligendi consecratorem. Provisus seu confirmatus a sancta Sede, nondum vocatur *episcopus*, sed *electus in episcopum* (*évêque nommé ou préconisé*), usque dum fuerit consecratus. Attamen, episcopus confirmatus, ipso facto, gradum hierニックum ascendit, et omnem nanciscitur potestatem jurisdictionis; sed nullam habet potestatem ordinis, utpote in consecratione accipiendam.

Requiritur 3º *ordinatio* seu *consecratio*. Ad hanc faciendam, sub gravi requiruntur tres episcopi, unus qui dicitur *consecrator*, et duo qui dicuntur *assistantes*; nisi ex dispensatione Papæ concedatur ut ab unico episcopo fiat, quemadmodum quandoque conceditur in missionibus longinquis ubi tres episcopi difficile congregari possunt. Obligatio quoad trium episcoporum numerum, est de jure saltem ecclesiastico. Si autem forte verum sit, sicut quidam contendunt, quod Christus voluerit tres esse necessarios, dicendum est, ait Bouvier, eum simul statuisse ut, ex dispensatione pontificalia, unicus sufficeret, sicque esset minister extraordinarius, quemadmodum simplex sacerdos minister est extraordinarius respectu sacramenti confirmationis. Consecratio ab unico episcopo, absque pontificalia dispensatione facta, certo est graviter illicita; sed, communius ac probabilius, juxta Bouvier ex Bened. XIV, tenenda est ut valida, cum pontificale Romanum duos alios, præter consecratorem, vocet tantum *assistantes*.

9. — q. *Quænam est, generatim, materia et forma ordinum minorum et subdiaconatus?*

r. De hoc nulla lis est, ait Schouppe. Exploratum enim est penes theologos omnes, minorum ordinum et subdiaconatus *materiam*, in ecclesia latina, esse instrumentorum porrectionem, quæ sola ibidem in usu est: in ecclesia græca vero, pro lectoratu et subdiaconatu, esse manuum impositionem extra sanctuarium collatam, quæ pariter sola ibidem in usu est; *formam* vero esse verba quæ utrumque respective comitantur.

Illa autem dicuntur materia et forma horum dictorum ordinum, sive supponatur hos ordines nihil aliud esse quam simplices ritus sacros, sive supponatur cum aliis hos ordines insuper habere rationem sacramenti: in primo casu, dicuntur materia et forma simpliciter horum rituum sacrorum; in secundo casu, dicuntur vere materia et forma sacramenti quod per hos ritus sacros supponitur conferri.

10. — q. *Quænam est, generatim, materia et forma diaconatus, presbyteratus et episcopatus?*

r. 1º *Practice.* Omnes catholici docent, ordinem esse verum sacramentum a Christo institutum, huncque constare materia et forma quæ continentur in quodam ritu ab Ecclesia præscripto et servato.

Unde, juxta sententiam practice sequendam, in ecclesia *græca*, est impositio manuum ab episcopo facta, cum forma correspondente, qua confertur potestas in corpus Christi mysticum et naturale; græci autem proprie, in ordinatione, instrumenta non tradunt. In ecclesia *latina*, duplex distinguitur materia et forma: 1º manuum impositio, cum forma correspondente, qua confertur potestas in corpus Christi mysticum; 2º traditio instrumentorum quibuscum functiones sacræ exercendæ erunt, qua traditione confertur potestas in corpus Christi naturale.

— Itaque, quod attinet ad praxim et ad sacramenti confi-

ciendi substantiam, nulla est inter catholicos discrepantia aut difficultas.

2º Speculative. Ad determinandum speculative in quo praeceps consistat materia, cum forma correspondente, maxime controvertitur. Triplex existit sententia, scilicet:

1º Sententia, praesertim concilio Florentino nixa, tenet materiam esse solam instrumentorum traditionem, cum forma correspondente.

2º Sententia tenet duplēcēs esse materiam cum duplēci forma correspondente, scilicet **1º** traditionem instrumentorum, **2º** manuum impositionem. Hanc sententiam, quam omnino amplecti videtur s. Thomas, tenent Bellarminus, Vasquez, aliique bene multi.

Unde, haec prima et secunda sententia in eo consentiunt, quod traditionem instrumentorum habeant ut materiam essentiale. Porro id admisere, ait Schouppé, scholastici veteres fere omnes, quibus non pauci recentiores theologi assentiuntur.

3º Sententia, quæ juxta Perrone et Schouppé nunc temporis communior evasit, tenet solam manuum impositionem, cum forma correspondente, esse materiam essentiale et adæquatam; instrumentorum vero traditionem, quæ processu temporis ab ecclesia latina assumpta fuit ad majorem declarationem potestatis quæ per impositionem manuum confertur, non esse materiam essentiale, sed esse tantum accessoriā et integrāle.

Hæc sententia duplēci præcipue nititur argumento: **1º** illud tantum essentiale esse potest, quod semper fuit græcis et latinis commune; atqui sola manuum impositio, non vero instrumentorum traditio, eis communis est. **2º** Hæc sententia consentanea est alteri sententiæ quæ docet, omnia sacramenta a Christo *immediate* et *in specie* fuisse instituta; atqui, hujus tertiae sententiæ adversarii, ut explicient quomodo instrumentorum traditio facta sit essentialis, cum non esset ab initio, et quomodo sit essentialis apud la-

tinos, cum non sit apud græcos, coguntur dicere, Christum sacramentale signum ordinis tantum *in genere* determinasse, permittendo scilicet ut apostoli signum *aliquid* expressivum collatae potestatis assumerent; adeoque apostolos et Ecclesiam potuisse signum hoc *in specie* determinare: inde apud latinos statutam esse instrumentorum porrectionem, apud græcos vero solam manuum impositionem. Porro, etsi hæc sententia, juxta dicta *De Confirmatione*, N° 5, sit vere probabilis, imo forte probabilior, certo tamen est minus communis.

Nec obstat, ait hæc 5^a sententia, quod ordo Romanus et pontificale instrumentorum traditionem præscribant; nam dubitandum non videtur hanc traditionem tantum progressu temporis fuisse introductam, cum vetustiora documenta eam non præscribant, imo excludere videantur.

Imo nec obstat, ait hæc 5^a sententia, decretum Florent. pro Armenis, dicens: « Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo..... »; ex quo decreto concludunt adversarii, quod instrumentorum traditio sit materia *essentialis* saltem partialiter, licet tamen non concludant, quod hoc decreto excludatur manuum impositio ut materia *essentialis*. Nam reponit hæc 5^a sententia, instrumentorum traditionem in hoc decreto non nominari ut materiam *essentialis*, sed tantum ut *accessoriæ* et *integrale*.

Hæc de materia et forma *in genere*. Nunc vero inquirimus de materia et forma *in specie*.

11. — q. *Quænam igitur est, in specie, materia et forma singuli ordinis, prout in ecclesia latina confertur?*

r. 1^o Quoad ordines *minores*, materia 1^o *ostiariatus* est traditio clavium ecclesiæ; 2^o *lectoratus*, traditio libri lectionum; 3^o *exorcistatus*, traditio libri exorcismorum; 4^o *acolythatus*, traditio unius vel duarum ampullarum vacuarum, et candelabri cum cereo extincto. Forma,

his ordinibus propria, continetur verbis quibus utitur episcopus, dum illa instrumenta tradit.

2º Quoad *subdiaconatum*, materia essentialis, est traditio calicis vacui et patenæ vacuæ, sub forma correspondente. Quidam addunt traditionem libri epistolarum; sed immērito, ait Bouvier, quia hæc circumstantia, in collatione istius ordinis nunc usitata, olim erat inaudita, et vix a quadringentis annis existit. Unde hæc, et omnia reliqua quæ fiunt, non sunt nisi cæremonalia.

3º Quoad *diaconatum*, duplex est materia partialis, 1º impositio manuum episcopi, sub forma : *Accipe Spiritum sanctum.....*; 2º traditio libri evangeliorum, sub forma : *Accipe potestatem legendi evangelium.....*

4º Quoad *presbyteratum*, quoque duplex est materia partialis, 1º impositio manuum episcopi, sub forma : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt*; 2º traditio patenæ cum pane, et calicis cum vino, sub forma : *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo.....*

5º Quoad *episcopatum*, materia certo essentialis, est impositio manuum episcopi consecratoris, sub forma : *Accipe Spiritum sanctum....* Quidam addunt impositionem libri evangeliorum super caput consecrandi; sed, cum primi episcopi ordinati fuerint sine impositione hujus libri, qui nondum existebat, et cum jam nulla forma huic impositioni correspondeat, concludendum est quod hæc impositio, sicut et cætera omnia quæ fiunt, mere sint cæremonalia.

Nota. An instrumentorum contactus, de necessitate ordinationis debeat esse physicus, duplex, juxta Lig., est sententia probabilis; indeque concludit, sententiam *Affirmantem*, cum sit probabilis, ut tuiorem practice omnino esse sequendam, quidquid dicat Gury, qui asserit *Negativam* esse tutam.

CAPUT III.

DE ORDINIS MINISTRO.

Pro collatione ordinis, sicut et confirmationis, duplex apud catholicos exhibetur minister, scilicet ordinarius et extraordinarius. Insuper, qui habet ordinandi potestatem, non semper habet ordinandi jus; isque valide, sed illicite manus imponere potest. Itaque, hic agendum est 1º de ordinationis ministro ordinario; 2º de ministro extraordinario; 3º de ministro legitimo.

12. — q. *Quisnam est ordinis minister ordinarius?*

R. Sensus quæstionis est, an validitas ordinis a charactere episcopali, ex institutione Christi, pendeat, sicut validitas consecrationis corporis et sanguinis Christi a charactere sacerdotali dependet.

Atqui, solus episcopus *consecratus*, est sacramenti ordinis minister ordinarius. Id admittitur ab omnibus catholicis, ex Tridentino est de fide, et probatur, 1º Scriptura, ubi soli apostoli, vel eorum successores qui erant episcopi, exhibentur ut ministri, ordinandi potestatem habentes; 2º constanti traditione; 3º ratione convenientiæ, quia episcopus, in Ecclesia habet potestatem quasi-politicam, ait Thomas, et sic ad ipsum pertinet ministeria publica dispensare, sicut in republica sæculari hoc spectat ad principem.

Dixi *consecratus*: quia ordinum collatio est actus ordinis, non vero jurisdictionis. Si autem quis in episcopum fuerit electus et confirmatus, sed nondum consecratus, potest alteri episcopo ordinationem sui subditi committere, quia hoc est actus jurisdictionis.

Hinc 1º ordinat semper valide, et quemcumque, etiam non sibi subditum, quicumque charactere episcopali insignitus est, etiamsi sedem episcopalem non habeat, vel

sit hæreticus, schismaticus, censura ligatus, scandalosus vel degradatus, modo legitimam ordinationis formam a Christo institutam observet; quia, ut *De Sacramentis in genere* dictum est, ad sacramenti validitatem, non requiritur in ministro fides nec sanctitas.

Hinc 2º e contra, qui characterem episcopalem valide non receperunt, ordinationem ut ministri ordinarii aliis communicare non valent. Unde prorsus nullæ habentur ordinationes lutheranorum, propter defectum tam characteris in ordinante, quam legitimæ formæ a Christo institutæ.

Sic quoque, ordinationes anglicanæ certo dubiæ, imo longe probabilius invalidæ sunt. Tota quæstio pendet ex hoc, utrum scilicet valide an vero invalide ordinatus fuerit Parker, qui totius anglicanæ hierarchiæ primus extitit consecrator et patriarcha. Jam vero, a scriptoribus coævis traditur, Parkerum, anno 1559, Lundini in diversorio, una cum tribus aliis, ab episcopo Scorceo inauguratum fuisse absque legitima materia et forma. Id quidem protestantes postea negarunt; sed certo constat, ordinationem Parkeri initio habitam fuisse ut dubiam ab ipsis protestantibus, adeo ut Elisabeth regina coacta fuerit suprema sua potestate decretum edere, ad illam ordinationem ab omni defectu sanandam. Hinc sequitur, quod iterandæ sint ordinationes in illis anglicanis qui, post conversionem suam, apud nos sacris initiari cupiunt.

Aliter autem tenendum est, tum de græcis schismatis; tum de jansenistis in Hollandia, quorum prima ordinatio facta fuit a Varlet, vero episcopo, licet suspenso. Unde, hi omnes habent veri nominis episcopos, sacerdotes et alios ministros.

13. — q. *An, et quisnam esse potest ordinis minister extraordinarius?*

r. Simplex sacerdos, ex commissione Papæ, conferre

potest, 1^o tonsuram et ordines minores, ut probatur ex factis, et ex Tridentino, fatente jus illud competere abbatibus relative ad suos religiosos; 2^o probabilius subdiaconatum, cum et hoc sæpius factum fuisse legatur. Sed conferre non potest, 1^o probabilius diaconatum, 2^o juxta sententiam communem, nec presbyteratum, 5^o certo nec episcopatum.

Neque dicas quod sacramenti ordinis minister sit institutionis divinæ, qualis non est simplex sacerdos ex commissione Papæ ordinans. Nam hi ordines, diaconatu inferiores, vel 1^o non sunt sacramenta, sed tantum institutionis ecclesiasticæ: tuncque nulla difficultas, cum in tali casu Papa jure gaudeat in iis quæ sunt juris tantum ecclesiastici; vel 2^o sunt sacramenta, tuncque dicendum est quod Christus quidem instituerit, ut minister ordinarius esset episcopus; sed extraordinarius esset simplex sacerdos, si Papa commissionem daret; eodem modo quo minister ordinarius confirmationis est solus episcopus, et ex commissione Papæ, simplex sacerdos.

14. — q. *Quisnam dicitur ordinis minister legitimus, seu quosnam episcopus ordinare potest licite?*

r. Episcopus licite ordinare potest, 1^o proprios subditos, ut patet, de quibus statim dicetur; 2^o extraneos, modo hi adferant, a parte proprii episcopi, vel *excorporationem seu exeat*, vel *litteras dimissoriales*. Discremen inter hæc duo sic assignat Gousset: « Dans le cas d'une *excorporation*, l'évêque qui ordonne, *incorpore* le sujet à sa jurisdiction. Dans le cas d'un *dimissoire*, l'évêque n'ordonne que par délégation, et le sujet qui reçoit les ordres, demeure soumis à l'évêque qui l'a envoyé. On doit se conformer strictement à ce qui est porté dans le dimissoire, pour le temps, pour les ordres à recevoir, et pour l'évêque qui est autorisé à faire l'ordination. »

Q. *Quinam hic vocantur subditi episcopi, seu quisnam vocatur episcopus proprius?*

R. Aliquis potest episcopo esse subditus quadrupli titulo, scilicet titulo 1º nativitatis, 2º domicilii, 3º beneficii, 4º familiaritatis.

Titulo *nativitatis*, i. e. si quis ab illo episcopo ordinandus sit in cuius dioecesi natus est, modo ibi non natus fuerit casu fortuito.

Titulo *domicilii*, i. e. si quis ab illo episcopo ordinandus sit in cuius dioecesi habet verum domicilium; non autem, si ibi tantum habeat quasi-domicilium.

Nota. Religiosi improprie dicti seu professi in religione a s. Sede non approbata, item novitii se præparantes ad professionem religiosam quamcumque, titulo nativitatis vel domicilii subduntur non secus ac alii ordinandi. Sed regulares professi in religione a s. Sede approbata, proprium episcopum habent illum in cuius dioecesi versatur eorum monasterium.

Titulo *beneficii*, i. e. si ordinandus beneficium possideat in dioecesi illius episcopi qui illud contulit.

Titulo *familiaritatis*, i. e. si episcopus ordinare intendat familiarem sibi non subditum, quem per triennium secum habuit; modo ei, statim post ordinationem, beneficium aliquod conserat.

CAPUT IV.

DE ORDINUM EFFECTIBUS.

13. — Q. *Quinam sunt generatim effectus sacramenti ordinis?*

R. Juxta dicta *De Sacramentis in genere*, duplex est effectus: gratia et character, i. e. 1º gratia sanctificans per se secunda, seu gratiæ sanctificantis augmentum; et gratiæ actuales seu sacramentales, suo tempore dandæ,

ad ordinis munia rite sancteque obeunda; 2º character, quo ministri Christi signantur et a simplicibus christianis distinguuntur, sicut officiarii principis et milites aliquo sensibili signo ab aliis hominibus secernuntur.

Q. *Quinam ordines hos effectus sacramentales producunt?*

R. Distinguendum est inter ordinationes quæ forte non habent, et inter illas quæ habent rationem sacramenti.

1º Illæ ordinationes quæ non habent rationem sacramenti, prout probabilius sunt ordines minores et subdiaconatus, nullum producunt effectum *sacramentalem*, ut patet. Dico *sacramentalem*: attamen, cum illa non sint nuda officia et ministeria, sed sint veri ordines, et proinde stabilitatem essentialē involvant, characterem quedam imprimunt, non quidem sacramentalem et divinum, sed legalem et ecclesiasticum, ad instar gradus honorifici in civitate, aut scientifici in academias; et sic, a sola Ecclesia habent quod iterari non debeant.

2º Illæ autem ordinationes quæ habent rationem sacramenti, prout certo sunt diaconatus, presbyteratus et episcopatus, semper characterem sacramentalem imprimunt, modo recipiantur valide; gratias vero non conferunt nisi rite dispositis.

16. — Insuper, quoad *characterem*, teneantur sequentia:

1º Varii ordines præsupponunt quosdam characteres, alios quidem ex *præcepto ecclesiastico*, et alios de necessitate sacramenti. Scilicet, 1º saltem ex *præcepto ecclesiastico*, omnis ordo, imo et tonsura, supponit seu exigit characterem confirmationis; et ordo superior supponit characterem qualecumque, sive sacramentalem sive ecclesiasticum, per ordinationem inferiorem collatum. 2º *De necessitate sacramenti*, omnis ordo supponit characterem baptismi; et episcopatus, juxta sententiam probabiliorem, supponit characterem presbyteratus.

2º Singuli ordines qui habent rationem sacramenti, im-

primunt, juxta sententiam probabiliorem, characterem diversum et singulo ordini proprium: nam, ubi diversæ sunt potestates, diversi esse debent characteres.

3º Ordinis character *sacramentalis*, importat potestatem in ordinatione receptam, et proin amitti non potest. Unde ordinatus, licet per suspensionem, per degradationem, vel aliter amittere possit potestatem jurisdictionis, utpote quam non in ipsa ordinatione recepit, quæ potestas amittitur per amissionem tituli cui annexa erat, non tamen amittere potest aptitudinem ad jurisdictionem recipiendam; pariter, quamvis amittere possit jus ad exercendam licite potestatem ordinis suscepti, hanc tamen semper exercet valide, et sic v. g. semper valide Eucharistiam consecrat sacerdos, et confirmationem aut ordines confert episcopus.

CAPUT V.

DE ORDINIS SUBJECTO.

Aliæ in subjecto conditiones requiruntur ad ordinum receptionem validam, et aliæ ad receptionem licitam.

17. — Q. *Quænam in subjecto conditiones requiruntur ad ordinum receptionem validam, seu quodnam est ordinum subjectum capax?*

R. Requiritur ut sit homo viator, baptizatus, masculus, illo ordine nondum insignitus, et habens intentionem ordinem recipiendi si sit adultus.

Dico 1º *masculus*: nam feminæ, ex divina institutione, sunt ordinis cuiuslibet prorsus incapaces, juxta: *Mulieres in ecclesiis taceant..... Docere autem mulieri non permitto*. Unde nunquam, nec in lege naturæ nec in lege mosaïca, femina ulla sacris altaribus admissa est; nec Christus neque apostoli vel ipsam B. M. Virginem sacerdotio exornarunt.

Nec obstat quod olim extiterint *episcopæ*, *presbyteræ* et *diaconissæ*, quæ saepe memorantur in jure canonico et in historia ecclesiastica: nam simpliciter erant mulieres quas mariti, post ordinationem ad diaconatum, presbyteratum aut episcopatum, relinquabant sive in sæculo castitatis voto obstrictas, sive in monasterio professas, quæque maritorum suorum titulum participabant. Insuper, diaconissæ, de quibus frequens mentio fit usque ad sæculum X, i. e. fere usque ad tempus quo consuetudo baptizandi par immersionem est antiquata, erant pudicæ quædam honestæque mulieres, ad Ecclesiæ ministerium deputatæ: nimirum ad juvandum in baptizandis mulieribus, ut honestati consuleretur; ad rudes ac neophytes, præsertim muliebris sexus, fidei rudimentis imbuendos; ad custodiendam ecclesiæ portam qua mulieres ingrediebantur, etc. Diaconissæ ritu aliquo sacro initiabantur: quæ tamen initiatio nequaquam sacramentalis erat; verum impositio manus, et alia quæ præstabantur, ad meram cæmoniam pertinebant.

Neque ipsæ *abbatissæ*, quæ sacram quamdam potestatem olim exercuisse perhibentur, unquam potestate clericali, i. e. jurisdictione proprie dicta, seu potestatis clavium participatione fuere instructæ; sed tantum auctoritate domestica, materna, œconomica.

Nec obstat historia de Joanna papissa, quæ perhibetur sexum occultasse et sedem apostolicam ultra duos annos occupasse sub nomine Joannis VIII, circa annum 855. Nam hoc factum, a quodam scriptore sæculi XI primo narratum, jam ab omnibus, etiam a protestantibus, inter quos Blondel, ut mera fabula habetur. Dein, etiam in supposito quod sit verum, inde minime sequeretur mulieres ordinationis esse capaces.

Dico 2º *habens intentionem si sit adultus*: nam invalida foret ordinatio collata adulto omnino invito, vel rei plane inscio. Quoad ordinationem collatam infantibus ante

usum rationis, vel perpetuo amentibus, communissime tenetur hanc, licet jam illicitam, esse validam; et certum est, post Bened. XIV, tales non subjici obligationi servandæ castitatis nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis, nisi postea, rationis compotes, consentiant: quia electio status a libera cujusque pendet voluntate.

18. — q. *Quænam in subjecto conditiones requiruntur ad ordinationis receptionem licitam?*

r. Gousset præcipuas conditiones ad duo capita facile reducit, scilicet 1º ut adsit vocatio divina, 2º ut observentur omnes Ecclesiæ leges ordinationem spectantes. Jam vero,

19. — Quoad vocationem divinam, teneantur seqq. :

q. *An ad licitam ordinationis receptionem divina requiritur vocatio?*

r. *Affirmative.* Divinæ vocationis necessitas colligitur ex Scriptura: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Unde qui, non vocatus, ordines suscipit, graviter peccat, tum ob irreverentiam Deo et sacramento illatam, tum ob innumera et ingentia mala sibi et Ecclesiæ inferenda. Serio proinde perpendere tenetur ordinandus de variis divinæ vocationis signis. Quoad vocationem ad statum religiosum, vide *De Statibus Particularibus*, N^os 43 et seqq.

o. *Quænam sunt ordinariae hujus vocationis signa?*

r. Sunt quatuor sequentia:

1º *Inclinatio* ad statum ecclesiasticum, præsertim si ab infantia existat, et si ex recta nutriatur intentione, i. e. ex desiderio vacandi gloriae Dei et saluti animarum; secus vero, si ex motivis mere temporalibus vel humanis.

2º *Probitas vitæ:* Quorum probata vita senectus sit, ait Tridentinum. Requiritur saltem, juxta Dens, quod ordinandus non majora commiserit crimina, vel quod ea tam

digna luerit poenitentia, ut nulla inde ipsi adhaereat infamia.

5º *Scientia competens.* Hæc autem sequenti modo determinari potest: ad tonsuram, requiritur ut candidatus sciat rudimenta fidei, et calleat legere et scribere; ad ordines minores, ut calleat linguam latinam; ad subdiaconatum et diaconatum, ut sit eruditus in litteris et in iis quæ ad ordinem exercendum pertinent; ad presbyteratum, ut idoneus reperiatur tum ad populum docendum ea quæ saluti omnibus necessaria sunt, tum ad ministranda sacramenta.

4º *Judicium* prudens confessarii; item *appellatio* episcopi qui, post sufficientem ordinandorum probationem a superioribus factam, et post proclamationem fidelibus, quoad impedimenta institutum, eos ad sacros ordines vocat.

20. — Quoad Ecclesiæ leges ordinationem spectantes.

q. *Quænam sunt præcipuae ejusmodi leges?*

r. Præter receptionem confirmationis et tonsuræ, præter immunitatem ab impedimentis canonicis, de quibus in tractatu *De Censuris* et *De Irregularitatibus*, præter statum gratiæ, et præter debitum tempus atque locum ordinationis, requiruntur quinque sequentia:

1º Ut ordinatio fiat ab episcopo proprio; aut ab alieno non fiat, nisi exhibitis litteris excorporationis aut litteris dimissorialibus.

2º Ut ordinatio fiat gradatim, i. e. ascendendo de uno ordine ad ordinem immediate sequentem; non vero per saltum, i. e. neglecto ordine intermedio: nam, ut dictum est, ordini superiori prærequiritur inferior.

3º Ut ordinatio fiat servatis interstitiis inter singulos ordines. 1º Inter ordines *minores*, ex Tridentino, quædam servanda sunt interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videatur. Dico *quædam*: nam eorum tempus non determinatur. In multis locis, ut apud nos, ex consuetudine, quatuor minores ordines eadem die conferun-

tur. 2º Quoad ordines *majores*, Tridentinum requirit interstitium unius anni inter susceptum postremum ordinem minorem et subdiaconatum; item unius anni inter subdiaconatum et diaconatum; item unius anni inter diaconatum et presbyteratum; nisi episcopus aliter decernat: nam episcopus potestatem habet in interstitiis dispensandi, si expedire ipsi videatur.

4º Ut candidatus attigerit ætatem a jure requisitam. Statuitur autem sic: 1º pro *tonsura* et ordinibus *minoribus*, Tridentinum nullam determinat ætatem, nisi quod pro tonsura exigat usum rationis, et pro ordinibus minoribus majorem discretionem. Hodie tamen, juxta consuetudinem generalem, tonsura et ordines minores non conferuntur nisi circa tempus determinatum pro conferendo successive subdiaconatu. 2º Tridentinum exigit, pro *subdiaconatu*, annum 22^m incepturn; pro *diaconatu*, annum 25^m incepturn; pro *presbyteratu*, annum 25^m incepturn: i. e. annum 21^m vel 22^m vel 24^m expletum. 5º Pro *episcopatu*, decretales exigunt annum 30^m incepturn; in Gallia autem, concordatus Leonis X cum Francisco I non quidem nisi annum 27^m exigit, sed concordatus 1801 iterum annum 30^m statuit. — Dispensatio ætatis, ad ordines suscipiendos, reservatur Papæ, qui eam concedere non solet, ait Bouvier, nisi pro suscipiendo sacerdotio, propter Ecclesiæ necessitatem aut utilitatem.

5º Ut ordinandus ad subdiaconatum, adferat titulum clericalem seu titulum honestæ sustentationis. Nam, ne clericus, cum dedecore sui ordinis, stipem querere vel aliquod munus sordidum exercere cogatur, varia concilia et postea Tridentinum exigunt titulum sufficientis sustentationis; qui triplex distinguitur, scilicet titulus sufficientis *beneficii*, titulus *paupertatis religiosæ* seu professionis in monasterio, et titulus *patrimonii*.

« Cependant, ait Gousset, vu le triste état où se trouve l'Eglise en France, les évêques n'exigent de titre clérical

que d'un certain nombre d'ordinants. Le droit, pour ce qui regarde le titre de bénéfice, a peu d'application parmi nous; si on n'ordonnait que ceux des élèves qui peuvent se procurer un titre patrimonial, il faudrait laisser le plus grand nombre de paroisses sans prêtres et sans culte. Mais un évêque, pour ne pas s'écartez de l'esprit de l'Eglise, n'admet aux ordres sacrés que les sujets nécessaires ou utiles à son diocèse; il ne doit pas en ordonner d'autres, à moins qu'ils n'aient un titre patrimonial, ou le titre de pauvreté religieuse. »

INDEX.

Tractatus

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Contractus essentia et variae species	5
---	---

PARS PRIMA.

DE CONDITIONIBUS AD CONTRACTUM REQUISITIS.

CAP. I.

ART. I.	De CONSENSU legitimo	7
	De dotibus legitimi consensus.	
	Consensus esse debet 1º internus, 2º ex-	
	ternus, 3º mutuus, et saltem virtualis,	
	4º liber et deliberatus.	8

ART. II.	De vitiis consensu oppositis, scilicet :	
	§ I. De errore, ad quem reducitur dolus et	
	læsio	11
	§ II. De vi aut metu	14

CAP. II.

	De CONFORMATITATE contractus cum lege civili.	
	§ I. De auctoritate legis civilis; principium	
	generale et tria principia particula-	
	ria; de nullitatibus in contractibus.	16
	§ II. De efficacia legis civilis.	
	Desuper statuuntur septem principia	20
	§ III. De contractibus initis in fraudem legis,	
	1º de re ad rem, 2º de persona ad	
	personam, 3º de contractu ad con-	
	tractum	25

CAP. III.

	De SUBJECTO CAPACI.	
	Quinam generatim sint capaces vel inca-	
	paces	27
	§ I. De minoribus	id.

INDEX.

CAP. IV.

§ II. De interdictis et de subjectis consilio judicario.	31
§ III. De uxoribus	55
De MATERIA APTA seu de objecto contractus.	
Materia esse debet :	
1º Possibilis	35
2º Existens et determinata	56
3º In commercio posita; quænam res sint extra commercium, jure tum naturali tum civili	id.
4º Contrahentis propria.	38
5º Aliunde indebita	59
Quonam TEMPORE quædam conditiones concurrere debeant.	
§ I. Quonam tempore adesse debeat habilitas partium, materiæ capacitas, observatio formarum legalium, in actibus in genere	40
§ II. Quonam tempore adesse debeat habilitas partium et materiæ capacitas in actibus conditionatis	45

CAP. V.

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTUS EFFECTUS SEU OBLIGATIONE.

CAP. I.

De contractus obligatione GENERATIM spectata.	
ART. I.	
De obligatione directa.	
1º Principia quædam generalia	45
2º Obligatio aliquid dandi.	46
3º Obligatio aliquid faciendi	47
ART. II.	
De obligatione indirecta, seu de compensandis damnis per inexecutionem contractus illatis.	48
Qualis requiratur 1º culpa, 2º mora, 3º compensatio	id.
CAP. II.	
De MODIFICATIONIBUS seu variis speciebus obligationum.	
§ I. De obligationibus conditionalibus.	
1º De conditione suspensiva generatim, tum ante tum post impletam conditionem.	55
2º De conditione potestativa	56
3º De conditione impossibili	57

4º De conditione turpi, tum ante tum post impletam conditionem	57
5º De conditione contraria substantiae contractus	60
6º De conditione resolutoria	id.
De obligationibus ad terminum vel ad causam.	id.
§ II. De obligationibus alternativis.	61
§ III. De obligationibus in solidum.	62
§ IV. De obligationibus dividuis et individuis.	id.
§ V. De obligationibus cum clausula pœnali.	64
§ VI. De obligationibus quibus accedit jurementum	id.
De EXTINCTIONE obligationum.	
Obligatio extinguitur variis modis, specia- tim 1º solutione, 2º novatione, 5º con- donatione, 4º compensatione legali, 5º confusione, 6º rei interitu.	68

Tractatus**DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.****CAP. I.****De PROMISSIONE.**

1º Quænam sint conditiones ad obligatio- nem inducandam; 2º qualis et quanta sit haec obligatio; 3º quomodo cesseret.	72
---	----

CAP. II.**De DONATIONIBUS INTER VIVOS, et de TESTA-
MENTIS et SUCCESSIONIBUS.**

ART. I. De donationibus inter vivos et de testa- mentis.	
---	--

§ I. De la nature, 1º des donations ; 2º des testaments ; testa- ments olographe, solennel, mystique ; exécuteur testamentaire	77
---	----

§ II. Des incapacités. Substitutions prohibées ; incapacités de faire ; incapacités de recevoir des do- nations ou testaments.	85
---	----

§ III. De la part disponible. Réserve dans la ligne droite ascendante et descendante ; réserve quant aux époux ; cas de rapport	88
--	----

ART. II.**De successionibus.**

§ I. De hæredibus, et de ordine successionis.	
---	--

Successions régulières et irrégulières ; saisine	93	
Ordre des successions régulières.		
1 ^o Descendants directs légitimes; enfants illégitimes.	98	
2 ^o Ascendants directs, soit non en concurrence avec frères, sœurs ou descendants d'eux, soit se trouvant en cette concurrence	101	
3 ^o Collatéraux : 1 ^o frères, sœurs ou descendants d'eux; 2 ^o autres collatéraux. Cas de représentation	105	
§ II. De successionis acceptatione et partitione.		
1 ^o De l'acceptation pure et simple; de la rénunciation; de l'acceptation sous bénéfice d'inventaire.	106	
2 ^o Du partage, soit amiable soit judiciaire.	109	
APPENDIX. Sur les droits de succession et de mutation par décès.	111	
CAP. III.		
ART. I.	De VENDITIONE ET EMPTIONE.	
ART. II.	De consensu requisito	115
ART. III.	De re vendibili seu de merce.	117
	De pretio.	
	Premium in genere; premium legale vel vulgare; premium indeterminatum.	119
	Quandonam peccetur, vendendo vel emendo intra limites supremi et infimi pretii.	122
	Quandonam licet vendere supra premium supremum.	125
	Quandonam licet emere infra premium infimum	125
ART. IV.	De obligationibus venditoris et emptoris.	
	§ I. De obligationibus venditoris.	
	1 ^o Rei venditæ traditio.	127
	2 ^o Rei assecuratio, tum contra rei defectus tum contra evictionem.	129
	§ II. De obligationibus emptoris.	
	1 ^o Rem auferre; 2 ^o solvere, tum rei premium, tum quandoque quædam alia.	152
ART. V.	De quibusdam venditionum speciebus.	
	§ I. De venditione cum pacto redimendi; sub qua contractus mohatra.	154
	§ II. De venditione sub hasta.	158
	§ III. De monopolio.	159
	§ IV. De venditione per proxenetas.	141

CAP. IV.

	De COMMODATO et MUTUO.	
ART. I.	De <i>commodato</i>	145
ART. II.	De <i>mutuo</i> .	
§ I.	De <i>natura mutui</i> .	
	<i>Quid sit mutuum; obligationes tum mu-</i>	
	<i>tuatarii, tum mutuantis</i>	146
§ II.	De <i>usura</i>	151
§ III.	De <i>titulis ab usura excusantibus</i> .	
	1º De <i>damno emergente</i>	154
	2º De <i>lucro cessante</i>	155
	3º De <i>periculo sortis</i>	156
	4º De <i>pœna conventionali</i>	157
	5º De <i>titulo legis civilis</i>	id.
	<i>Quid de titulo fœcunditatis pecuniae</i>	165

CAP. V.

ART. I.	De CENSU.	
	De <i>censo vitalito</i>	167
ART. II.	De <i>censo perpetuo</i> .	
	1º <i>Quoad census in gubernio fundatos;</i>	
	2º <i>quoad actiones nummulatorias;</i>	
	3º <i>quoad actiones commerciales vel</i>	
	<i>industriales</i>	168
	De CAMBIO	175

CAP. VI.**CAP. VII.**

De LOCATIONE	177	
§ I.	De <i>locatione ædium</i>	178
§ II.	De <i>locatione operarum</i>	181
§ III.	De <i>mandato et de negotiorum gestione</i>	183

CAP. VIII.**CAP. IX.**

ART. I.	De <i>natura societatis</i>	187
ART. II.	De <i>præcipuis societatum speciebus</i>	188
ART. III.	De <i>trino contractu</i>	192

CAP. X.

ART. I.	De <i>contractibus ALEATORIIS</i>	195
ART. II.	De <i>ludo</i>	194
ART. III.	De <i>sponsione</i>	198
ART. IV.	De <i>loteria</i>	199
	De <i>assecuratione</i>	200

CAP. XI.

	De <i>contractibus ACCESSORIIS seu SUBSIDIA-</i>	
	<i>RIBUS</i>	
ART. I.	De <i>fidejussione</i>	204
ART. II.	De <i>pignore et hypotheca</i>	id.
§ I.	De <i>gage et de ses effets</i>	206
§ II.	Des <i>hypothèques</i> .	
	Nature de l' <i>hypothèque</i>	207

Différentes espèces d'hypothèques, légale, conventionnelle, testamentaire	209
Effet des hypothèques	212

Tractatus**DE STATIBUS PARTICULARIBUS.****CAP. I.**

De statu LAÏCORUM.	
ART. I. De officiis <i>forensibus</i> .	
§ I. De denuntiatore, actore et accusatore	216
§ II. De judicibus	218
De organisatione judiciaria in Belgio.	219
§ III. De advocatis	224
§ IV. De testibus.	227
§ V. De reo	229
§ VI. De apparitoribus.	232
§ VII. De notariis.	233
ART. II. De officiis <i>medicalibus</i>	234

CAP. II.

De statu CLERICORUM.	
ART. I. De obligationibus clericorum communibus.	238
§ I. De cælibatu ecclesiastico	id.
§ II. De negotiatione	240
ART. II. De obligationibus clericorum particulari- bus.	
§ I. De episcopis	242
§ II. De canonicis	243
§ III. De parochis in genere	245

CAP. III.

APPENDIX. De succursalistis modernis	246
1º Historia erectionis novarum succur- suum	248
2º An hi succursalistæ sint veri pastores.	250
3º An sint amovibiles	251
APPENDIX. De clericorum privilegiis et beneficiis .	254
De statu RELIGIOSORUM.	
Status religiosi origo	258
ART. I. De vocatione religiosa	259
ART. II. De professione religiosa.	262
ART. III. De natura status religiosi	265
De validæ professionis effectibus.	268
Quædam quoad clausuram.	269
ART. IV. De obligationibus votorum religiosorum.	
§ I. De voto paupertatis.	
De dominio religiosorum voto paupertatis tum solemni tum simplici ligatorum;	

varii modi juxta quos domus religiosa bonorum suorum dominium civiliter exercere potest; casus in quibus contra hoc votum peccant religiosi; hujus peccati gravitas.	270
§ II. De voto castitatis.	280
§ III. De voto obedientiæ.	281

Tractatus**DE SACRAMENTIS IN GENERE.****CAP. I.**

De NATURA sacramentorum.

1 ^o Definitio, 2 ^o existentia et numerus, 3 ^o ordo, 4 ^o divisio sacramentorum. . .	285
---	-----

CAP. II.

De MATERIA et FORMA sacramentorum.

§ I. De natura materiae et formæ.	292
§ II. De mutatione materiae et formæ.	295

CAP. III.

§ III. De iteratione sacramenti in dubio de valore.	297
---	-----

De EFFECTIBUS sacramentorum.

§ I. Quinam sint hi effectus.	299
§ II. Quomodo sacramenta effectus suos pro-	

ducant.	302
-----------------	-----

§ III. Quandonam effectus suos producant. . . .	304
---	-----

§ IV. De obice et reviviscentia sacramentorum. . . .	305
--	-----

§ V. De sacramentis ante adventum Christi. . . .	309
--	-----

De MINISTRO sacramentorum	313
-------------------------------------	-----

CAP. IV.

ART. I. De requisitis in ministro ad sacramentorum administrationem.

§ I. De attentione ministri	314
---------------------------------------	-----

§ II. De intentione ministri.

Quænam requiratur intentio 1 ^o ratione objecti, 2 ^o ratione modi; quid de intentione conditionata	315
---	-----

§ III. De fide et prohibitio ministri,
--

1 ^o ad sacramenti validitatem; 2 ^o ad ejus liceitatem	319
--	-----

ART. II. De officio ministri in sacramentorum ad-

ministracione,

§ I. Quoad obligationem sacramenta mini- strandi	525
---	-----

§ II. Quoad obligationem sacramenta denegandi. .	527
--	-----

De SUBJECTO sacramentorum	529
-------------------------------------	-----

CAP. IV.

§ I. De requisitis ut subjectum capax sacramenta recipiat valide	550
§ II. De requisitis ut recipiat licite et fructuose	552
CAP. V.	
De CÆREMONIIS ET SACRAMENTALIBUS.	
§ I. De cæremoniis sacramentorum	555
§ II. De sacramentalibus	557

Tractatus

DE BAPTISMO.

CAP. I.	De INSTITUTIONE, EFFECTIPUS ET NECESSITATE baptismi	559
CAP. II.	De MATERIA ET FORMA baptismi.	
ART. I.	De materia baptismi.	
	§ I. De materia remota	544
	§ II. De materia proxima	546
ART. II.	De forma baptismi.	548
CAP. III.	De MINISTRO baptismi.	
	Quisnam minister baptizet valide, quisnam licite	549
CAP. IV.	De SUBJECTO baptismi.	551
	1º De baptizando fœtu in utero materno, et de operatione cæsarea.	552
	2º De baptizando fœtu abortivo	556
	3º De baptizando fœtu monstruoso.	557
	4º De baptizandis pueris, invitatis parentibus.	558
	5º De baptizandis adultis	559
	6º De rebaptizatione.	561
CAP. V.	De CÆREMONIIS accidentalibus baptismi.	
	1º De cæremoniis in genere; 2º in specie, de patrinis	562

Tractatus

DE CONFIRMATIONE.

CAP. I.	De NATURA confirmationis	566
CAP. II.	De MATERIA ET FORMA confirmationis.	568
CAP. III.	De MINISTRO confirmationis	571
CAP. IV.	De SUBJECTO confirmationis	575

Tractatus**DE EUCHARISTIA.****PARS PRIMA.****DE EUCHARISTIE SACRAMENTO.**

CAP. I.	De INSTITUTIONE, EXISTENTIA et DIVISIONE Eucharistiae	377
CAP. II.	De MATERIA et FORMA Eucharistiae confi- ciendæ seu in fieri.	
ART. I.	De materia Eucharistiae conficiendæ.	
	§ I. De materia remota	384
	§ II. De materia proxima.	387
ART. II.	De forma Eucharistiae conficiendæ. . . .	390
CAP. III.	De PRESENTIA REALI.	
ART. I.	De veritate præsentiae realis.	391
	Errores contrariorum; probatur hoc dogma .	id.
ART. II.	De modo præsentiae realis.	
	§ I. De transsubstantiatione. Impanatio; consubstantiatio; transsubstan- tatio, quæ probatur	394
	Quid tenendum sit de speciebus.	398
	§ II. De indivisa multiplicatione. De Christi præsentia 1º sub singula spe- cie, 2º sub singulis cuiusque speciei partibus	404
	§ III. De possibilitate præsentiae realis. Miracula in hoc dogmate comprehensa .	406
	Sola ratio naturalis demonstrare non po- test hoc dogma 1º esse impossibile, 2º esse possibile.	id.
	Resolvitur 1ª difficultas, quoad transsub- stantiationem.	408
	Resolvitur 2ª difficultas, quoad impossi- bilitatem ut corpus humanum in ho- stia sit præsens.	412
	Resolvitur 5ª difficultas, quoad impossi- bilitatem ut idem corpus humanum in diversis locis sit simultaneæ præsens.	415
CAP. IV.	De MINISTRO Eucharistiae.	
ART. I.	De ministri potestate.	
	1º Minister consecrationis; 2º minister	

INDEX.

	n homin
	ERA REL
	: nam
	im reve
	paravit
	navit.
	juæ ve
	imus
	a, seu
	ica, 4
	onum
	CAPU
	GIONE
	o spec
	igioni
	onis.
	§
	eligio
	iigio
	niun
	ex
	re
	uitu
	Jerd
	a
	ei
	no
CAP. V.	
ART. II.	dispensationis, tum ordinarius tum extraordinarius 416
	De obligatione Eucharistiam ministrandi vel negandi.
	§ I. De obligatione ministrandi 418
	§ II. De obligatione negandi.
	Neganda est dupli classi: 1º iis qui sunt indigni; 2º iis qui eam absque indecentia sumere non possunt. 420
ART. III.	De requisitis in ministro ad licitam Eu- charistia ministrationem. 424
ART. IV.	De modo Eucharistiam ministrandi in- firmis 428
	De subiecto Eucharistiae.
	Quinam sint Eucharistiae sumendæ sub- jectum capax. 451
ART. I.	De obligatione Eucharistiam suscipiendi. Quatuor principia, quoad necessitatem Eu- charistiae suscipiendæ. id.
	Duplex quæstio quoad præceptum divi- num, 1º quosnam obliget, 2º quan- donam obliget 452
ART. II.	De dispositionibus ad Eucharistiam digne- suscipiendam.
	§ I. De dispositionibus animæ. Requiritur præsertim status gratiæ; quo deficiente, confessio vel contritio per- fecta. Explicatur celebundi necessi- tas, copia confessarii, quam primum confitendum 455
	§ II. De dispositionibus corporis. 1º De jejunio; 2º de decentia corporis 458
	De effectibus sacræ communionis.
ART. III.	§ I. De effectibus. 1º Quonam tempore sumpta Eucharistia effectus suos producat. 442
	2º Quinam sint hi effectus 445
	3º Quænam hos effectus impediunt. 443
	§ II. De communione frequenti. 446

PARS SECUNDA.**DE EUCHARISTIÆ SACRIFICIO.****CAP. I.**

De NATURA et VIRTUTE sacrificii missæ 448	a,
---	----

In quo consistat missæ sacrificii essentia, tum quoad rem oblatam, tum quoad actionem sacrificativam	449
Quinam sint offerentes seu ministri . .	451
De ejus effectibus. 1º Quomodo effectus producat, 2º quandonam eos producat	id.
De fructibus missæ; de applicatione a ce- lebrante facienda; pro quibusnam ce- lebrare liceat, tum vivis tum defunctis	453
Differentiae inter sacrificium missæ 1º cum sacrificiis veteris legis, 3º cum sacri- ficio crucis, 5º cum sacrificio coenæ, 4º cum sacramento Eucharistie.	460
De OBLIGATIONE celebrandi,	
1º Ratione sacerdotii.	461
2º Ratione officii seu curæ animarum. .	462
3º Ratione stipendii. De stipendiis liceitate; de obligatione sacerdotis.	id.
De TEMPORE et loco celebrationis.	
§ I. De tempore celebrationis, Scilicet 1º de diebus, 2º de horis cele- brationis	463
§ II. De loco celebrationis, 1º In quibusnam locis celebrare liceat jure communi	467
De pollutione seu violatione ecclesiæ vel oratori publici; de execratione; de reconciliatione; de oratoriis publicis vel privatis	468
2º De celebratione extra hæc loca, in ca- sibus particularibus	471
De modo celebrandi.	
De requisitis ad celebrandum,	
1º A parte personarum: 1º quoad vestes sacras, 2º quoad ministrum	472
2º A parte altaris: 1º quoad lapidem, 2º mappam, 3º crucifixum, 4º lumen.	475
3º A parte instrumentorum: 1º quoad calicem et patenam, 2º corporale, 3º pallam, 4º purificatorium, 5º missale	474
De rubricis et defectibus missæ.	
1º De rubricis, tum extra tum intra mis- sam; materiæ gravitas; voluntaria sacerdotis distractio	475
2º De defectibus missæ, 1º circa essen-	
	55

talia, 2 ^o circa partem integralem,	
3 ^o circa partes mere cæmoniales.	477
De missæ interruptione.	478
Verbulum ad lectorem.	479

Tractatus

DE EXTREMA-UNCTIONE.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

De EXISTENTIA extremæ-unctionis.	480
De MATERIA et FORMA extremæ-unctionis.	
Quænam sit ejus materia remota.	481
Quænam sit ejus materia proxima, tum speculative, quoad sacramenti validi- tatem; tum practice, quoad licitatem.	484
Quænam sit ejus forma.	486
De EFFECTIBUS extremæ-unctionis.	
Quoad 1 ^m effectum, seu gratiam plenius sanativam.	487
Quoad 2 ^m effectum, seu remissionem pec- catorum.	488
Quoad 3 ^m et 4 ^m effectum, seu abstersionem reliquarum peccati et alleviationem infirmi.	489
Quoad 5 ^m effectum seu sanationem corpo- rale.	id.
De MINISTRO extremæ-unctionis.	
1 ^o Quisnam minister hoc sacramentum conferat valide, 2 ^o quisnam conferat licite, 3 ^o quisnam conferre teneatur.	490
De SUBJECTO extremæ-unctionis.	
1 ^o Quænam in subjecto conditiones requi- rantur ad hujus sacramenti receptio- nem validam.	493
2 ^o Quid in subjecto requiratur ad ejus receptionem licitam et fructuosam.	494
3 ^o Quibusnam sit denegandum.	495
4 ^o De ejus receptionis obligatione.	496
Appendix de BENEDICTIONE APOSTOLICA.	497
Appendix de SEPULTURA ECCLESIASTICA.	
Quid sit sepultura ecclesiastica.	498
1 ^a Quæstio, in quanam parochia.	499
2 ^a Quæstio, quibusnam neganda sit, tum in genere, tum in specie.	505

Tractatus

DE ORDINE.

<i>Notiones præviæ.</i>	Quoad existentiam hierarchiæ ordinis et jurisdictionis, et quoad eorum gradus.	510
CAP. I.	De NATURA et GRADIBUS ordinis in genere.	
	Definitio ordinis, et hujus sacramenti existentia	514
	De numero seu gradibus ordinis, et quinam ex eis habeant rationem sacramenti.	515
CAP. II.	De singuli ordinis PROPRIETATIBUS, MATERIA et FORMA.	
	1º De proprietatibus 1º ordinum minorum, 2º majorum, 5º episcopatus, de quo octo adnotaciones	520
	2º Quænam sit horum ordinum materia et forma, 1º generatim, 2º speciatim, prout in ecclesia latina conferuntur	525
CAP. III.	De ordinis MINISTRO.	
	1º De ministro ordinario	528
	2º De ministro extraordinario.	529
	3º De ministro legitimo; de variis titulis quibus quis subdi potest episcopo proprio.	530
CAP. IV.	De EFFECTIBUS sacramenti ordinis	531
CAP. V.	De ordinis SUBJECTO.	
	1º Quænam in subjecto conditiones requirantur ad ordinum receptionem validam	535
	2º Quænam requirantur ad receptionem licitam, scilicet 1º de vocatione divina, 2º de observatione legum ecclesiasticarum, ordinationem spectantium.	535

FINIS INDICIS TOMI III.

ICIONE

nibus

eam

lare

et i

rgo n

abrog

de r

le rev

de rev

initate

I.

GEN

m inc

ecess

motione

in genera

di forun

im ten

gen ge

; dicet

ea c

al veru

st quæ

e et.

tua Na

nest d

IGIONE.

nibus revelavit; 2º si nulla

eam revelare *potuit*, ut
lare *voluit*: nam eam in
et in novo Testamento
ergo nulla alia ei placet,
abrogata vel falsa et im-

de religione in genere,
de revelatione in genere,
de revelatione christiana,
anitate.

I.

GENERE.

m inquiritur 1º de religio-
necessitate, 3º de indiffe-

otione.

in genere?

diorum, quibus homo Deo
in tenetur.

gen genere?

: sicet est religio
ea quae veram de Deo
al verumque ac legitimum
st quae falsa de Deo docet,
est.

Naturalis est ea quam
nest dictare, et ad quam

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ MORALIS

FUNDAMENTALIS

AUCTORE

TIL. BOUQUILLON, S. Th. D. et in Sem. Brug. Professore.
Beau volume in-8°. Prix 4 fr.

Cet ouvrage a reçu les plus hautes approbations. Toutes
les revues des sciences ecclésiastiques en ont parlé avec
les plus grands éloges.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

SPECIALIS

AUCTORE

B. JUNGmann, S. Th. D. et olim in Sem. Brug. Profess.

Tractatus de Deo Uno et Trino.	4-50 net 5-50
» » » Brevis analysis	1-00
» de Deo Creatore.	5-00 net 4-00
» » » Brevis analysis	0-75
» de Novissimis.	4-50 net 5-50
» » Brevis analysis	0-75
» de Gratia	4-00 net 5-00
» de Verbo Incarnato.	5-00 net 4-00
» » Brevis analysis.	net 0-50
» de Vera Religione	net 5-00

DAGBOEK DER HEILIGEN, door J.-B. DE CORTE, priester.

2 boekdeelen 5-50